COMPENDIUM THEOLOGIÆ MORALIS UNIVERSÆ

REV. PATRIS

PAULI GABRIELIS ANTOINE

Soc. Jesu Presbyt. et Theologi,

ITEM

ILLUSTRATIONUM

R. P. F.

PHILIPPI DE CARBONEANO,

ET REV. PATR.

BONAVENTURÆ STAIDEL

ORD. MIN. CONVENTUAL.

AC DEMUM

Animadversionum, Appendicum, Adnotationum, Supplementorum, Practicarumque Regularum eidem Universæ Theologiæ recentissime additarum.

DUOS IN TOMOS DISTRIBUTUM.

TOMUS PRIMUS.

VENETIIS, MDCCLXXVI.

Ex Typographia Balleoniana.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.



BENEVOLO LECTORI.

IN novam Compendii Moralis Antoiniane editionem tibi, Lector Humanissime, propono. Cave tamen, ne lucri cupiditati id operis mei adscribas: non enim auri argentique cupiditas, sed non interrupta Eruditorum frequentia qui quotidie ad hanc meam typographiam fluunt ac refluunt ut Antoinianæ Moralis Compendium sibi comparent, unde factum est ut prima ejus editio brevi absumpta fuerit, animum meum adduxit ut illud prælo iterum committerem.

Cum autem non ita pridem Universa Moralis Theologia Patris Antoine, novis, hisque valde utilibus, immo & necessariis appendicibus, notis, supplementis, practicisque regulis mirum in modum adaucta

ex hac mea typographia rursus prodierit; hæc omnia pariter in epitomen redegi, huicque novæ compendii editioni subnectere sedulo curavi, confidens & hunc meum laborem pergratum Moralis Theologiæ studiosis evasurum. Habes ergo in uno duplex compendium, alterum Moralis Antoinianæ, alterum additamentorum nuper ei factorum. Utroque libenter utere in tui aliorumque commodum. Vale.

INDEX TRACTATUUM TOMI PRIMI.

TRACTATUS
De Actibus Humanis.

TRACTATUS
De Conscientia.

TRACTATUS
De Legibus.

TRACTATUS
De Peccatis.

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. Gio: Tommaso Mascheroni Inquisitor Generale del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato *Compendium Theologiæ Moralis R. P. Pauli Antoine Soc. J. Presbyteri*, *Illustrationum R. P. F. Philippi de Carboneano Ord. Min. Reg. Observ. ac demum Animadv. Appendix*, *&c. MS.* e *Stamp.* non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza agl' Eredi Baglioni Stampatori di Venezia, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 12. Gennaro 1774. M. V.

(Andrea Querini Rif.
(Girolamo Grimani Rif.
(Sebastian Foscarini Cav. Rif.

Registrato in Libro a Carte 177. al Num. 184.

Davidde Marchesini Segr.

Adi 19. Gennaro 1774.
Registrato al Magistr. contro la Bestemmia in Libro a Carte 47.

Andrea Grattarol Segr.

TRA-

TRACTATUS

DE

ACTIBUS HUMANIS.

TRACTATUS iste non reperitur in Theologia practico-Morali Patris Antoine, nam de illo agit in aliis, quæ elucubravit, operibus: sed nuper Morali Theologiæ adjectus fuit. De illo sermo mihi erit, quantum Theologiæ practico-Moralis Candidato prodesse posse mihi videbitur. Sit igitur.

Actus, qui ab homine fiunt, alii dicuntur actus hominis, & sunt, qui procedunt ab homine sine deliberatione, advertentia, & libertate, ut (1) motus indeliberati concupiscentiæ seu motus primo primi: alii dicuntur actus naturales, seu mere corporei, sunt autem qui necessario fiunt, nec ad mores pertinent, ut respiratio, circulatio sanguinis &c. alii dicuntur actus humani, de quibus hic agi-

(1) Ut etiam comedere, bibere, ambulare, &c. cum istos homo communes habeat cum brutis: item loqui, ridere, &c. cum convenire possint, & reipsa frequenter eliciantur etiam a dormientibus, infantibus, & amentibus; ac denique actus secundo primi cum a voluntate, saltem perfecte, deliberata non procedant. Tamen omnes isti actus humani evadere possunt: quia omnes possunt procedere a voluntate plene ac perfecte deliberata. Quapropter recte scribit, P. Bonaventura Staidel, in Dissert. Præm. *De Hum. Act.* art. 2. num. 92. „ Ad dignoscendum, „ num actio aliqua sit reputanda „ humana nec ne, non sufficit „ rimari principia a quibus pro- „ xime in homine efficitur .... „ sed .... in hoc negotio potissime intuendum est, an actio- „ nes procedant, vel non pro- „ cedant a voluntate deliberata, „ tamquam a principio, aut eli- „ ciente, aut imperante “: sic enim Confessarius intelliget, an non actiones sint humanæ.

agitur, & sunt, (2) qui fiunt ab homine humano modo agente, nempe libere, & cum aliqua ad morem advertentia, vel formali, vel virtuali, aut interpretativa, seu debita, & possibili: nam hic modus agendi est hominis proprius, nec brutis convenit. Ita D. Thomas 1. 2. quæst. 1. art. 1. Quare actus humanus idem est realiter ac actus moralis, ideoque laude, vel vituperio dignus. Nam actus moralis est actus bonus, vel malus moraliter: omnis autem actus, qui fit ab homine libere, & cum advertentia jam dicta est bonus, vel malus moraliter, cum nullus actus liber in individuo spectatus sit indifferens.

CAPUT PRIMUM.

De voluntario, & involuntario.

ARTICULUS I.

Quid sit voluntarium, & quotuplex?

VOluntarium (3) proprie est id, quod fit, vel quasi fit, seu omittitur a voluntate ex prævia cognitione intellectuali. Non tamen ad quodlibet voluntarium requiritur

(2) Actus humanus tripliciter sumi potest: 1. Latissime, pro actibus qui nec liberi sint, nec voluntarii, quales sunt e.g. motus primo primi. 2. Late pro actibus voluntariis, sive liberis, sive necessariis, cujusmodi est actus amoris Dei qui in viatoribus est liber, in Beatis necessarius; quamvis in utrisque voluntarius. 3. Stricte & proprie, pro solis actibus liberis. Et in hoc sensu eos hic accipit Auctor. Actus humanus hoc modo sumptus ad hunc tractatum pertinet, sicque a D. Thoma definitur 1. 2. quæst. 1. artic. 1. „ Actus ab hominis voluntate „ deliberate, seu libere proce„ dens “.

(3) Voluntarium a Theologis communiter definitur, quod illud sit, „ quod procedit a prin„ cipio intrinseco cum cognitio„ ne finis “: quæ definitio optima est, cum explicet, tum id quod est commune voluntario cum quibusdam aliis actionibus, cujusmodi est esse a principio intrinseco, quod convenit etiam necessario seu naturali, & actui intellectus; tum id per quod voluntarium discrepat ab omnibus aliis actionibus, cujusmodi est esse a principio intrinseco cum cognitione finis; cum ipsum solum feratur in finem formaliter ut talem, & sub ipsa ratione finis. Porro illa phrasis *cum cognitione finis* implicite comprehendit etiam cognitionem cæterorum quæ voluntaria sunt, nempe circumstantiarum quæ velut secundario voluntariæ censentur; cum voluntas non feratur in incognitum.

Duo hic notanda sunt: 1. Voluntarium proprie loquendo, distingui a volito: quia volitum est objectum voluntatis,

tur cognitio actualis. Nam ad voluntarium indirectum, & interpretativum, quod est verum voluntarium in ordine ad mores, utpote imputabile ad culpam, & pœnam, si sit liberum, sufficit cognitio virtualis, & interpretativa, hoc est, cognitio, quæ quidem non existit, sed quæ potuit, ac debuit haberi.

Porro voluntas definitur appetitus naturalis, sive potentia volendi, & nolendi, ex prævia cognitione spirituali.

Aliquid autem fieri potest tripliciter a voluntate. 1. Ut actus *elicitus*: sic fiunt a voluntate omnes actus ejus immediati, qui dicuntur eliciti, ut volitio, nolitio, amor, *odium* &c. 2. Ut actus imperatus: hoc modo fiunt a voluntate actus aliarum potentiarum ei subjectarum, quoties scilicet ex ejus imperio, seu impulsu, & applicatione agunt. 3. Aliquid fit a voluntate, ut effectus secutus ex aliquo actu elicito voluntatis, vel imperato. Sic fit a voluntate homicidium, quod sequitur ex percussione imperata a voluntate.

Voluntarium multiplex est; nam dividitur 1. in elicitum, seu immediatum, & imperatum, seu mediatum. 2. In necessarium, quod scilicet fit a voluntate ad unum antecedenter determinata; & in liberum, quod fit a voluntate, sine antecedenti, & intrinseca ad unum determinatione. 3. In perfectum, quod est a voluntate cum perfecta cognitione, vel quæ actu habeatur, vel haberi possit, & debeat, hoc est cum cognitione, qua ratione boni, & mali cognoscunt sufficienter ad perfectum usum rationis, & libertatis: & imperfectum, quod est a voluntate cum imperfecta tantum cognitione. 4. In voluntarium in se, (4) quod est tum actus voluntatis elicitus, tum id, quod

---

tis; voluntarium vero est ejus actus. 2. Omne voluntarium esse directe, vel indirecte seu interpretative volitum: quia nihil a voluntate procedit, nisi ipsa vellit: non tamen e contra; quia varia objecta, e. g. actus aliorum hominum nobis volita esse possunt, quin a voluntate nostra procedant.

(4) Dividitur etiam voluntarium in expressum, quod verbis exprimitur, aliove signo consensum ex instituto significante; & in tacitum, quod absque hujusmodi signo, ex facto aliquo, factive omissione, consideratis circumstantiis merito colligitur, juxta regulam 43. juris in 6. *Qui tacet, consentire videtur*. Quod tamen cum limitatione intelligendum est juxta regulas sequentes a Theologis & Canonistis traditas.

I. Tacens consentire videtur quando agitur de favore vel commodo ipsius. 2. Si taceat, dum negare & contradicere deberet. 3. Principis vel Prælati scientia & patientia verus consensus si exstimatur, si facile, & absque scandali vel alterius mali periculo aliquid a se depen-

COMPENDIUM THEOLOGIÆ MORALIS UNIVERSÆ

REV. PATRIS

PAULI GABRIELIS ANTOINE

SOC. JESU PRESBYT. ET THEOLOGI,

ITEM

ILLUSTRATIONUM

R. P. F.

PHILIPPI DE CARBONEANO,

ET REV. PATR.

BONAVENTURÆ STAIDEL

ORD. MIN. CONVENTUAL.

AC DEMUM

Animadversionum, Appendicum, Adnotationum, Supplementorum, Practicarumque Regularum eidem Universæ Theologiæ recentissime additarum.

DUOS IN TOMOS DISTRIBUTUM.

TOMUS PRIMUS.

VENETIIS, MDCCLXXVI.

EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.



BENEVOLO LECTORI.

IN novam Compendii Moralis Antoiniane editionem tibi, Lector Humanissime, propono. Cave tamen, ne lucri cupiditati id operis mei adscribas: non enim auri argentique cupiditas, sed non interrupta Eruditorum frequentia qui quotidie ad hanc meam typographiam fluunt ac refluunt ut Antoinianæ Moralis Compendium sibi comparent, unde factum est ut prima ejus editio brevi absumpta fuerit, animum meum adduxit ut illud prælo iterum committerem.

Cum autem non ita pridem Universa Moralis Theologia Patris Antoine, novis, hisque valde utilibus, immo & necessariis appendicibus, notis, supplementis, practicisque regulis mirum in modum adaucta

ex hac mea typographia rursus prodierit; hæc omnia pariter in epitomen redegi, huicque novæ compendii editioni subnectere sedulo curavi, confidens & hunc meum laborem pergratum Moralis Theologiæ studiosis evasurum. Habes ergo in uno duplex compendium, alterum Moralis Antoinianæ, alterum additamentorum nuper ei factorum. Utroque libenter utere in tui aliorumque commodum. Vale.

INDEX TRACTATUUM TOMI PRIMI.

TRACTATUS

De Actibus Humanis.

TRACTATUS

De Conscientia.

TRACTATUS

De Legibus.

TRACTATUS

De Peccatis.

TRACTATUS
De Virtutibus Theologicis.
PARS PRIMA.
De Fide.

PARS SECUNDA.
De Spe.
PARS TERTIA.
De Charitate.

TRACTATUS
De Virtute Religionis.

TRACTATUS.
De Beneficiis Ecclesiasticis.

TRACTATUS
De Virtutibus moralibus, & Vitiis eis oppositis.

Cap. III.

TRACTATUS
De Obligationibus specialibus certorum Statuum, & Officiorum.

TRACTATUS
De Justitia, Jure, Injuriis, & Restitutione.

PARS PRIMA.
De Justitia, & Jure.

PARS SECUNDA.
De Injuriis, & necessaria Restitutione in genere.

PARS TERTIA.
De injuriis in particulari, & necessaria restitutione.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. Gio: Tommaso Mascheroni Inquisitor Generale del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato *Compendium Theologiæ Moralis R. P. Pauli Antoine Soc. J. Presbyteri*, *Illustrationum R. P. F. Philippi de Carboneano Ord. Min. Reg. Observ. ac demum Animadv. Appendix*, *&c. MS. e Stamp.* non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza agl' Eredi Baglioni Stampatori di Venezia, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 12. Gennaro 1774. M. V.

(Andrea Querini Rif.
(Girolamo Grimani Rif.
(Sebastian Foscarini Cav. Rif.

Registrato in Libro a Carte 177. al Num. 184.

Davidde Marchesini Segr.

Adi 19. Gennaro 1774.
Registrato al Magistr. contro la Bestemmia in Libro a Carte 47.

Andrea Grattarol Segr.

TRA-

TRACTATUS

DE

ACTIBUS HUMANIS.

TRACTATUS iste non reperitur in Theologia practico-Morali Patris Antoine, nam de illo agit in aliis, quæ elucubravit, operibus: sed nuper Morali Theologiæ adjectus fuit. De illo sermo mihi erit, quantum Theologiæ practico-Moralis Candidato prodesse posse mihi videbitur. Sit igitur.

Actus, qui ab homine fiunt, alii dicuntur actus hominis, & sunt, qui procedunt ab homine sine deliberatione, advertentia, & libertate, ut (1) motus indeliberati concupiscentiæ seu motus primo primi: alii dicuntur actus naturales, seu mere corporei, sunt autem qui necessario fiunt, nec ad mores pertinent, ut respiratio, circulatio sanguinis &c. alii dicuntur actus humani, de quibus hic agi-

(1) Ut etiam comedere, bibere, ambulare, &c. cum istos homo communes habeat cum brutis: item loqui, ridere, &c. cum convenire possint, & reipsa frequenter eliciantur etiam a dormientibus, infantibus, & amentibus; ac denique actus secundo primi cum a voluntate, saltem perfecte, deliberata non procedant. Tamen omnes isti actus humani evadere possunt: quia omnes possunt procedere a voluntate plene ac perfecte deliberata. Quapropter recte scribit, P. Bonaventura Staidel, in Diss. Præm. *De Hum. Act.* art. 2. num. 92. „ Ad dignoscendum, „ num actio aliqua sit reputanda „ humana nec ne, non sufficit „ rimari principia a quibus pro- „ xime in homine efficitur .... „ sed .... in hoc negotio potis- „ sime intuendum est, an actio- „ nes procedant, vel non pro- „ cedant a voluntate deliberata, „ tamquam a principio, aut eli- „ ciente, aut imperante “: sic enim Confessarius intelliget, an non actiones sint humanæ.

agitur, & sunt, (2) qui fiunt ab homine humano modo agente, nempe libere, & cum aliqua ad morem advertentia, vel formali, vel virtuali, aut interpretativa, seu debita, & possibili: nam hic modus agendi est hominis proprius, nec brutis convenit. Ita D. Thomas 1. 2. quæst. 1. art. 1. Quare actus humanus idem est realiter ac actus moralis, ideoque laude, vel vituperio dignus. Nam actus moralis est actus bonus, vel malus moraliter: omnis autem actus, qui fit ab homine libere, & cum advertentia jam dicta est bonus, vel malus moraliter, cum nullus actus liber in individuo spectatus sit indifferens.

CAPUT PRIMUM.

De voluntario, & involuntario.

ARTICULUS I.

Quid sit voluntarium, & quotuplex?

VOluntarium (3) proprie est id, quod fit, vel quasi fit, seu omittitur a voluntate ex prævia cognitione intellectuali. Non tamen ad quodlibet voluntarium requiritur

(2) Actus humanus tripliciter sumi potest: 1. Latissime, pro actibus qui nec liberi sint, nec voluntarii, quales sunt e.g. motus primo primi. 2. Late pro actibus voluntariis, sive liberis, sive necessariis, cujusmodi est actus amoris Dei qui in viatoribus est liber, in Beatis necessarius; quamvis in utrisque voluntarius. 3. Stricte & proprie, pro solis actibus liberis. Et in hoc sensu eos hic accipit Auctor. Actus humanus hoc modo sumptus ad hunc tractatum pertinet, sicque a D. Thoma definitur 1. 2. quæst. 1. artic. 1. „ Actus ab hominis voluntate „ deliberate, seu libere procedens “.

(3) Voluntarium a Theologis communiter definitur, quod illud sit, „ quod procedit a principio intrinseco cum cognitione finis “: quæ definitio optima est, cum explicet, tum id quod est commune voluntario cum quibusdam aliis actionibus, cujusmodi est esse a principio intrinseco, quod convenit etiam necessario seu naturali, & actui intellectus; tum id per quod voluntarium discrepat ab omnibus aliis actionibus, cujusmodi est esse a principio intrinseco cum cognitione finis; cum ipsum solum feratur in finem formaliter ut talem, & sub ipsa ratione finis. Porro illa phrasis *cum cognitione finis* implicite comprehendit etiam cognitionem cæterorum quæ voluntaria sunt, nempe circumstantiarum quæ velut secundario voluntariæ censentur; cum voluntas non feratur in incognitum.

Duo hic notanda sunt: 1. Voluntarium proprie loquendo, distingui a volito: quia volitum est objectum voluntatis,

tur cognitio actualis. Nam ad voluntarium indirectum, & interpretativum, quod est verum voluntarium in ordine ad mores, utpote imputabile ad culpam, & pœnam, si sit liberum, sufficit cognitio virtualis, & interpretativa, hoc est, cognitio, quæ quidem non existit, sed quæ potuit, ac debuit haberi.

Porro voluntas definitur appetitus naturalis, sive potentia volendi, & nolendi, ex prævia cognitione spirituali.

Aliquid autem fieri potest tripliciter a voluntate. 1. Ut actus elicitus: sic fiunt a voluntate omnes actus ejus immediati, qui dicuntur eliciti, ut volitio, nolitio, amor, *odium* &c. 2. Ut actus imperatus: hoc modo fiunt a voluntate actus aliarum potentiarum ei subjectarum, quoties scilicet ex ejus imperio, seu impulsu, & applicatione agunt. 3. Aliquid fit a voluntate, ut effectus secutus ex aliquo actu elicito voluntatis, vel imperato. Sic fit a voluntate homicidium, quod sequitur ex percussione imperata a voluntate.

Voluntarium multiplex est; nam dividitur 1. in elicitum, seu immediatum, & imperatum, seu mediatum. 2. In necessarium, quod scilicet fit a voluntate ad unum antecedenter determinata; & in liberum, quod fit a voluntate, sine antecedenti, & intrinseca ad unum determinatione. 3. In perfectum, quod est a voluntate cum perfecta cognitione, vel quæ actu habeatur, vel haberi possit, & debeat, hoc est cum cognitione, qua ratione boni, & mali cognoscunt sufficienter ad perfectum usum rationis, & libertatis: & imperfectum, quod est a voluntate cum imperfecta tantum cognitione. 4. In voluntarium *in se*, (4) quod est tum actus voluntatis elicitus, tum id, quod

---

tis; voluntarium vero est ejus actus. 2. Omne voluntarium esse directe, vel indirecte seu interpretative volitum: quia nihil a voluntate procedit, nisi ipsa vellit: non tamen e contra; quia varia objecta, e. g. actus aliorum hominum nobis volita esse possunt, quin a voluntate nostra procedant.

(4) Dividitur etiam voluntarium in expressum, quod verbis exprimitur, aliove signo consensum ex instituto significante; & in tacitum, quod absque hujusmodi signo, ex facto aliquo, factive omissione, consideratis circumstantiis merito colligitur, juxta regulam 43. juris in 6. *Qui tacet, consentire videtur*. Quod tamen cum limitatione intelligendum est juxta regulas sequentes a Theologis & Canonistis traditas.

I. Tacens consentire videtur quando agitur de favore vel commodo ipsius. 2. Si taceat, dum negare & contradicere deberet. 3. Principis vel Prælati scientia & patientia verus consensus [aestimatur,] si facile, & absque scandali vel alterius mali periculo aliquid a se depen-

quod immediate, & secundum se intendit voluntas: & voluntarium in alio, quod virtualiter, seu moraliter continetur in alio immediate, & secundum se intento a voluntate, velut effectus in causa. Sic v. g. cum quis ob solam voluptatem nimium bibit, & nimium bibendo inebriatur; actus elicitus, quo vult bibere, & ipsa actio bibendi sunt voluntaria in se: ebrietas vero, quæ ex nimia potatione sequitur, est tantum voluntaria in alio*, nempe in ipsa nimia potatione.

Ut aliquid sit voluntarium (5) in alio, duo requiruntur,

---

dependens impedire possit, vel expediat, nec impedit. 4. Si ex duobus tibi objectis unum tantum neges, alterum fateri censeris, nisi circumstantiæ vim istius præsumptionis elidant. 5. Regula illa non procedit regulariter in illis casibus, in quibus consensus expressus requiritur. Gloss. in cap. *Is qui tacet*.

(5) Voluntarium indirectum, seu, ut alii volunt, voluntarium in alio, duplex est, scilicet in causa positiva, cum nempe voluntarie ponit aliquam causam, ex qua prævidet, vel prævidere poterat ac debebat, secuturum talem effectum; & in causa negativa, cum nempe non aufert causam ad cujus continuationem prævidet, aut prævidere poterat ac debebat secuturum effectum, vel alio modo non impedit quominus effectus sequatur.

Ad dignoscendum, quandonam effectus indirecte voluntarius sit in causa, expendere debes, I. an & quam frequenter sequatur ex tali causa; si enim ex ea non sequatur, vel si ex ea sequatur solum *per accidens*, &, ut ajunt, *ut in* paucioribus, effectus regulariter non censetur voluntarius in causa, patet e. g. in pollutione nocturna, quæ si ex cibo & potu non sequatur, nisi per accidens & ut in paucioribus, indirecte voluntaria non censetur intemperantibus in cibo & potu. Dixi, *regulariter*, quia ut ex majori vel minori frequentia judices, effectum esse indirecte voluntarium, attendere debes qualitatem ipsius, majorem nempe vel minorem ejus malitiam, vel majorem aut minorem illum impediendi obligationem. Legatur D. Thom. 1. 2. q. 20. art. 5.

II. An adsit justa causa ponendi, seu non prætermittendi causam; & an talis sit relate ad effectum malum qui ex ipsa sequitur; & an per se & propinque nacta sit effectum illum causare; tunc enim tanto gravior ratio exigitur ad eam ponendam quanto propinquius nacta est eum causare.

III. Famosum illud effatum S. Thomæ 1. 2. q. 64. art. 7. „Quando causa duos habet effectus, „unum bonum & alterum malum, poni potest ex intentione „solius effectus boni, solum permissive se habendo ad effectum „malum" intelligendum est cum multiplici limitatione 1. Ut causa illa directe, & immediate non habeat malum effectum, bonum vero nonnisi indirecte, medioque malo illo effectu. 2. Ut, si causa æque directe & immediate habeat effectum bonum quam malum, malitia hujus longe non superet illius bonitatem. 3. Ut causa ex se mala non sit, adeoque prohibita.

IV. An effectus mali sequantur actionem nostram ex hominum infirmitate, vel ignorantia; quia tunc voluntarii nobis censen-

tur, nempe 1. ut sit aliquo modo, saltem confuse, cognitum, ut secuturum ex alio, quocum connexionem habet, vel quod est immediate volitum, & in se, vel ut sic cognosci potuerit, ac debuerit. 2. Ut sit vel per se connexum cum illo alio directe, & immediate volito. Vel si sit tantum per accidens cum illo alio connexum, itaut vi illius non sequatur, sed propter alia adjuncta requiritur in voluntate obligatio illud impediendi, & ad illud impediendum abstinendi ab actione, nam alioqui non censetur voluntarium.

Denique in formale, quod est a voluntate positive volente, & agente: & virtuale, ac interpretativum, quod est a voluntate libera non volente, & omittente agere, ac proinde virtualiter, & interpretative nolente agere. Sic si quis libere non velit facere eleemosynam, nec faciat, unde alii merito scandalizentur: libera omissio positivæ volitionis faciendi eleemosynam, & libera omissio dationis eleemosynæ sunt ei virtualiter, & interpretative voluntariæ in se; scandalum ex illa omissione secutum, quod prævisum est, vel prævideri potuit, est ei virtualiter, & interpretative voluntarium in alio, nempe in libera omissione eleemosynæ. Idem intellige de voluntario formali, quod pariter potest esse tale in se, seu immediate, vel mediate, & in alio.

ARTICULUS II.

Quid, & quotuplex involuntarium?

INvoluntarium proprie est illud, quod est contra actualem inclinationem voluntatis; ita ut sit aliquo actu voluntatis nolitum.

Duplex est autem, nempe involuntarium simpliciter, quod est contra inclinationem voluntatis, quantum est ex se efficax ad illud impediendum, ut motus concupiscentiæ,

---

sentur indirecte, si talis actio ponatur; an vero eam sequantur ex hominum malitia; quia tunc, ut voluntarii nobis non censeantur requiritur ac sufficit justa & rationabilis causa eam non prætermittendi.

V. Denique, ut mihi tamquam interpretative volenti non imputetur effectus malus ex aliena malitia ad actionem meam secuturus in grave detrimentum spirituale vel temporale tertii innocentis, vel infirmi, tanto major causa requiritur, quanto gravius detrimentum ipsi prævidetur secuturum; eaque causa hic & nunc inducere debet voluntatem ad agendum; idque etiam locum habet cum justa causa requiritur & sufficit, ut effectus malus ex actione nostra consequens nobis indirecte voluntarius non censeatur.

tiæ, qui voluntate toto affectu renitente insurgit: & involuntarium secundum quid, quod illud est, quod displicet quidem secundum aliquam considerationem, sed magis efficaciter placet secundum aliam: unde est aliquo actu inefficaci nolitum, & simul alio actu efficaciter volitum. Sic cum viator metu mortis dat latroni crumenam, quam retinere vellet, datio illa est secundum quid involuntaria, nam secundum se displicet; sed spectata, ut necessaria est vitam servandam, magis, & efficaciter placet.

ARTICULUS III.

Utrum (6) ea, quæ fiunt ex metu, sint involuntaria?

Fieri aliquid ex metu non idem est ac fieri cum metu. Nam aliquid fit ex metu, quando metus est causa illud faciendi. Sic datio crumenæ facta latroni fit ex metu.

(6) Metus est „ instantis vel „ futuri periculi causa mentis „ trepidatio ". Lib. 1. parag. *De eo quod metus causa fit*. Juxta D. Thomam vero 2. 2. q. 41. „ est „ passio qua refugimus malum „ futurum cui resisti non potest ". Duplex est gravis, & levis. Gravis subdividitur in metum gravem absolute & per se, vocaturque *metus cadens in constantem virum, justus, probabilis*, & est ille quo sibi, vel aliis cognatione, vel amicitia conjunctis timetur grave malum, quod in se reipsa tale est, v. g. mors, exilium, infamia gravis, &c.; & in gravem *respective*, & est ille quo timetur grave malum quod est tale relate ad personam talis ætatis, vel sexus, vel &c. Metus levis est, quo timetur malum leve, vel grave quidem, sed facile impedibile, vel ex levi & non probabili fundamento.

Uterque dupliciter habere se potest ad actionem vel passionem: 1. Concomitanter, cum nempe actionem, vel passionem concomitatur; 2. causaliter idque dupliciter, 1. totaliter, cum metus est unica & sola causa actionis; 2. partialiter, cum nempe est actionis causa solum partialis.

Quæ fiunt ex metu, tamquam causa sive totali sive partiali sunt simpliciter voluntaria, quia voluntas ex prævia deliberatione, spectatis omnibus circumstantiis, vult & facit id quod facit ex metu; sunt vero ut plurimum licet non semper involuntaria secundum quid: quia quæ fiunt ex metu, ut plurimum fiunt cum voluntate aliquo modo repugnante & nolente, licet aliquando contingere possit quod metus adigat ad actum cujus cæteroquin non habemus displicentiam, sed qui potius arridet, aut ad quem sumus indifferentes.

Duæ sequentes regulæ valde poterunt inservire ut agnoscatur quando quod fit ex metu sit involuntarium secundum quid.

Prima est: „ Id, quod fit ex „ metu solo est involuntarium „ secundum quid, " quando vel ante metum est affectus erga bonum deperdendum per actionem quæ

m. *Aliquid fit cum metu*, quando solum actionem metus comitatur. Clare autem patet ea, quæ fiunt duntaxat cum metu voluntaria esse.

Porro ea, quæ fiunt ex metu, sunt absolute simpliciter voluntaria. Nam illud est simpliciter necessarium, quod est a voluntate agente ex perfecta cognitione; sed quod fit ex metu ita fit. Ergo &c.

Nihilominus quæ fiunt ex metu aliquando sunt involuntaria secundum quid, aliquando non. Nam aliquando fiunt cum aliqua repugnantia, cum nempe fiunt contra aliquem effectum voluntatis, aliquando non. Atqui quando fiunt cum aliqua repugnantia, sunt involuntaria *secundum quid*, secus, quando cum nulla repugnantia fiunt. Ergo &c.

ARTICULUS IV.

Utrum ea, quæ fiunt ex concupiscentia, sint voluntaria?

Concupiscentia (7) hic sumitur pro quolibet motu appetitus sensitivi in bonum sensibile. Alia est antecedens, quæ a voluntate non imperatur, sed ab alio sensibili excitatur, voluntate nihil plane conferente: alia consequens, quæ a voluntate imperatur, seu excitatur. Unde patet ea esse voluntaria, quæ fiunt ex concupiscentia consequente.

Dico 1. Quæ fiunt ex concupiscentia antecedente, & a fortiori consequente, sunt voluntaria. Nam illud est voluntarium, quod fit a voluntate ex prævia cognitione intellectus: intellectus enim apprehendit bonum sensibile, a quo est commotio sensus interni, illudque ut bonum sensibile voluntati proponit. Ergo.

Dico

---

quæ fit ex metu, & cum metu concurrit motivum amoris qui vincat amorem istius boni.

Secunda: id quod fit ex solo metu non est involuntarium secundum quid, quando vel ante metum non est affectus erga bonum deperdendum per actionem quæ fit ex metu, vel cum metu suscitatur amor qui vincat amorem erga illud bonum.

Metus aliquando mutat materiam juris naturæ; aliquando non; mutat, quando materia aliqua aliqualem mutationem patitur; non mutat, quando materia non patitur mutationem circa seipsam. In his vero quæ sunt mala extrinsece, cujusmodi sunt ea quæ vetantur lege positiva, divina vel humana, metus gravis aliquando totaliter excusat indirecte a culpa: quia in tali casu lex positiva desinit obligare.

(7) Concupiscentia sic sumpta definiri potest quod sit „ animæ „ sensitivæ motus habitualis vel „ actualis, prosequens bonum „ sensibile, aut malum sensibile „ fugiens “.

Dico 2. Concupiscentia etiam antecedens non minuit voluntarium. Quandoquidem nihil potest imminuere voluntarium, nisi vel ex parte intellectus, vel ex parte voluntatis. Sed concupiscentia non minuit voluntarium 1. ex parte intellectus: nam concupiscentia non impedit claram perceptionem intellectus circa objectum sensibile: 2. nec ex parte voluntatis, siquidem inclinat voluntatem ad volendum; unde voluntas agens ex concupiscentia ardentius fertur in objectum sensibile.

Immo concupiscentia (8) etiam antecedens auget voluntarium. Nam quod fit ex illa, fit cum majore inclinatione voluntatis, & clariore apprehensione, ac propensione objecti saltem ut boni sensibilis.

Nihilominus tamen concupiscentia antecedens aliquando minuit, immo tollit liberum. Tunc autem tollit liberum, quando ita vehemens est, ut totaliter auferat usum rationis. Quando autem non est ita vehemens, minuit duntaxat liberum; quia minuit cognitionem requisitam ad libertatem, nempe considerationem finis, & eorum, quæ sunt ad finem.

Cum his tamen consistunt, quæ in prima, ac secunda conclusione determinata sunt, saltem si sermo sit de voluntario stricte sumpto, quod differt a libero, & potest esse necessarium, ut revera est in amore beatifico, qui est maxime voluntarius, & simul necessarius.

C A-

---

(8) Concupiscentia antecedens, *ordinarie loquendo*, auget voluntarium ratione objecti: quia inflammat voluntatem, efficitque ut in objectum majori cum inclinatione feratur. Dixi, *ordinarie loquendo*: quia fieri potest ut aliquando nequidem ratione objecti voluntarium augeat, ut e. gr. si, qui ex ipsa agit, cum aliqua repugnantia in suum objectum tendat; ad discrimen concupiscentiæ consequentis quæ semper auget voluntarium & liberum, cum sit effectus voluntatis libere eam producentis.

Multo magis habitus & consuetudo auget voluntarium. Et rationem assignat Sanctus Thomas 1.2. quæst. 78. artic. 2. ad 2. quia qui peccat ex habitu peccat ex certa malitia; qui autem peccat ex passione seu concupiscentia, peccat magis ex infirmitate quam ex malitia: porro peccare ex certa malitia est magis voluntarium quàm peccare ex infirmitate. Erg. Hinc peccatum quod fit ex habitu & consuetudine gravius a SS. Patribus reputatur. Quapropter gravius punitur a canonibus. Immo, quando consuetudo est notabilis, tunc, si Confessarius eam ignoret, in confessione est exprimenda. Quæ omnia ostendunt, habitum & consuetudinem, nedum minuere, augere potius voluntarium ac liberum. Unde audiendi non sunt recentiores quidam Theologi, arbitrantes habitum & consuetudinem peccandi minuere voluntarium. Inaniter etiam

CAPUT SECUNDUM.

De libero, seu de libertate.

Propositiones Proscriptæ.

PRopositiones ab Ecclesia proscriptæ contra dogma libertatis sunt sequentes:

I. *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.*

II. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

III. *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

ARTICULUS I.

In quo consistat essentia liberi arbitrii, seu libertas stricte sumpta?

I. LIberum, voluntarium, & spontaneum, licet aliquando confundantur, tamen si stricte sumantur, inter se differunt. Nam spontaneum stricte est id, quod est a principio intrinseco juxta inclinationem agentis cum cognitione materiali, seu pure sensitiva, ac proinde solis brutis convenit. Si minus stricte sumatur, est id, quod est a principio intrinseco cum aliqua cognitione sive spirituali, sive materiali, & nunc convenit hominibus & brutis.

Liberum est id, quod est a principio intrinseco seipsum per electionem determinante, & valente non agere. Unde liberum minus late patet, quam voluntarium. Nam omne liberum est voluntarium, quia omne liberum est a voluntate agente ex prævia cognitione spirituali: non autem e contra, quemadmodum constat exemplo amoris beatifici, de quo paulo ante mentionem fecimus.

Porro morale dicitur illud, quod est conforme, vel difforme regulæ morum. Naturale vero, quod est a principio intrinseco sine cognitione.

II. Ne-

---

iam se excusant peccatores habituati, quasi habitus quem voluntarie contraxerunt ob illam quam infert peccandi veluti necessitatem aliquod inferat præjudicium vel diminutionem libertatis: quia talis necessitas est voluntaria, & est necessitas solum moralis. Legatur D. Thom. 2. 2. quæst. 156. art. 3.

II. Neceſſarium, (9) violentum, &coactum, licet ſæpe confundantur, tamen ſtricte, & proprie ſumpta differunt inter ſe. Nam neceſſarium eſt id, quod eſt a principio ſive intrinſeco, ſive extrinſeco ad unum determinante. Violentum proprie eſt id, quod eſt a principio extrinſeco contra inclinationem patientis, carens omni cognitione, ut aſcenſus lapidis. Coactum dicitur illud, quod eſt a principio extrinſeco contra inclinationem patientis cognoſcitivi.

III. Libertas generatim idem eſt ac immunitas. Quare totuplex eſt libertas, quotuplex immunitas. Sextuplex autem immunitas aſſignatur, ſcilicet immunitas a ſervitute, ab impedimento, a miſeria, a peccato, a coactione, & a neceſſitate. Agitur hic ſolum de duabus ultimis, quæ dicuntur libertas naturæ importans potentiam agendi.

IV. Neceſſitas eſt determinatio ad unum. Duplex eſt, nempe violenta, quæ idem eſt ac coactio: & non violenta, quæ eſt determinatio ad unum abſque violentia, & dicitur neceſſitas ſimplex. Hæc rurſus duplex eſt, intrinſeca ſcilicet, quæ eſt determinatio ad unum, orta ex principio extrinſeco; & intrinſeca, quæ eſt determinatio ad unum ex principio intrinſeco.

Neceſſitas intrinſeca ſubdividitur in antecedentem, quæ eſt intrinſeca determinatio ad unum antecedens omnem liberam voluntatis determinationem: & conſequentem, quæ eſt intrinſeca ad unum determinatio, orta ex libera voluntatis electione.

Libertas a neceſſitate, de qua hic agitur, eſt libertas a neceſſitate ſimplici, intrinſeca antecedente, quæ vocatur liberum arbitrium, libertas indifferentiæ, & indifferentia activa. Dicitur indifferentia, quia ſecundum ſe eſt expers deter-

(9) Licet voluntas cogi poſſit quoad actus imperatos aliarum potentiarum, quia exerceri vel impediri poſſunt contra inclinationem voluntatis, v. g. homini volenti videre vi claudi poſſunt ejus oculi, vel videre nolenti poſſunt aperiri: tamen cogi non poteſt quoad ejus actus elicitos: quia procedunt a principio intrinſeco cum cognitione & inclinatione; immo ſunt ipſa inclinatio voluntatis: coactio vero eſt a principio extrinſeco contra inclinationem & contra reſiſtentiam ſubjecti violentiam patientis. Hinc nulla violentia facere poteſt, ut actus eliciti voluntatis involuntarii ſunt.

Porro violentia duplex eſt, perfecta vel abſoluta, & imperfecta: illa impedit totaliter voluntarium, cum voluntas ei omnino non conſentiat, ſed totaliter reſiſtat; hæc vero voluntarium duntaxat diminuit, cum voluntas conſenſum ſuum ei perfecte non deneget, ſed ex parte conſentiat, & ex parte reſiſtat.

determinationis ad unum, & activa, quia eſt potentia ſeipſam determinandi.

V. Libertas a neceſſitate ſimplici definitur a S. Thoma vis electiva, ſeu potentia eligendi. Eligere autem eſt unum e pluribus oppoſitis, quæ ſunt in poteſtate eligentis aſſumere, ſeu ponere, altero recuſato. Ex his pronum eſt colligere quid ſit hujuſmodi libertas.

VI. Cum libertas ſit potentia, & quidem completa, & expedita, agendi, & non agendi, ad libertatem requiritur duplex potentia, nempe potentia agendi & potentia non agendi, vel ponendi aliud incompoſſibile, quamvis non requiratur potentia ponendi ſimul duo oppoſita, quod repugnat. Per oppoſita intelliguntur incompoſſibilia, quæ ſcilicet non poſſunt ſimul poni.

VII. Libertas proprie dicta dividitur in libertatem contradictionis, ſeu exercitii, quæ eſt potentia determinandi ſeipſam per electionem ad utrumlibet ex duobus contradictoriis, qualia ſunt amor, & non amor; in libertatem contrarietatis, quæ eſt potentia ſe determinandi per electionem ad utrumlibet ex duobus contrariis, qualia ſunt amor & odium; & in libertatem ſpecificationis, quæ eſt potentia ſe determinandi per electionem ad utrumlibet ex duobus oppoſitis, ſeu incompoſſibilibus, quorum alia ſunt contradictoria, alia contraria, alia ſpecie tantum diverſa.

VIII. Duplex potentia, & impotentia diſtinguitur, nempe phyſica, & moralis. Potentia phyſica eſt virtus agendi proportionata operi faciendo; impotentia phyſica eſt carentia facultatis agendi. Potentia moralis eſt facultas agendi nullis gravibus difficultatibus implicata: impotentia moralis conſiſtit in maxima difficultate agendi, vel omittendi.

Ex his conſtat, in quo ſita ſit eſſentia liberi arbitrii: eſt enim liberum arbitrium potentia agendi, & non agendi, immunis ab omni neceſſitate ſimplici antecedente intrinſeca. Unde ad liberum arbitrium non ſufficit libertas a coactione, quemadmodum delirarunt Bucerus, Bajus, & Janſenius, ſed eſſentialiter requiritur libertas ab omni neceſſitate ſimplici antecedente, & intrinſeca.

ARTICULUS II.

De ſubjecto, objecto, & exercitio libertatis.

SUbjectum libertatis aliud eſt immediatum, & hoc eſt ſola voluntas, in qua ſola reſidet formaliter libertas, cum vis electiva, in qua conſiſtit libertas, ſit in ſola voluntate: aliud mediatum, ſeu denominationis, & eſt omnis,

nis, & sola natura intellectualis; nam omnis, & sola natura intellectualis cognoscit finem, ut finem, & media, ut media, & sic omnis, & sola potest unum præ alio eligere.

Libertas tamen arbitrii ita formaliter est in sola voluntate, ut tamen sit etiam aliquo modo in intellectu, nempe radicaliter, quatenus voluntas non est libera, nisi dependenter ab intellectu proponente objectum partim sub ratione boni, partim sub ratione mali, vel boni limitati, & ardui. Ad rationem autem libertatis sufficit apprehensio composita repræsentans objectum partim ut bonum, partim ut malum, vel bonum limitatum, & arduum.

Objectum libertatis nostræ sunt omnia bona particularia, sive vera, sive apparentia tantum. Nam cum ista nobis exhibeantur cum admixtione alicujus mali veri, vel apparentis tantum, aut saltem ut finita, insufficientia, & deflectibilia, possunt a nobis eligi, vel respui pro arbitrio. Quapropter (10) finis ultimus consideratus secundum (11) com-

---

(10) Finis definitur „ id cujus gratia fit aliquid, “ sive, „ bonum per se cujus obtinendi gratia medium assumitur “. Alius est *finis qui*, estque ipsa res quam quis acquirere sibi proponit per media quæ adhibet; alius, *finis cui*, estque persona cui aliquis bonum vult; alius, *finis quo*, estque actio qua finis objectivus, seu *finis qui* possidetur; alius, *finis operis*, estque illud ad quod actio per seipsam tendit; alius, *finis operantis*, estque ille quem agens in sua actione sibi proponit; alius, *finis ultimus*, quem ita intendit voluntas ut in eo sistere velit: sive in eo sistere debeat, & tunc vocatur *finis ultimatus*, sive non, & tunc vocatur finis ultimus *respective*; alius denique *finis intermedius*, estque ille in quem actio aliqua ita fertur, ut in alium finem pariter tendat.

Effectus præcipui finis sunt, 1. Amor vel complacentia in fine, ut possibili considerato. 2. Intentio, seu desiderium efficax eum acquirendi per media proportionata. 3. Consilium, seu deliberatio eligendi media huic acquisitioni magis idonea. 4. Electio mediorum. 5. Imperium intellectus ordinantis usum mediorum. 6. Usus ipsorum. 7. Fruitio, seu quies in fine proposito & intento.

(11) Beatitudo in genere est „ status omnium bonorum aggregatione perfectus “. Alia est naturalis quam rationalis creatura solis naturæ viribus assequi, potest; alia supernaturalis quæ solis divinæ gratiæ auxiliis potest comparari; hæc autem vel est inchoata, & est possessio gratiæ, supernaturaliumque virtutum, hominem ad æternam felicitatem disponentium; vel est consummata estque æterna Dei possessio; hæcque vel est essentialis, & consistit in visione primi objecti beatificantis; vel accidentalis, & consistit in visione objectorum inferiorum. Denique alia est objectiva, cujus possessio felices homines reddit; alia formalis, estque operatio, qua cum summo voluptatis sensu apprehenditur & possidetur summum bonum. In quo consistat

communem beatitudinis rationem, item bonum in communi, & summum bonum clare, & in se visum non possunt esse objectum libertatis. Nam non ex propria electione, sed ex instinctu naturali volumus esse felices.

Liberum tamen arbitrium, quale est in homine viatore, versari potest circa objectum, quod est reipsa finis ultimus, & beatitudo objectiva, nempe Deum. Nam sæpe homines deliberant, utrum beatitudinem suam in Deo, an in creaturis constituere, ac quærere debeant, seu velint, & reipsa cum summa Dei injuria, & summo suo malo in creaturis constituunt, & quærunt. Sed hoc est per *accidens* respectu libertatis nostræ, quatenus in hac vita *Deus* obscure cognoscitur.

CAPUT TERTIUM.

De bonitate, (12) & malitia actuum humanorum.

ARTICULUS I.

Quid requiritur, ut actus sit bonus?

Nota 1. Actio humana tum interna, tum externa considerari potest dupliciter nempe in genere naturæ, cum scilicet spectatur secundum suum esse physicum,

stat hæc beatitudo non conveniunt Theologi, sed hujus controversiæ cognitio parum conducit ad Moralis Theologiæ notitiam: unde ab illa expendenda abstinemus.

(12) Missis peculiaribus quorumdam Authorum opinionibus, communis Theologorum sententia est, moralitatem actuum humanorum consistere in convenientia vel disconvenientia cum recta ratione; quæ duplex est, altera increata, quæ in mente divina existit, & lex æterna dici solet; altera creata, quæ est lumen quod Deus creaturæ rationali infudit, sive legis æternæ cognitio, quæ ostendit id quod est faciendum vel fugiendum, vel id simpliciter quod est bonum quin homo teneatur illud facere, cujusmodi est consilium. Utraque hæc ratio est regula actuum humanorum cum hoc discrimine, quod ratio increata sit prima, ratio vero creata secunda, & solum quatenus conformis est rationi increatæ.

Ad hanc sententiam accedere videtur etiam noster Author, tum hic nota 1. 2. & 3. tum in Tract. de Pecc. cap. 1. quæst. 5. utrobique enim actus humani bonitatem & malitiam convenientia vel disconvenientia cum natura intellectuali, qua tali, reperit ipse, proindeque a convenientia vel disconvenientia cum recta ratione. Quod si alicubi scribit, actum in genere moris spectari secundum libertatem &c. his

cum, seu entitatem suam; & in genere moris, nempe secundum libertatem, & honestatem, vel malitiam moralem, & capacitatem laudis, vel vituperii, meriti, vel demeriti. Hic autem spectatur tantum hoc ultimo modo.

Nota 2. Actus humani duplex distinguitur bonitas, nempe transcendentalis, & moralis. Bonitas moralis, de qua sola hic agitur, est bonitas in ordine ad mores, & subdividitur in materialem, & formalem. Bonitas materialis consistit in speciali conformitate actus cum natura intellectuali, ut tali: in opposito vero malitia materialis consistit.

Bonitas formalis est materialis bonitatis imputabilitas ad laudem, & meritum, quæ adest cum actus honestus fit libere. Hæc autem imputabilitas nihil aliud est, quam denominatio extrinseca petita a voluntate scienter, ac libere actum suum exercente modo decenti naturam rationalem.

Nota 3. Præter moralem bonitatem actus humani tum materialem, tum formalem, datur bonitas objectiva moralis, quæ est id, vi cujus res aliqua appeti potest modo decenti naturam intellectualem, & (13) consistit in speciali convenientia objecti cum natura intellectuali, ut tali: nihilque aliud est realiter, quam objectum ipsum conveniens naturæ intellectuali, ut tali. Hæc bonitas dicitur objectiva, quia apta est esse objectum tum terminativum, tum motivum actus interni. Dicitur etiam moralis, quia pertinet ad mores, & per modum objecti facit actum internum bonum moraliter.

Nota 4. Objectum voluntatis duplex est, nempe materiale, estque illud, quod voluntas appetit, vel refugit; & formale, & illud est, propter quod voluntas appetit, vel refugit aliquid. Actus autem internus bonus speciem sumit non ab objecto materiali, sed a formali, a quo solo accipit ultimam suam differentiam essentialem. Hinc actus habentes idem objectum formale, licet habeant diversa objecta materialia, sunt ejusdem speciei: sic actus, quo ama-

his aliisque similibus locutionibus nil aliud vult nisi, ut actus sit vere ac proprie moralis, libere fieri debere, & ad hoc libertatem prærequiri, quia moralitas ab illa tamquam a suo fundamento dependet, perinde ac libertas dependet a voluntarietate; non autem (ut subdubitat P. Staidel) quod moralitatis essentia sita sit in libertate.

(13) Porro objectum voluntatis, vel est conforme naturæ intellectuali intrinsece, & ex natura rei, ut amor Dei, vel extrinsece tantum, & vi legis positivæ, ut auditio sacri die festo: in primo casu est invariabile; in secundo vero idem objectum aliquando bonum, aliquando malum esse potest ex circumstantiis.

amatur Deus propter suam bonitatem absolutam, & actus quo amatur proximus propter eamdem bonitatem divinam, sunt ejusdem speciei: e contra actus habentes diversa objecta formalia licet habeant idem objectum materiale, sunt diversæ speciei, ut actus, quo amatur Deus, quia in se bonus est, & actus, quo amatur Deus, quia est summum nostrum bonum; nam prior est actus charitatis, alter vero actus concupiscentiæ, seu spei.

Agitur hic de bonitate materiali; nam supponitur actus libere fieri.

Dico 1. Ut actus (14) sit bonus bonitate materiali necesse est ut ha-

(14) Actus bonus diversimode ab objecto, a fine, a circumstantiis suam accipit bonitatem; nam ab objecto eam accipit primario, cum moralitas ab objecto ei conveniat ante aliam quamcumque moralitatem: a fine vero & circumstantiis eam accipit solum secundario, & accidentaliter, cum actus sine illis concipi possit, & aliæ moralitates mutari possint, non autem ea quæ est ab objecto.

Circumstantiæ sunt accidentia exteriora quæ comitantur actionem, & in actionis malitiam aut bonitatem influunt. Septem communiter recensentur, hocque versiculo comprehenduntur.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quis significat qualitatem illius qui facit actionem, e. g. an sit clericus vel laicus, persona publica vel privata, &c. *Quid* significat qualitatem vel quantitatem rei vel objecti vel qualitatem personæ circa quam peccatur. *Ubi* significat locum in quo actio facta fuit, an nempe talis locus sit sacer, an profanus. *Quibus auxiliis* significat media vel instrumenta adhibita ad actionem faciendam. *Cur* finem extrinsecum actus, seu operantis denotat. *Quomodo*, denotat modum accidentalem actus, v. gr. ejus intentionem vel remissionem, &c. *Quando* denique significat tempus quo facta fuit actio.

Circumstantiæ aliæ mutant speciem actionis, & sunt illæ quæ dant vel tollunt ab actione aliquam bonitatem aut malitiam ab objecti immediati malitia specie diversam: aliæ speciem non mutant, sed intra eamdem speciem malitiam aut bonitatem actionis augent. Ut id facilius intelligas sequentes accipe regulas.

Regula I. Quando circumstantia facit actum repugnare alicui virtuti cui alioqui non repugnat, tunc ipsa mutat speciem actus peccaminosi: quia tunc in tali actu sunt plures malitiæ specie diversæ. Immo circumstantia, etiamsi non efficiat actum adversari alteri virtuti, mutare potest aliquando speciem actus peccaminosi; patet in illo qui in uno casu sit avarus, in altero prodigus. Ratio est quia recessus ab eadem virtute tam varius esse potest, ut unus ab altero differat.

II. Novam peccati speciem omnis & sola circumstantia superinduit quæ ex seipsa specialem habet repugnantiam cum lege æterna, quam non habet actus præscindendo ab illa circumstantia.

III. Circumstantia quantitatis objecti, ut multum & parum, &c. vel ipsius actus, ut intentio, duratio, frequentia, &c. non mutat speciem actus ex parte conversionis, quamvis eum mutet ex parte aversionis, quando de veniali pec-

ut habeat tum objectum bonum, vel de se indifferens, sed conducibile ad finem bonum, seu honestum, tum finem honestum, tum circumstantias objecto debitas. Enim vero si unum ex his desit, actus non habet specialem conformitatem cum natura intellectuali, ut intellectuali; nam non tendit decenter, & conformiter naturæ intellectuali in objectum, finem, & circumstantias: unde non approbatur a recta ratione, sed improbatur, ut patet. Quapropter receptum ab omnibus axioma dicit: *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu*.

Dico 2. Ut actus internus prosecutivus sumat bonitatem ab objecto habente bonitatem objectivam, non sufficit, quod hæc bonitas sit cognita, sed debet esse formaliter, directe, & secundum (15) se volita, & esse aliquo modo motivum prosequendi objectum.

Enim vero Augustinus in Psalm. 41. hæc habet: *Bonum opus intentio facit: non valde attendas quid homo facit, sed quid cum facit aspiciat*. Idem tradit S. Thomas 1. 2. quæst. 19. art. 7. ad 3. Ratio quoque suffragatur. Ut actus prosecutivus sit bonus, debet appetere objectum modo decenti naturam rationalem. Atqui actus non appetit objectum modo decenti naturam rationalem, nisi illud appetat propter motivum conveniens naturæ rationali, ut rationali, ideoque propter honestatem, ut patet. Ergo &c.

Non est eadem ratio de malitia, quæ cum exigat quovis

---

li peccato facit mortale. Ratio est quia peccatum mortale differt specifice a veniali, non quidem ex parte conversionis, sed ex parte aversionis a Deo.

Tenemur sub mortali accusare nos in confessione de circumstantiis alicujus criminis notabiliter aggravantibus, & de illis quæ mutant speciem cum ipsæ mortales sunt. ~~Primum~~ postremum est certum, quia a Concilio Tridentino definitum. Alterum, sin certum, tamen certitudini proximum est, quia Confessarius sine notitia circumstantiarum notabiliter aggravantium intra eamdem speciem medici, judicis, ac Doctoris munera explere non potest. Porro circumstantiæ notabiliter aggravant malitiam intra eamdem speciem, quando virtualiter & æquivalenter multiplicant peccatum mortale.

(15) Ut actus sit moraliter bonus, necesse est, bonitatem objecti esse secundum se volitam, saltem confuse, & voluntatem, saltem confuse, niti in objectum ut bonum & honestum; non autem sufficit, ut in se sit honestum & bonum: patet in eo e. gr. qui ex solo humanæ æstimationis comparandæ desiderio reddit alteri quod suum est; non autem propter ipsam honestatem. Ast ut actus sit moraliter malus, non requiritur, ipsam objecti malitiam directe intendi; alioquin nemo aut pene nemo peccaret; sed sufficit eam intendi indirecte, & interpretative: quia quovis modo malitia fugi debet.

vis modo fugi, propterea contra rationem agit, qui eam quovis modo etiam indirecto, & interpretativo appetit. Hinc qui se inebriat, quamvis non velit directe privationem usus rationis, & malitiam ebrietatis, sed solum delectationem, quæ in potando percipitur, turpiter agit, & peccat.

Dico 3. Ut actus aversativus objecti mali sit bonus debet illud aversari propter finem honestum. Hæc conclusio patet, cum ex præcedentibus facile eruatur.

ARTICULUS II.

Utrum actus internus sumat bonitatem a fine extrinseco, & circumstantiis?

Nota 1. Agitur hic de fine extrinseco ex se bono; nam actus internus nullam potest sumere bonitatem ab objecto indifferenti, quod non habet id, vi cujus voluntas in illud tendere potest decenter naturæ rationali; alioqui jam esset bonum, non indifferens: objectum autem eatenus bonitatem actui interno dare potest, quatenus ex se habet id, vi cujus voluntas in illud tendere potest conformiter naturæ rationali.

Nota 2. Circumstantia moralis est affectio accidentalis actui spectato in genere moris, aliquid tamen ad bonitatem, vel malitiam illius conferens. Circumstantiæ aliæ augent, vel minuunt tantum bonitatem, aut malitiam moralem infra eamdem speciem, aliæ vero novam speciem bonitatis, vel malitiæ dant, vel addunt speciei actus humani. Porro circumstantia speciem mutans est quidem essentialis actui humano adæquate sumpto secundum omnes bonitates, vel malitias specie diversas, quas habet; at est accidentalis eidem actui inadæquate sumpto, nempe secundum speciem bonitatis, vel malitiæ, cui altera bonitatis, vel malitiæ species supervenit.

Nota 3. Circumstantiæ septem vulgo assignantur, hoc versu contentæ:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Tamen motivum actus significatum voce *cur* non est proprie circumstantia, quia finis, seu motivum dat speciem actui humano.

Nota 4. Agitur hic solum de circumstantiis se tenentibus ex parte objecti, & aliquam bonitatem moralem habentibus, non vero de circumstantiis se tenentibus ex parte actus, ut sunt intensio, duratio, &c.

Nota 5. Actus alio melior esse potest tripliciter, essentialiter, dum fit ex perfectiore motivo, intensive, dum fit

cum majore conatu, seu ardore, & vehementia; & extensive, cum se extendit ad plura objecta bona, seu honesta, quatenus honesta.

Dico 1. Actus voluntatis sumit bonitatem in aliqua specie virtutis a fine extrinseco, quando voluntas propter ejus bonitatem tamquam motivum prosequitur objectum aliquod de se indifferens, vel etiam bonum: tunc enim actus in objectum suum tendit modo naturam rationalem specialiter decenti. Quod si objectum, quod voluntas propter finem extrinsecum appetit, sit bonum, & voluntas illud non solum propter bonitatem objectivam finis extrinseci, sed etiam propter specialem ejus bonitatem objectivam appetat, tunc actus voluntatis moraliter bonus est in duplici specie virtutis, nempe in specie virtutis, ad quam pertinet bonitas finis, & in specie alterius virtutis, ad quam pertinet bonitas objecti materialis. Si vero voluntas non appetat objectum bonum nisi propter bonitatem finis extrinseci, tunc actus voluntatis est tantum in unica specie virtutis. Ratio est, quia in primo casu actus duplicem habet modum tendendi in objectum specialiter naturam rationalem decens, in secundo vero unicum habet. Hinc qui vult esse temperans, ut sit castus, si tum temperantiæ, tum castitatis bonitate objectiva afficitur, actus ille est simul actus internus temperantiæ, & castitatis. Si autem sola bonitate castitatis afficitur, actus ille est solius castitatis actus.

Dico 2. Actus voluntatis sumit etiam bonitatem a fine extrinseco bono, quando voluntas propter bonitatem illius aversatur objectum aliquod ex se malum, vel indifferens; tunc enim voluntatis actus tendit in objectum suum modo naturam rationalem specialiter decente propter specialem conformitatem, quam finis extrinsecus habet cum natura rationali, ut rationali.

Dico 3. Actus voluntatis a circumstantiis bonis, seu convenientibus bonitatem sumit, etiam specie diversam a bonitate objecti, si illarum bonitas sit specie diversa a bonitate objecti, & propter se appetatur: tunc enim actus voluntatis tendit in objectum modo naturam rationalem specialiter decente non solum propter bonitatem objecti propriam, sed etiam ob bonitatem propriam circumstantiarum. Hinc volitio sublevandi miseriam patris pauperis, & quia pauper, & quia pater est duplicem habet bonitatem in duplici specie virtutis, nempe misericordiæ, & pietatis.

Quod si circumstantia habet bonitatem eadem specie cum bonitate objecti, tunc auget solum bonitatem actus interni intra eamdem speciem, & actus melior est extensive.

ARTI-

ARTICULUS III.

Unde actus internus sumat malitiam, & quid ad hoc requiratur?

Nota 1. MOralis malitia actus duplex est, materialis, quæ consistit in disconvenientia actus cum natura rationali, ut rationali; Hæc autem disconvenientia cum natura rationali, proindeque cum lege divina, dicitur malitia moralis, quia facit malos mores, & repugnat regulæ morum: & formalis, quæ est malitiæ materialis imputabilitas ad vituperium, & pœnam. Itaque actus malus adæquate moralis est actus disconveniens naturæ rationali imputabilis ad vituperium, culpam, & pœnam: hæc autem malitiæ imputabilitas est denominatio extrinseca petita a voluntate disconvenienter naturæ rationali agente libere, & scienter, vel saltem cum ignorantia, aut inadvertentia vincibili disconvenientiæ actus cum natura rationali, & lege divina.

Nota 2. Præter actus interni malitiam materialem, & formalem, est etiam malitia objectiva moralis, quæ est specialis difformitas, quam habet objectum cum natura rationali, ut rationali.

Dico 1. Actus internus sumit malitiam ab objecto, fine, & circumstantiis moralibus. Nam actus quo quis libere vult objectum malum, vel objectum bonum propter finem malum, vel objectum bonum propter finem bonum, sed in circumstantia mala, hoc ipso malus est moraliter, ut patet. Sic 1. Volitio furandi ad solvenda debita est mala, quia habet objectum malum. 2. Volitio dandi eleemosynam propter vanam gloriam est mala, quia habet finem malum. 3. Volitio celebrandi sacrum propter fines bonos, sed in loco indecenti, vel interdicto, aut tempore vetito est mala ob circumstantiam malam.

Dico 2. Actus voluntatis sumit malitiam ab objecto, fine & circumstantiis, quamvis malitia ignoretur etiam invincibiliter: nam actus naturam rationalem dedecet, in qua disconvenientia sita est materialis malitia, hoc ipso, quod vult objectum de se malum, vel objectum bonum propter finem malum, vel objectum bonum propter finem bonum, sed in circumstantia mala.

Dico 3. Ut malitia objectiva tribuat actui voluntatis malitiam formalem sufficit, quod sit cognita; nec requiritur, ut sit secundum se volita. Nam hoc ipso actus voluntatis habet malitiam formalem, quod habet malitiam materialem imputabilem ad vituperium & pœnam. Hanc autem

habet hoc ipso, quod vult objectum malum, vel objectum bonum propter, &c. cum libertate, & cognitione malitiæ objecti, vel finis, vel circumstantiæ. Ergo &c.

Immo ad malitiam formalem non requiritur actualis cognitio malitiæ objectivæ, sed sufficit, quod hæc potuerit, & debuerit cognosci. Quia ignorantia, vel inadvertentia vincibilis non excusat ab imputabilitate malitiæ actus; sed in æstimatione prudenti æquivalet actuali cognitioni quantum ad imputabilitatem actus ad vituperium, & pœnam, licet non tantam, si ignorantia non sit affectata.

Ex dictis inferes unum, eumdemque actum posse habere triplicem malitiam specie diversam, non solum objectivam, sed etiam formalem. Quia objectum, finis, & circumstantia actus habere possunt malitiam objectivam specie inter se diversam cognitam, vel nonnisi culpabiliter ignoratam. Talis est actus, quo quis furari vult in loco sacro ad fornicandum.

ARTICULUS IV.

Utrum idem actus voluntatis possit esse simul bonus, & malus?

DIco. Idem actus (16) voluntatis non potest esse simul bonus, & malus. Nam actus est simpliciter malus, non bonus, ex quo habet vel objectum malum, vel malum finem, vel circumstantiam malam, (17) cum hoc ipso dedeceat natu-

(16) Licet idem actus non possit esse simul bonus & malus; tamen in genere moris potest esse successive bonus & malus; patet in eo qui, carnes comedens tempore licito, eam continuaret tempore vetito. Similiter, unus idemque actus potest simul habere duas moralitates ejusdem generis, nempe duas bonitatis aut malitiæ species, alteram ex objecto, alteram ex fine: idque certum est apud omnes.

(17) Circumstantia mala actioni de se bonæ dupliciter adnecti potest. 1. Antecedenter, cum nempe in actum influit, ut causa ipsius, ut e. g. si quis jejunet, ut hominem laudes assequatur. 2. Concomitanter, cum nempe actioni de se bonæ & in bonum finem directæ accedit in operis decursu aliquid mali, ut si quis inchoato jejunio in bonum finem gloriam inanem inter jejunandum quærat. Rursus circumstantia potest esse mala mortaliter, vel venialiter. Porro certum est, circumstantiam mortaliter malam totum actum vitiare. At certum est pariter, circumstantiam malam venialiter non destruere omnem bonitatem actionis, quam ipsa sequitur. Quia circumstantia venialiter mala, quæ bonam actionem sequitur, non est nec causa efficiens, nec causa finalis hujus actionis: nec illa intrinseca est, sed est actus potius diversus qui eam comitatur.

naturam rationalem. At vero actus sub aliqua ratione naturam rationalem dedecens malus est, & minime bonus. Ergo &c.

Dices. Actus, quo quis vult e. g. dare eleemosynam propter motivum misericordiæ, & simul propter vanam gloriam, est bonus ex parte boni motivi, & malus ex parte mali motivi. Nam per hujusmodi actum voluntas vult objectum bonum in circumstantiis debitis.

Secundo per talem actum voluntatem tendere in objectum modo naturam rationalem dedecente: nam simpliciter dedecet naturam rationalem appetere bonum propter *malum*, & sic velle malum. Sic etiam voluntas per hunc actum vult simul, & indivisibiliter bonum objectum propter aliud motivum malum; unde malus est simpliciter: bonum enim ex integra causa, malum vero ex quolibet defectu.

ARTICULUS V.

Utrum dentur (18) actus indifferentes in individuo, hoc est, qui neque boni, neque mali sint, spectatis omnibus circumstantiis, & præsertim fine?

DIco. Nullus datur actus deliberatus, qui neque bonus, neque malus sit ex objecto, circumstantiis, & fine. Id enim habetur 1. ex cap. 12. Matth. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* 2. Ex Augustino l. 4. cont. Jul. cap. 3. scribente: *Quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri deberet sapientia præcipit, etsi officio* (idest ex objecto materiali) *videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* 3. auctoritate S. Thomæ 1. 2. quæst. 18. art. 9. ex qua hoc argumentum confici potest. Quilibet actus deliberatus vel ordinatur in finem debitum rationis, vel non ordinatur.

(18) Actus indifferens est ille qui nec bonus nec malus est moraliter. Dupliciter considerari potest, *in specie*, ut ajunt & *in individuo*. Consideratus *in specie* est actus consideratus duntaxat, quoad ejus objectum. Consideratus *in individuo* est actus consideratus quoad ejus objectum, finem, omnesque circumstantias in quibus fit. Certum est dari actus indifferentes in specie, ut ambulare, levare paleam, &c. quia istarum objectum est indifferens, & ad mores non pertinet. At disputatur de actibus in individuo. Longe probabilior est Authoris sententia, & quidem utraque probabilitate, nempe tam intrinseca quam extrinseca.

tur. Si ordinatur, congruit cum ordine rationis, & a recta ratione approbatur: ergo bonus est. Si non ordinatur, repugnat ordini debito rationis, & improbatur a recta ratione, ergo malus est. Erg. &c. 4. Ratione. Homo deliberate agens tenetur semper agere propter finem honestum; nam tenetur semper agere propter finem consentaneum naturæ suæ rationali, quatenus rationali, qui est finis honestus. Vel igitur homo agit propter hunc finem, vel non: si ita agit, bene agit; si ita non agit, agit male. Ergo &c.

Neque dicas: hominem licite agere propter finem conformem legi permittenti. Nam 1. sine fundamento asseritur lex permittens finem non honestum: videmus enim in omni agente, sive naturali, sive artificiali exigi bonitatem sibi propriam; ergo etiam in agente rationali. 2. Lex permittens non potest esse motivum actionis, sed est duntaxat conditio removens impedimentum agendi: nam motivum, seu finis actionis debet esse aliquod bonum. Sed id, quod est præcise conforme legi permittenti, non est bonum: ergo non potest esse finis actionis.

Præterea. Finis cujuslibet actus deliberati vel est bonum honestum, vel jucundum: nam bonum utile appetitur solum propter aliud, ad quod conducit, proindeque non potest esse finis. At si finis actus sit bonum honestum, actus est bonus, modo aliunde non vitietur: si finis sit bonum jucundum, actus est malus: nam qui agit duntaxat propter bonum jucundum, seu propter delectationes agit inordinate, cum verum ordinem ab auctore naturæ institutum pervertat, quandoquidem juxta rerum ordinem institutum ab auctore naturæ delectatio sit propter operationem, non autem operatio propter delectationem. Ergo nullus actus in individuo spectatus, qua ratione præcipue consideratur secundum finem, est indifferens.

Hinc collige delectationem a natura rebus inspersam esse veluti sal, & condimentum quoddam, quod non propter se quæreretur ab agente rationali, sed quo duntaxat alliceretur ad actiones quasdam conservationi, & perfectioni necessarias, & utiles, quas faceret ex fine naturæ rationali, ut rationali consentaneo, ideoque honesto. Hinc lex bene agendi non vetat usum delectabilium in certis circumstantiis, sed eum regulat jubendo, ut ad finem honestum referatur.

ARTI-

ARTICULUS VI.

Utrum actus externi habeant bonitatem, vel malitiam objectivam?

EX actibus externis alii habent bonitatem intrinsecam: nam alii ex se habent convenientiam cum natura rationali, vi cujus possunt ab ea decenter appeti, & imperari, ut solutio debiti; alii malitiam intrinsecam; nam alii ex se habent disconvenientiam cum natura rationali, vi cujus nec imperari, nec appeti possunt, nisi dedecenter, ut furtum, blasphemia: alii demum neutram habent ex se, ut deambulatio, unde dicuntur indifferentes ex objecto.

ARTICULUS VII.

Utrum actus externus (19) *augeat bonitatem, vel malitiam formalem actus interni?*

ACtus externus per se non auget bonitatem, vel malitiam formalem actus interni, a quo efficaciter imperatur. Nam 1. voluntas efficax pro facto reputatur, ac imputatur in Scriptura: Gen. 22. Matth. c. 5. & alibi. 2. Augustinus in Psalm. 57. hæc habet: *Quidquid vis, & non potes, factum Deus computat*. 3. Quia actus externus non habet libertatem, nec rationem voluntarii distinctam a libertate actus interni, a quo imperatur, cum a potentia necessaria immediate procedat, & non sit liber, nisi quia imperatur ab actu interno. Præterea, cum actus internus

(19) Actus externus hoc loco est omnis actus a voluntate imperatus; internus vero, omnis actus a voluntate elicitus. Recte autem scribit Author, actum externum per se non augere bonitatem vel malitiam formalem actus interni: quia licet tota bonitas vel malitia formalis actus externi ipsi adveniat ab actu interno, juxta communem Theologorum doctrinam: tamen bonitas objectiva actus externi ei non advenit ab actu interno, sed huic potius ab actu externo, cum prius inveniatur in actu externo debitis circumstantiis induto; prius enim proponitur voluntati a ratione, deinde voluntas ad illum se movet.

Sed quamvis actus externus formalem moralitatem actui interno per se non addat: nihilominus dubio procul aperienda est actus externi circumstantia. 1. Quia ex hac declaratione magis aperitur efficacia & gradus voluntatis. 2. Quia alia peccatis quæ in corde consummantur, alia, quæ foris prodeunt, remedia applicari debent. 3. Quia actus exterior inducit censuras, onus restituendi, & similia quæ ex solo actu interiori non consequuntur.

ternus efficax est, si actus externus non ponitur, hoc ideo est, quia deest potestas eum ponendi, idque proinde involuntarium est. Quod autem est prorsus involuntarium non auget imputabilitatem sive ad laudem, & præmium, sive ad vituperium, & pœnam, ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 20. art. 4. & per se patet.

Per accidens tamen, seu occasionaliter actus externus sæpissime auget bonitatem, vel malitiam actus interni, a quo imperatur. Nam actus internus in executione intenditur propter arduitatem, aut delectationem ortam ex actu externo, vel diutius continuatur propter longiorem temporis moram necessariam ad opus externum perficiendum, vel ob utramque caussam sæpius iteratur.

TRACTATUS
DE CONSCIENTIA.

Conscientia est judicium, seu actus, quo intellectus judicat aliquid hic, & nunc licitum esse, vel illicitum, faciendum, ut bonum; vel omittendum, ut malum. Hinc conscientia differt a synderesi, ut actus ab habitu. Nam synderesis est habitus, seu cognitio habitualis primorum principiorum moralium, qualia sunt: *Bonum faciendum: Peccatum fugiendum: Deus colendus, & amandus: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris &c.* Conscientia autem est judicium applicans principium morale alicui actioni particulari v. g. *Non debeo huic homini inferre hoc damnum, &c.*

Conscientia dividitur in veram, seu rectam, & erroneam; certam, & incertam; probabilem, & improbabilem; scrupulosam, & laxam; perplexam, & dubiam, (1) quamvis hæc non sit proprie conscientia.

CA-

(1) Dividitur ulterius conscientia in *antecedentem*, quæ antecedit nostras operationes, diciturque *conscientia faciendorum; consequentem*, & est dictamen rationis quo recognoscimus nos hoc vel illud fecisse vel omisisse, vel id quod fecimus vel omisimus esse bene vel male factum vel omissum, diciturque *conscientia factorum; præcipientem*, quæ dictat aliquid esse de præcepto: *consulentem*, quæ dictat aliquid esse de consilio; & permittentem, quæ dictat aliquid esse mere permissum.

CAPUT PRIMUM.

De conscientia vera, erronea, & perplexa.

CONscientia vera est ea, (1) quæ dictat aliquid in particilari esse licitum, vel illicitum, bonum, aut malum, quod reipsa tale est in se. Erronea, seu falsa, quæ dictat oppositum. Hæc duplex est; alia erronea vincibiliter, seu ex errore, qui depelli potuit, ac debuit; alia invincibiliter.

Quæst. I. At tenemur sequi conscientiam rectam dictantem aliquid præceptum, vel vetitum esse?

Resp. Affirm. Quia dictat esse faciendum, vel omittendum id, quod lex æterna præscribit faciendum, vel omittendum esse hic, & nunc, seu in talibus circumstantiis. Quare qui contra conscientiam rectam agit, peccat.

Quæst. II. An, & quale peccatum est agere contra conscientiam erroneam?

Resp. 1. Actio, vel omissio contra conscientiam sive vincibiliter, sive invincibiliter erroneam, dictantem eam esse illicitam, est semper peccatum, quamvis ex se licita sit. Ita omnes. Id perspicue constat ex Scriptura. *Omne, quod non est ex fide*, (idest ex dictamine conscientiæ, seu ex persuasione, quod sit licitum) *peccatum est*. Ad Rom. 14. Ratio etiam suffragatur. Objectum voluntatis est bonum, vel malum, non quomodocunque, sed prout ab intellectu proponitur. Sed agens contra conscientiam erroneam consentit in objectum sibi propositum ut malum. Ergo consentit in objectum malum. Ergo &c. Præterea is in æstimatione prudenti censetur perinde velle malitiam, ac si actio illa esset de se mala; cum nolit ab illa abstinere, quamvis ei proponatur, ut mala. Hinc qui agit contra conscientiam peccat contra legem divinam naturalem, vetan-

(1) Inter conscientiam veram & rectam aliquod discrimen intercedit: nam, juxta Theologos, conscientia vera ea est quæ dictat aliquid licitum vel illicitum esse quod revera est tale; recta vero est illa quæ gravibus fundamentis innixa dictat aliquid esse licitum vel illicitum; ita ut nullam rationabilem oppositæ partis formidinem in animo relinquat. Hinc licet impossibile sit, hominem peccare sequendo conscientiam rectam; peccat tamen aliquando sequendo conscientiam veram; patet id e. g. in uxore, negante debitum viro quem vere judicat non esse suum, sed id temere judicat, idest ex levi fundamento.

Dupli-

tantem omnem consensum, & affectum ad id, quod putatur malum etiam ex errore.

Resp. 2. Peccatum contra conscientiam erroneam admissum habet eam speciem, & gravitatem, (3) quam quis ex errore judicat inesse actioni, vel omissioni suæ. Est communis sententia: nam is vult peccatum committere, quale esse conscientia dictat. Hinc peccat mortaliter contra temperantiam, qui falso putans tali die esse jejunium, non jejunat; contra justitiam, qui non restituit id, quod falso putat non esse suum &c.

Licet is, qui contra conscientiam erroneam agit perinde peccet, ac alter qui contra rectam; non incurrit tamen easdem pœnas humanas, ac censuras; quia hæ non imponuntur nisi transgressoribus legis veræ, non autem putatitiæ. Unde non incurrit excommunicationem, qui e. g. percutit laicum putans esse clericum.

Resp. 3. Qui facit, quod falso putat esse illicitum, non distinguens an veniale, an mortale sit, peccat mortaliter: tum quia vult objectum illud, etiamsi esset mortaliter malum: tum quia se exponit morali periculo peccandi graviter spectata sua mente. Quod si apprehendat peccatum in genere tantum, & non in ulla specie, peccat contra charitatem Dei, & propriam, vetantem quodlibet peccatum, utpote offensam Dei, & malum peccantis.

Quæst. III. An licet agere secundum conscientiam erroneam?

Resp. 1. Si sit invincibiliter erronea non solum licet huic obsequi, quia ignorantia invincibilis excusat a peccato, cum tollat omne voluntarium circa malum; sed etiam tenemur eam sequi in iis, (4) quæ dictat esse præcepta, vel

---

Dupliciter autem conscientia recta dici potest, nempe quoad se, quando revera est conformis legi æternæ: & quoad nos, quando conformitatem conscientiæ nostræ cum lege æterna cognoscimus, vel per rationem naturalem, vel per revelationem ei superadditam.

Duplex quoque est rectitudo rationis; altera speculativa, & consistit in conformitate ad prima principia; altera practica, & consistit in conformitate rationis ad fines rectos, seu ad rectum appetitum; ut loquitur S. Thom. 1. 2. q. 57. art. 5.

(3) Nihilominus, juxta Div. Thom. & Doctores passim, agere contra conscientiam non est peccatum speciale ab illo distinctum, ita ut duo perpetrentur peccata, alterum contra virtutem, contra quam ex errore actus ille esse putatur, alterum contra conscientiam erroneam; nisi contra conscientiam agens intendat ei resistere: tunc enim speciale committit peccatum inobedientiæ, seu contemptus regulæ suæ in confessione specialiter exprimendum.

(4) Agere contra conscientiam invincibiliter errantem non est sem-

vel prohibita. Quia alioqui, cum ipſa deponi nequeat, ageremus contra illam, quod non licet. Non tamen eſt proprie regula morum, nec proprie obligat, cum non ſit legis veræ intimatio.

Reſp. 2. Numquam licet agere ſecundum conſcientiam vincibiliter erroneam: cum ignorantia vincibilis, utpote voluntaria, non excuſet a peccato, & id, quod ex ea fit, ſit ſaltem indirecte voluntarium: neque etiam licet agere contra eam, ut modo dixi, ſed ipſa deponi debet prudenter, (5) rem pro ejus gravitate diligenter perpendendo, pios, & peritos conſulendo, praxim timoratorum atten-den-

---

ſemper peccatum mortale; ſed aliquando veniale eſt, ſi conſcientia illud veniale eſſe dicat; ſive interim actio ſit bona in ſe ſive mala, ſive graviter aut leviter mala; aliquando vero mortale, ſi mortale illud eſſe dictet. Ratio eſt quia in hiſce actionibus tale eſt peccatum quale voluntas ipſum vult. Aſt ſecus eſt de illo qui agit contra conſcientiam vincibiliter errantem: is enim, licet apprehendat ut leve, quod reipſa eſt grave, graviter peccat: quia materia gravis ſufficit ad peccatum mortale, *niſi* error conſcientiæ tollat *conſenſum*, quem non tollit error *vincibilis* cum ſit voluntarius.

(5) Obligationes deponendi conſcientiam erroneam, aliæ ſe tenent ex parte pœnitentis, & ſunt illæ quas Author commemorat; aliæ ſe tenent ex parte Confeſſarii, & ſunt ſequentes. 1. Confeſſarius tenetur monere pœnitentem de errore, cum ipſe interrogat, an talis actio ſit peccatum nec ne: quia qui confeſſarium interrogat, aliquid dubii in mente habet, proindeque ignorantia invincibili non laborat. Et hoc verum eſt, etiamſi Confeſſarius prævideat monitionem ſuam non profuturam. 2. Si pœnitens ignorantia invincibili laboret, debet moneri. 1. Cum ſpes emendationis effulget. 2. Cum ignorat media ad ſalutem neceſſaria; etſi nihil boni ex tali monitione ſperetur. 3. Si error in boni communis detrimentum vergat (quia bonum commune prævalet privato) aut in grave proximi incommodum (quia charitas, & ſæpe etiam juſtitia, poſtulat ut grave proximi damnum, cum poſſumus, avertamus). 4. Si ignorantia pœnitentis verſetur circa principia juris naturalis, non ſolum primaria, quæ invincibiliter nequeunt ignorari, verum etiam ſecundaria, quæ non ita facile invincibiliter ignorantur, aut ſi ita ignorantur, talis ignorantia facile vincibilis eſt. Extra hos caſus, non debet moneri, ſi monitio magis nociva quam utilis futura eſſe prævideatur, quia ad actum inutilem & a fortiori ad actum periculoſum nemo tenetur.

Cæterum, ut quis agendo contra conſcientiam erroneam peccet, quinque requiruntur: 1. Ut in agente ſit vera conſcientia, non mera anxietas, ſcrupulus, ſuſpicio quod actio ſit illicita. 2. Ut conſcientia ſit antecedens. 3. Ut conſcientia, etiam antecedens, ſit præcipiens aut prohibens. 4. Ut actio vel omiſſio contra conſcientiam ſit libera. 5. Denique ut actio vel omiſſio eo tempore contingat quo nondum error depoſitus eſt. Ita Cl. P. Bonaventura Staidel in hoc Tr. p. 36. num. 4.

dendo &c. Quod si error deponi nequeat, & electio urgeat, e. g. si non possis veritatem per te invenire, nec adsit peritior, quem consulas, tunc debes orare, & elicere actum contritionis de priori peccato ignorantiæ, & eligere eam partem, in qua putas esse minus mali: & sic excusaberis ab ulteriori culpa, quia tunc error e vincibili fiet invincibilis, & involuntarius; cum ejus causa fuerit retractata, & facias jam quod in te est, ut non pecces. Si tamen eligendo partem illam, in qua minus mali esse arbitratus es, damnum aliquod cuipiam attulisti, puta, si rem alienam rapuisti, ut subvenires egeno non laboranti extrema necessitate, teneris resarcire damnum illatum; nam retractatio prioris ignorantiæ, & negligentiæ non facit, ut non fuerit libere posita causa damni, neque ut damnum ex ea non sit secutum.

Quæst. IV. Quid est conscientia perplexa?

Resp. Est judicium practicum, dictans esse peccatum, sive actus hic, & nunc fiat, sive omittatur: v. g. sive mentiaris ad impediendum homicidium, sive non. Cum hoc judicium sit erroneum deponi debet. Quod si deponi nequit, culpa vitabitur, eligendo minus malum. Si utraque pars appareat æque mala, non peccabis alterutram eligendo, quia cares libertate sufficiente ad peccandum imputabiliter. Hinc non peccat, qui detentus in carcere putat se peccare omissione sacri, quod audire vellet, sed non potest; quia hæc omissio non est ei voluntaria, nec libera.

CAPUT SECUNDUM.

De conscientia certa, & dubia.

CONSCIENTIA certa est actus, quo intellectus prudenter, & firmiter judicat aliquid hic, & nunc esse licitum, vel illicitum: Incerta opposito modo se habet. Dixi *prudenter*; nam certitudo duo dicit nempe prudentiam, & firmitatem adhæsionis; & firmitas sine prudentia non est certitudo, sed pertinacia.

Quæst. I. An ad non peccandum requiratur judicium certum de honestate, seu licitate actus, vel omissionis?

Resp. Requiritur tale judicium certum, saltem certitudine morali, qua prudenter excludatur dubitatio, & peccati formido saltem rationabilis. Ita communiter; immo forte nullus, quoad rem dissentit. Nam 1. Id nobis præcipitur in Scripturis Eccl. 37. ad Rom. 14. &c. *Ante omnia opera tua verbum verax præcedat te, & ante omnem*

actum

actum consilium stabile, idest firmum, & prudens consilium de honestate actus, qui eligitur. 2. id ratio suadet. Nam conscientia recta est actus prudentiæ qui debet esse saltem moraliter certus de veritate, cum prudentia sit virtus intellectualis, & habitus vera cum ratione activus circa ea, quæ sunt homini bona, vel mala; ut hæc scilicet respuantur, & illa eligantur. Præterea operans sine tali judicio actionem suam committit regulæ incertæ, ac proinde spectato suo conceptu, se exponit morali periculo peccandi formaliter, seu imputabiliter.

Quæst. II. Quid est dubium, & quotuplex?

Resp. 1. Dubium est suspensio assensus, & dissensus inter utramque partem ob motiva pro utraque parte (6) æque probabilia. Dico *ob motiva* &c. Nam dubium, quod vocant negativum consistens in suspensione mentis inter utramque partem contradictionis ob carentiam motivorum pro utraque parte, non est proprie dubium, sed nescientia, & ignorantia. Unde conscientia dubia non est proprie conscientia, cum dubium non sit dictamen, seu judicium practicum, ut patet. 2. Dubium (7) aliud est juris, & est dubium de lege, seu obligatione, aut legitima facultate agendi: aliud est facti, & versatur circa aliquod factum, ut cum dubito an tale debitum persolverim. Dubium juris duplex est, nempe speculativum, seu generale; & practicum, seu particulare: ut cum quis dubitat an contractus hic, quem nunc vult inire cum talibus circumstantiis, sit licitus.

Quæst. III. An sit peccatum agere, vel omittere aliquid in du-

---

(6) Vel quæ appareant æqualiter evidentia: tametsi enim utraque pars contradictionis esse nequeat evidens evidentia vera; evidens tamen esse potest evidentia apparente, ut indicat Fagnanus ad cap. *Ne innitaris*, de constit. n. 16. tuncque emergit suspensio assensus & dissensus inter utramque partem. Unde definitioni ab Auctore traditæ addenda sunt hæc verba: „vel æque evidentia apparenter“.

Ex eodem Fagnano cit. cap. n. 169. 170. dubium subsistit, etiamsi motiva æqualia non sint omnino, sed inter illa aliqua levis tenuisque inæqualitas detur: nam in moralibus parum pro nihilo reputatur.

(7) Dubium juris variis modis contingere potest. 1. Si quis dubitet, an actio in specie sit licita, nec ne? 2. Si, sciens esse in specie justam, dubitet an in illis vel istis circumstantiis particularibus licita sit? 3. Si dubitet an non solum licita sit, sed an præcepta? Similiter dubium de facto, sub una consideratione esse potest dubium juris, sub alia dubium facti, ut, cum quis dubitans, an aliquid voverit, dubitet præterea an id præstare teneatur in tali dubio?

in dubio de malitia talis actus hic, & nunc faciendi, vel ejus omissionis?

Est peccatum ejusdem speciei, & gravitatis, cujus est peccatum, de quo dubitatur, quamvis id secundum se sit licitum, ita omnes. Hæc veritas iisdem ferme momentis probatur, quibus probatæ fuere propositiones capitis præcedentis: unde ad illud lectorem mitto.

Quæst. IV. Quomodo formanda est conscientia in dubiis?

Resp. Tum quisque tenetur 1. adhibere diligentiam in veritate inquirenda debitam, & possibilem pro rei gravitate, loci, ac personæ qualitate, & conditione eo modo, quo de conscientia vincibiliter erronea dictum est. 2. In dubio post diligentiam debitam adhibitam quisque tenetur se prudenter resolvere: ideoque non per solum affectum, sed per motivum prudentiæ. Alioqui adhuc se exponet periculo peccandi; nam voluntas est potentia cæca, quæ debet dirigi per prudentiam intellectus. 3. Quod si pro utraque parte æqualis stet probabilitas, vel nullum grave motivum occurrat, tenetur sequi partem tutiorem, hoc est, quam sequendo nullum est periculum agendi contra ullam legem juxta regulam juris: *In dubio tutior pars est eligenda*.

CAPUT TERTIUM.

De conscientia scrupulosa.

Quæst. I. QUid est scrupulus?

Resp. Est actus, quo intellectus ob (8) motivum parvi, aut nullius momenti judicat cum anxietate aliquid hic, & nunc esse præceptum, vel prohibitum. Laxa contrario modo se habet.

Quæst. II. Quænam sunt causæ scrupulorum?

Resp. Plures scrupulorum assignari causæ solent, nimirum melancholia, indoles timida, judicii imbecillitas, cerebri debilitas ex morbo, vel ex immoderatis jejuniis, ac vigiliis contracta; ignorantia, superbia, mentis incon-stan-

(8) Conscientia scrupulosa proprie conscientia non est, sed umbra potius & similitudo conscientiæ ut Laymanus observat l. 1. tr. 2. c. 3. n. 4. cum sæpe non sit nisi quædam formido voluntatis qua timetur peccatum ubi non est, vel quædam ea de re imaginatio qua, ubi non est, timetur peccatum. Quapropter non est judicium practicum intellectus.

stantia vel pertinacia; conversatio cum scrupulosis, suggestio dæmonis, ut bonum spirituale hominis impediat.

Quæst. III. Quænam sunt remedia contra scrupulos?

Resp. Hæc a Doctoribus passim assignantur 1. Frequens oratio, & alia pietatis opera, præsertim actus humilitatis, fiduciæ, amoris in Deum &c. 2. Sequi in omnibus directionem sui superioris, vel confessarii, seu directoris probi, ac prudentis, deposita opinione propria inani. Nam etsi directorem errare contingeret, quia tamen scrupulosus ei obtemperando, ut debet, agit quod in se est, non peccabit. 3. Ex regulis generalibus a directore acceptis assuescat formare conscientiam in casibus occurrentibus, unde non debet ad singula eum adire. 4. Caveat otium, vagasque cogitationes, scrupulos contemnat. (9) Quod facile fieri potest ob eorum levitatem, & inanitatem. Denique, ut cætera omittam, destruat causas scrupulorum. Superbus prudentiæ suæ non innitatur. Pertinax frangat suum judicium. Rudis instruatur &c.

Quæst. IV. Quomodo (10) se gerere debet confessarius cum scrupuloso?

Resp. 1.

---

(9) Scrupulos debet contemnere & agere contra scrupulos, non jam disputando cum illis, nec rationes intrinsecas opponendo: sed per principia extrinseca, & maxime quia director spiritualis sic præscripsit. Ast juxta caput *Per tuas*, 2. De Sim. non debet agere contra scrupulos, nisi prius illos deponat.

(10) Vehementer scrupulosum admonere debet Confessarius, ut non judicet quidpiam, sive jam actum sive agendum, esse peccatum, vel esse mortale, nisi certissime sciat tale esse, idque primo aspectu. Ita Theologi passim. Hoc autem præcipue verificatur, de scrupuloso timorato, & ita horrente peccatum mortale ut illud raro, vel numquam admittat; animoque ita communiter affectus sit ut mori malit quam illud plena libertate perpetrare. 2. Dum quispiam ita scrupulosus est, ut quidquid ei in mentem venit commisisse se putet; etiamsi evidenter putet se consensisse, ex consilio tamen directoris (contrarium ex conscientia ipsius sibi nota judicantis) contrarium debet credere; idque aliquando, etiamsi putaret se posse jurare, quod in talibus cogitationibus mentem voluntarie fixerit. 3. Director monere eum debet, si valde scrupulosus sit circa confessiones suas, quod non tenetur confiteri peccata dubia, sicut sanus, sed certa duntaxat; idque etiamsi aliqua forte peccata hic omitti contingeret. Si qui tamen scrupulosi ex mortalium dubiorum silentio in magnas anxietates conjiciantur, ea confiteri debent, illi maxime qui ex eorum confessione plus accipiunt quietis quam si sola peccata certa confiteri juberentur.

Agentes de conscientia dubia, quasdam omisimus regulas, quæ pro ea discutienda mirum in modum inserviunt. Paucis illas ob oculos ponemus.

Regula 1. Conscientiam habens dubiam, seu negative, sive conscien-

Resp. 1. Confessor nullum scrupulosum admittat, nisi declaret se velle ejus consilia sequi, deposito proprio judicio. 2. Scrupulorum causas exploret, & remedia ex allatis aptissima præscribat. 3. Doceat principia generalia, quibus utatur ad depellendos scrupulos, nec admittat frequentes ad se recursus: & dum scit scrupulum afferendum esse dimittat illum non auditum. 4. Confessionem generalem peccatorum antea rite confessorum impediat scrupuloso ti-

---

scientia negativa ea sit qua quis dubitat nulla occurrente ratione pro alterutra parte contradictionis, ut quidam volunt, sive, ut alii explicant, qua quis dubitat nulla occurrente ratione nisi levi, seu positive, an actio hic & nunc, spectatis omnibus, licita sit vel illicita, peccat peccato ejusdem specie gravitatis, de qua dubitat, si faciat eam dubio manente; secus, si eam faciat dubio rationabiliter, prudenterque deposito.

II. Conscientiam habens dubiam positive de honestate vel inhonestate actionis, vel de obligatione aut deobligatione ob æqualem vel quasi æqualem hinc inde probabilitatem, juxta expressam sacrorum canonum communemque Ecclesiæ Patrum & christianorum doctrinam, immo juxta doctrinam etiam Judæorum & Gentilium, tutiorem partem tenetur eligere, ab actione illa abstinendo, vel se obligatum reputando.

III. Dum duæ opiniones contradictoriæ, una affirmans, altera negans honestatem actionis, sincero veritatis amatori post debitum examen æque probabiles apparent, ac per consequens honestas vere dubia est per principia directa, ex Scriptura, communi traditione Patrum, ipsorumque etiam Judæorum ac Gentilium, nec Scholasticorum Doctorum, Summistarum, & Canonistarum doctrina, judicium de illius honestate fieri nequit per principia reflexa, sed a tali actione omnino abstinendum est, juxta magistrales hasce regulas: „In dubiis via tutior est eligenda: in dubiis semitam debemus eligere tutiorem"; quæ non merum consilium continent, ut cavillantur Probabilistæ, sed præceptum cum verbis præceptivis, & obligationem significantibus aperte tradantur.

IV. Juxta canonem, *Laudabilem* de frigid. & malefic. aliosque, & juxta varias leges civiles, a regula de tutiori parte in dubiis eligenda Ecclesiæ declaratio, & ordinatio Reipublicæ, ob causas, easque gravissimas nos dispensat Ecclesiæ declaratio, & ordinatio Reipublicæ in aliquibus peculiaribus casibus, ut e.g. in casu quo dubitatur an impotentia coeundi sit perpetua, in quo casu conceditur triennalis experientia, seu attentatio copulæ, quin fornicaria censeatur; vel in casu in quo possessori bonæ fidei dubium supervenit, an non res a se possessa sit alterius, Respublica concedit, ut rem illam retineat, etiam dubio permanente.

V. Extra dictos casus per Ecclesiæ declarationem expressos & exceptos vel Reipublicæ ordinationem, positive dubius in æquali probabilitate de inhonestate aut honestate actionis formare nequit conscientiam de honestate per reflexa Probabilistarum principia: nam ex illis principiis Sancti Doctores ac majores nostri, immo ipsi etiam Judæorum ac Gentilium Scriptores conscientiam dirigi non posse censuerunt.

so timorato, & sufficienter a peccatis purgato: sed permittat ei, qui non videtur satis purgatus a peccatis, modo ex illa repetitione non immineat periculum in ea denuo consentiendi. 5. Plerumque mitem, ac benignum se præbeat erga scrupulosum: quandoque tamen juvabit austeritas; aliaque id genus media adhibeat.

CAPUT QUARTUM.

De Conscientia, & Opinione probabili.

Nota 1. Opinio probabilis speculative, (11) ac secundum se est illa, quæ nititur motivo gravi, sed absolute fallibili. Opinio vero probabilis practice, est respective ad operantem, quæ nititur motivo tam gravi, quamvis absolute fallibili, ut post diligentem veritatis inquisitionem possit merito, ac prudenter approbari ut vera.

Nota 2. Opinio probabilis stricte loquendo differt a conscientia probabili, nam hæc est actus, quo intellectus judicat actionem hic, & nunc exercendam esse licitam, vel illicitam; illa vero a praxi actuali, seu exercitio præscindit.

Nota 3. Ut opinio censeatur (12) probabilis etiam speculative

(11) Probabile non dicitur absolute, cum propositiones omnes absolute & in se aut veræ sint, aut falsæ, sed relative; nempe relate ad intellectum nostrum res ut in se sunt non videntem, magnisque ignorantiæ tenebris circumseptum: quæ, cum variæ & inæquales sint, fit propterea ut, quod probabile est uni, vel certo verum, vel certo falsum alteri persæpe videatur, vixque ullæ propositiones probabiles sint universe omnibus. Hinc corruit recentiorum Probabilistarum doctrina, asserentium, opinionem aliquot Casuistis, seu viris doctis visam probabilem, talem ab omnibus habendam esse, etiamsi aliquibus improbabilis videatur, & auctoritati ac Scripturæ contraria. Quamvis enim aliquando vir etiam doctus, proprio judicio diffisus, possit propriam deponere opinionem, alteriusque se judicio submittere, quem ex prudentiæ christianæ regula doctiorem se ac cælesti lumine instructum sentit: hoc enim licitum esse nemo dubitat, modo, quis puram habens intentionem, unam quærat veritatem: nemini tamen licet, indiscriminatim, & absque ullo examine alterius opinionem tamquam probabilem amplecti (quamvis sibi improbabilis videatur) præcise quia alteri probabilis videtur, ut noviores Probabilistæ contendunt.

(12) Quidquid sit de variis definitionibus probabilis opinionis quas Probabilistæ, cum suam de licito probabili cujuscumque opinionis usu doctrinam apud eruditos odiosam esse cernerent, ad eam tuendam excogitarunt, æquivocationibus & fallaciis refertas, opinio probablis in quæstio-

tive necesse est 1. Ut nulli theologico loco adversetur. 2. Ut nitatur motivo gravi, licet absolute fallibili: motivum autem grave est motivum, quod si seorsim spectetur, nec oppugnetur motivo æque, aut magis graví, per se sufficit ad eliciendum pro una parte judicium prudens, quamvis inevidens, & absolute fallibile. Porro opinio improbabilis contrario modo procedit.

Nota 4. Probabilitas est verisimilitudo, seu apparentia veri infra evidentiam fundamento nixa. Dividitur in intrinsecam, quæ est momentum ipsius rationis. Et extrinsecam, quam facit momentum auctoritatis Doctorum, vel testium. Hæc autem probabilitas non tam ex Doctorum numero, quam ex eorum merito, videlicet probitate, doctrina, studio, diligentia, ac sapientia metienda est, cum in gravem rationem præsumptam resolvatur.

Nota 5. Damnatas fuisse (13) ab Ecclesia sequentes propositio-

stione in qua catholici Doctores quærunt, *an licitus sit usus ipsius*, est illa „ quæ fulcitur argumen„ tis, quæ, licet non convin„ cant, adeo tamen verisimilia „ sunt, ut viris non vulgariter „ eruditis, & in materia de qua „ agitur non mediocriter versa„ tis, post diligentem veritatis „ inquisitionem, citra passionem „ & culpam, non solum viden„ tur convinci non posse falsita„ tis, neque per rationem, ne„ que per divinæ Scripturæ au„ ctoritatem, neque per Ecclesiæ „ declarationem, neque per una„ nimem SS. Patrum traditio„ nem, sed & vera videantur, „ Scripturisque & Ecclesiæ de„ clarationibus, & Sanctorum „ doctrinæ & rationi conformia; „ dignaque proinde, quibus ho„ mo assensum irreprehensibiliter „ præbeat “.

Hæc definitio vel ex eo optima est, quod nec Probabilistarum cavillationibus, nec erroribus hæreticorum conveniat, nec convenire debeat. Quia probabiles non sunt opiniones, quas de suis erroribus hæretici habent, quamvis ipsi existiment illas niti argumentis quæ eis apparent assensu digna, nihilque a se asseri contra rationem vel Scripturam. Neque enim sic ipsis videtur citra passionem & culpam, sed partim ob superbiam & voluntariam cæcitatem eorum, partim ob culpabilem inquirendæ veritatis negligentiam. Unde error ipsorum est voluntarius in causa. Similiter definitiones opinionis probabilis novorum Probabilistarum obnoxiæ sunt pluribus difficultatibus, responsionibusque hæreticorum; unde eorum audaciam non infringunt; sed sub illis semper se tegere possunt.

(13) Præter has propositiones, aliæ Decreto S. Rom. & Univ. inquisitionis a SS. D. N. Clemente Papa XIII. confirmato fuerunt proscriptæ sub die 20. Febr. 1761. a Parocho Avisiensi Diœcesis Tridentinæ die 20. Junii 1760. propugnatæ, & postea sine nota loci & Auctoris obscuro prælo cusæ & vulgatæ, non sine Religionis detrimento, bonorum offensione, præsertim ecclesiasticorum.

Prælaudatur Decretum ita conditum est: 1. Refert theses, utique Probabilismum continentes, pu-

sitiones. 1. *Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.* 2. *Generatim cum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* 3. *Excusatur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.*

Nota 6. Opinio tuta est ea, quæ removet a periculo peccandi, tutior, quæ magis removet a tali periculo. Item tutior stat pro præcepto, hoc est asserit extare præceptum jubens, vel vetans aliquid. Minus tuta dicitur favere libertati, quia negat extare præceptum circa aliquid, sed asserit hominem posse licite pro arbitrio utrumvis eligere.

Nota 7. Agitur hic de opinione probabili relative ad operantem post diligentem, ac debitam veritatis inquisitionem.

Quæst. I. An liceat sequi conscientiam probabilem, & minus tutam?

Resp. Non licet, nisi probabilitas sit tanta, ut excludat omnem formidinem rationabilem falsitatis, & pariat certitudinem moralem, saltem relativam, quæ, ut alias diximus, ad non peccandum requiritur.

Quæst. II. An liceat sequi opinionem minus probabilem stantem pro libertate in concursu probabilioris stantis pro præcepto?

Resp. Numquam licet, sed semper tenemur sequi probabiliorem, & tutiorem. Nam 1. id nobis Scriptura suadet Eccles. 37. *Ante omnia opera tua verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.* Ibi traditur præceptum generale sectandi veritatem, & faciendi, quod in nobis est ad sectandam veritatem de licitate, seu honestate actus. Hoc autem præceptum non custodit qui sequitur opinionem minus probabilem de honestate actus, relicta probabiliore de ejus malitia. 2. Ratio, & quidem validissima, suppetit. Qui enim sequitur opinionem minus probabilem in concursu probabilioris, is non potest habere judicium prudens, & certum saltem moraliter de honestate actus, vel omissionis, quod tamen judicium requi-

---

publicæ disputationi expositas. 2. Eas damnat, prohibetque, *tamquam continentes propositiones quarum aliqua sunt respective falsa, temeraria, & piarum aurium offensiva.* 3. Propositionem unam, excerptam a thesi decima, quæ etiam postrema est, & quæ ait, Probabilissimum esse *christianum qui Christo Domino summe familiaris fuit*, proscribit, *uti erroneam, & hæresi proximam.*

quiritur ad agendum, vel omittendum licite. Nam homo tenetur semper prudenter agere, nec licet se exponere periculo peccandi. At ille peccat, qui facit id, quod non potest judicare certo, ac prudenter esse licitum. Ergo &c.

Ad hæc: tenemur observare præceptum, quod sufficienter proponitur nobis, illud autem præceptum sufficienter proponitur ad obligandum, quod prudenter affirmari potest, nec nisi imprudenter negari, ut patet. At tale est præceptum, quod apparet probabilius. Ergo &c.

Hinc collige nemini licere consilium dare secundum opinionem, quæ ei minus probabilis, & minus tuta videtur; cum nemini liceat secundum illam operari, & nemini liceat consulere actum illicitum.

Quæst. III. An licet sequi opinionem minus tutam, seu stantem pro libertate in concursu opinionis æque probabilis tutioris, seu stantis pro præcepto?

Resp. Neg. Nam extat illud præceptum generale naturali lumine notum, & in jure canonico sæpe a Summis Pontificibus traditum, ut principium decisionum: *in dubiis tutior pars est eligenda* cap. 4. de Clerico excomm. c. 12. de homicid. c. 3. de Spons. At in concursu duarum opinionum æque probabilium est verum dubium, ut docet S. Thom. q. 14. de verit. art. 1. & S. Antoninus 1. p. tit. 20. de regulis juris. Deinde Augustinus l. 1. de Bapt. c. 3. Sic loquitur: *Graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo, quod certis incerta præponeret*. At in concursu opinionum æque probabilium eligens minus tutam incerta certis præponit, ut patet. Ergo &c. Tandem hæc assertio probatur omnibus momentis, quibus probata fuit quæstio præcedens.

Nota 1. hoc effatum, *in dubio melior est conditio possidentis*, valere solum in materia justitiæ, seu in rebus temporalibus, quæ subsunt potestati humanæ, & in quibus solis applicatur a jure. At non habet locum in moralibus, ubi agitur de licito, & illicito, quod non subjicitur potestati humanæ, sed in his valet illud axioma: *In dubio tutior pars est eligenda*. 2. Effata illa: *In obscuris minimum est sequendum. Odia restringi, & favores convenit ampliari* intelligi debere solum de dubiis facti, & ubi agitur de pœnis infligendis; non autem de dubiis liciti, & illiciti. Nam in dubiis de admissione criminis, vel de merito culpæ, benignior pars est tutior, cum illam sequens exponat se solum periculo non condemnandi reum, vel puniendi infra meritum, quod non est intrinsece, ac per se malum: oppositum vero sequens exponit se periculo damnandi innocentem, vel puniendi reum ultra meritum,

titum, quod est intrinsece malum: hinc illa regula: *In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius est, quam tutius* 152. ff. de regula juris; & ista: *Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori*. Reg. 11. in 6.

Quæst. IV. An licet sequi opinionem minus tutam, sed probabiliorem?

Resp. Tenemur sequi partem tutiorem in iis omnibus, in quibus ignorantia invincibilis, & major probabilitas non juvant ad obtinendum finem aliquem, quem procurare tenemur. Quia adhiberi debent media efficacia, si adsint.

Hinc tenemur sequi partem tutiorem, ubi agitur de iis, quæ sunt de necessitate medii ad salutem, vel quæ requiruntur ad validam administrationem, & susceptionem Sacramentorum. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: „ Non est illicitum in Sacramentis conficiendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, „ relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi; hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, „ Ordinis sacerdotalis, aut episcopalis. " 2. Ubi agitur de procuranda sanitate corporis, de victoria sive in bello, sive in judicio, de vitando damno proximi, quod cavere tenemur ex justitia, charitate &c. 3. Ad tutiorem partem tenetur, qui ad tutiora adhibenda ex conventione, voto, vel superioris præcepto obligatur. Ratio horum omnium est, quia in his non obtinebitur finis debitus, nisi adhibeantur media reipsa, & non solum opinione efficacia. Neque enim major probabilitas opinionis mutat naturam rerum, aut iis inefficaciam tribuit, aut impedit damnum.

Resp. 2. Licet sequi opinionem minus tutam de licito, quando post debitam (14) veritatis inquisitionem apparet cer-

(14) Debita veritatis inquisitio tunc habetur quando opinio de qua agitur probatur omnibus, aut pluribus, aut sapientioribus, & iis, vel omnibus, vel plurimis, vel maxime notis; & ex Conciliorum definitionibus, aut ex sacris litteris, aut ex doctrina Patrum, aut ex rationis lumine dijudicatur; inhæretque homini, non affectata cæcitate, noxiisque cupiditatibus abrepto; sed veritatis amatori, & ad eam assequendam consilia, preces, studiumque adhibenti: nam hac via discernitur inter eligenda & rejicienda; vitantur peccandi pericula; habetur conscientia moraliter certa; proindeque immunitas a peccato.

Opinio probabilis, qualis a nobis descripta mox fuit, adhiberi po-

certo, ac valde probabilis, & multo probabilior opposita, ita ut excludat dubitationem, & formidinem rationabilem errandi. Hæc veritas iisdem ferme momentis ostenditur, quibus probata fuit secunda quæstio. Addo Alexand. VIII. damnasse hanc propositionem: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*. 2. Reg. 31. jur. in 6. *Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet*. Hinc quamvis opinio Guillelmi Parisiensis docens hominem statim atque peccavit, teneri ad confessionem, sit tutior; nemo tamen peccati arguit eum, qui confessionem aliquantisper differt; quia opinio opposita S. Thomæ multo probabilior, est tuta.

Dixi *multo probabilior*. Nam non licet sequi opinionem minus tutam, quæ apparet solum paulo probabilior tutiore. Quia in moralibus parum pro nihilo reputatur.

Quæst. V. Ad quid tenemur, quando opinio est probabilis extra concursum?

Resp. 1. Tenemur servare præceptum, quando opinio affirmans illud existere est unice probabilis. Nam homo in hoc casu potest prudenter judicare legem existere, nec id potest nisi imprudenter negare, cum habeat motivum grave id asserendi, & nullum habeat negandi.

Resp. 2. Ob eamdem rationem licet sequi opinionem minus tutam, seu negantem præceptum, quando est unice probabilis, ita ut excludat omnem formidinem saltem rationabilem peccandi. Sic rusticus licite omittit sacrum eo die, (15) quo ejus Pastor vir probus, & doctus existima-

---

potest in qualibet materia, sive facti sive juris, tam naturalis, qua positivi divini, & multo magis humani, demptis illis quæ Auctor excipit in hac quæstione responsione prima. Atque doctrina hæc conformis est exemplis plerumque SS. Patrum & Pontificum qui propugnarunt opiniones, aut falsas, aut saltem ab aliis reprobatas, & tamen inculpate se gesserunt, quoniam ipsis apparebant probabiliores, & suis oppositis præferendæ, post exactam veritatis inquisitionem. Legatur D. Thom. 2. 2. quæst. 70. art. 3. ubi docet, etiam in lege naturæ plura esse, quæ nonnisi a sapientioribus subtiliori consideratione rationis judicantur; & in actibus moralibus non requiri certitudinem, sed sufficere probabilitatem „ quæ ut in pluribus veritatem attingat, etsi in „ paucioribus a veritate deficiat “. Legatur etiam quodlib. VIII. artic. 13. & 15. & S. Antoninus 1. p. Sum. t. 3. c. 10.

(15) Quamvis auctoritas unius pii ac docti viri, regulariter loquendo, non sufficiat, ut opinio aliqua probabilis, & tuta in praxi reddatur; alioquin tutæ erunt in praxi opiniones omnes a junioribus casuistis assertæ; cum ipsi suo ac mutuo eorumdem judicio sint viri graves, docti, ac vere sapientes: tamen improban-

matus asserit ad illud non teneri, si nullum habeat motivum judicandi oppositum, nec suum pastorem fallere, aut falli ex cap. 44. de Sent. excomm. Unde tunc talis opinio est certa practice, & relate ad operantem, quamvis speculative & absolute spectata, sit duntaxat probabilis. Quod si contingat talem opinionem esse reipsa falsam, error erit invincibilis.

TRACTATUS
DE LEGIBUS.
SECTIO PRIMA.
De Lege in Communi.

Quæst. I. QUid est lex? Resp. Est præceptum commune, honestum, justum, stabile, seu perpetuum ad bonum commune, a gerente curam communitatis impositum, & sufficienter promulgatum.

Itaque lex est præceptum, quia est ordinatio superioris efficax, & obligans subditos ad agendum, aut omittendum

da non est ingens personarum probissimarum multitudo, quæ in dubio de licito vel illicito proprium Parochum, vel confessarium consulunt, ejusque consilium placide sequuntur. Nam dubitans, vel doctus est, vel rudis & illiteratus. Si doctus, & per seipsum post maturum examen se resolvere potest, tenetur id facere. Si post tale examen dubitare pergat, virum vere doctum ac pium consulat, &, si suis rationibus, aut sua auctoritate dubium omne ab ipso amoverit, ejus consilium sectetur. Si vero post consultationem cum tali viro adhuc dubitare prosequatur, tunc amplectatur partem tutiorem, quia tunc erit in vero dubio. Quod si sit indoctus, stabit consilio sui Parochi vel confessarii, saltem nisi cum fundamento indoctum vel liberiorem eum putet; in quo casu consulet alium, si poterit, magis pium, magisque doctum: si non poterit, humili prece ad Deum confugiet, idque aget quod minus malum ei videbitur, & tunc, etiamsi eligeret, quod revera malum est, non peccabit, quia ejus ignorantia involuntaria & invincibilis evadet. Quapropter, licet unius probi doctique viri auctoritas non sufficiat, ut opinio speculative & absolute probabilis efficiatur; sufficit tamen, ut efficiatur probabilis relate ad aliquos qui de opinione talis viri non dubitant, nec motivum rationabile habent dubitandi, nec meliori modo erudiri possunt.

dum aliquid. Hinc lex permittens est etiam præceptiva, saltem virtualiter: nam permittendo aliquid prohibet, ne illud fieri impediatur. Porro præceptum est regula obligans ex auctoritate superioris. Per *to obligans* differt a consilio, quod est etiam recta agendi ratio, sed non obligans. 2. Commune: nam debet fieri communitati perfectæ ex L. *Jura* ff. de Legib. Communitas autem perfecta est, quæ ex natura sua perpetua est, ac politicæ gubernationis capax, ut regnum, provincia sui juris, Ecclesia, &c. Imperfecta vero contrario modo se habet. Porro censetur communitas esse politicæ gubernationis capax, seu sibi ad suum finem sufficere, nempe ad conciliandam & conservandam felicitatem publicam, dum in ea est potestas magistratus, aut pastores instituendi, membra, ac subditos in ordine continendi, lites, & controversias dirimendi, improbos, ac scelestos morte mulctandi, vel contumaces a corpore resecandi. 3. Honestum, statuendo videlicet aliquid honestum vel in se, vel saltem ratione finis intenti, ad quem conducit: nam finis legis est homines bonos facere. 4. Justum, scilicet ex parte Legislatoris, & justitia quidem tum legali in eo posita, ut prosit communi bono: tum commutativa, qua legislator non plus statuat, quam possit statuere, nec aliis quam subditis; tum denique distributiva qua secundum æqualitatem proportionis, habita ratione virium, & facultatum, imponantur subditis opera in ordine ad bonum commune. Ad nullitatem tamen legis ex hujus capitis defectu requiritur tanta improportio, & inæqualitas, ut redundet in detrimentum commune, & injustum, ac grave onus plurium: unde si lex de se utilis sit, & pauci plus æquo vexentur, erit valida & obligabit alios. Illi vero, qui injuste gravantur, non obligabuntur quoad excessum injustum, nisi per accidens, ratione scandali, vel perturbationis, ad quæ vitanda debet lex juri suo cedere. In dubio de honestate legis, vel justitia præsumendum est pro legislatore, ita exigente jure legislatoris, & bono communi, rectaque gubernatione; proindeque servanda lex est. 5. De se perpetuum, ac stabile, hoc est statutum in perpetuum, ac sine termino, nisi abrogetur, aut mutatis circumstantiis noxium, vel inutile fiat ex cap. ult. *de offic. Legat.* Nam perpetuitas legum necessaria est ad bonum commune, cum legum mutatio detrimentum reipublicæ afferat. 6. Debet essentialiter esse (16) utile bono communi, quod

(16) Ut lex sit utilis bono communi, non requiritur, ut in bonum commune immediate cedat, sed sufficit, ut cedat in bonum

quod est finis essentialis, & primarius legis ex c. *Erit* dist. 4. Cum enim lex sit actus publicæ potestatis, quæ instituta est in bonum commune: potestas ferendi leges non est data hominibus, nisi ad procurandum bonum totius communitatis, cui imponitur, quæque obligatur, alioqui inordinata esset ex 2. ad Cor. 10. & Rom. 17. 7. Lex debet ferri ab eo, qui præest communitati, ad quem pertinet curare communitatem, illiusque regendæ, obligandæ, & cogendæ potestatem habet juridicam. 8. Demum debet esse promulgata ex L. 9. c. de Legib. quia regula actionum generalis, publica, dirigens, & obligans communitatem hæc præstare non potest, nisi sit ei applicata, & nota.

Quæst. II. Quomodo lex differt a præcepto?

Resp. Differt 1. Quod lex necessario feratur a persona publica pro communitate, & ad bonum communitatis; at præceptum ferri potest a persona privata ad privatam, puta a domino ad servum, & in bonum privatum superioris, vel subditi, vel alterius. 2. Quod lex de se sit perpetua, non merum præceptum, quod expirat morte præcipientis; lex vero non.

Quæst. III. An lex omnis necessario obliget?

Resp. Affirm. Est enim ordinatio Superioris habentis potestatem, ac voluntatem efficacem obligandi, eamque subditis declarandi: porro voluntas efficax supposita potestate inducit effectum. Quare Augustinus l. de Sancta Virginitate cap. 13. ait: *Præcepto quisquis non obtemperat, reus est, & debitor pœnæ.*

Quæst. IV. Quomodo dividitur lex?

Resp. Dividitur in divinam, quæ a Deo; & humanam, quæ ab homine sancita est. Lex divina subdividitur in æternam, naturalem, & positivam. Positiva in veterem, & novam. Quænam sit lex vetus, & nova, nemo non scit. Lex humana subdividitur in Ecclesiasticam, quæ scilicet fertur potestate Ecclesiastica, & spirituali, ut Papæ, Concilii, Episcopi, & in civilem, quæ fertur potestate sæculari, ut Regis, Principis &c.

S E-

num commune saltem mediate. Patet in legibus e. g. latis immediate in bonum minorum, pupillorum, &c. quæ vere sunt leges, quia mediate saltem & principaliter feruntur in bonum commune, quod exigit, ut illis taliter provideatur. Idem ob eamdem rationem dicendum est de aliis legibus, sive positivis, sive etiam naturalibus, latis immediate in commodum privatorum, e. g. de lege correctionis fraternæ, tuendi propriam vitam, &c.

SECTIO II.

De Lege Divina.

Quæst. I. QUid est lex æterna? (17)

Resp. Ex Augustino l. 22. contr. Faustum c. 27. est ordinatio, & voluntas Dei, qua Deus ab æterno statuit, ut a creatura intellectuali fierent ea, quæ ex natura rei necessaria sunt ad vivendum decenter, ac conformiter naturæ suæ intellectuali; & omitterentur ea, quæ naturam intellectualem dedecent.

Quæst. II. Quid est lex naturalis?

Resp. Est lex divina creaturæ rationali impressa, præcipiens quidquid ex natura rei necessarium est ad vivendum decenter, ac conformiter naturæ rationali ut rationali, & prohibens quidquid ex natura rei dedecet naturam rationalem, ut rationalem; atque etiam statuens ea, quæ ex se necessaria sunt ad valorem actuum. Hanc obligare sub mortali fide constat ex Roman. 2. *Qui talia agunt* (contra legem naturalem) *digni sunt morte*. Enim vero legem naturalem violans in re gravi, offendit graviter Deum, quem non potest invincibiliter ignorare. Porro Christus explicuit, & sancivit præcepta moralia legis naturalis, (18) eorumque omnium observantiam præcipit. Qua-

(17) Missis variis quæstionibus quas circa legem æternam movent Theologi; dicimus legem æternam & immutabilem omnes creaturas dirigere juxta modum eis convenientem, & efficere, ut concurrant ad ordinem illum quem Deus in universo constituit. Nam creaturis irrationalibus invincibilem inclinationem tribuit, ut ordinationes Dei exequantur quin eas agnoscant. Creaturis vero rationalibus talium ordinationum notitiam impertitur per derivationem divinæ sapientiæ, & per radios illius lucis quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ut loquitur S. Joannes in suo Evangelio. Boni libenter ordinationibus legis æternæ subduntur; mali vero eis pariter subduntur, sin amando justitiam, saltem pœnam sustinendo, ut ait S. August. lib. 1. de Lib. Arb. cap. 1. Deus ipse immutabiliter legem æternam custodit, non per servilem subjectionem, sed propter ipsam sui esse summe perfecti infinitatem, quæ omnis imperfectionis eum capacem constituit, eumque immobiliter determinat ad bonum, ad ordinem, ad rationem supremam, nempe ad seipsum.

(18) Præcepta naturalia, alia sunt primaria, quæ sine difficultate, & ex sola terminorum perceptione intelliguntur, præcipiuntque aliquid in genere, seu abstrahendo a circumstantiis; cujusmodi sunt hæc: „ quod tibi „ non vis, alteri ne feceris; „ ma-

Quare lex omnis naturalis est etiam Evangelica quoad materiam, seu rem præceptam & vetitam ex Philipp. 4.

Quæst. III. An lex naturalis præcipit, ut semper fiant actus honesti, ac boni?

Resp. Affirm. Nam præcipit homini, ut semper vivat decenter, seu agat modo consentaneo naturæ suæ rationali, qua rationalis est. Ut autem actus sit honestus, ac bonus, necesse est, ut sit de objecto bono, vel indifferenti, sed conducibili ad bonum finem, fiatque in circumstantiis objecto debitis, & propter finem honestum: quippe recta ratio docet eum solum actum esse bonum, ac laudabilem, qui habet objectum legitimum, finem honestum, & circumstantias objecto debitas. Hinc illud axioma: *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu*.

Quæst. IV. An lex naturalis possit mutari? (19)

Resp. 1. Ex communi sententia non potest proprie mutari.

„ malum fugiendum, bonum „ amplectendum &c. " Alia secundaria; & hæc rursus vel immediate, seu per unicam illationem, deducuntur a primariis, cujusmodi sunt præcepta e. gr. non occidendi, non furandi, &c. quæ immediate arcessuntur ab illo generali principio, *quod tibi non vis, alteri ne feceris*; vel mediate tantum & per varios discursus, ut e.g. præceptum dandi mutuo sine usura, quod mediate & per varias illationes ab eodem generali principio depromitur. Porro Christus hæc omnia præcepta naturalia sancivit, eorumque omnium præcepit observantiam.

(19) Mutatio alicui legi multis modis contingere potest. 1. Per *additionem*, cum ei nova lex additur. 2. Per *interpretationem*. 3. Per *substractionem*; quod quidem multipliciter potest evenire; 1. Per *derogationem*; 2. Per *abrogationem*; 3. Per *irritationem*; 4. Per *dispensationem*.

Jamvero lex naturalis mutari potest per *additionem*: nam illi fieri possunt, & revera additæ fuerunt omnes leges positivæ; item mutari potest per interpretationem, non quidem per illam quæ dicitur *Epicheja*, sed per illam quæ *simplex interpretatio* vocatur, quæque mera est legis explicatio, seu expositio verborum ipsius legis.

Verum mutatio quæ fit, sive per additionem, sive per simplicem interpretationem non est nisi mutatio impropria: nam vera mutatio ea est, quæ fit per subtractionem; quæ provenire potest, vel ab intrinseco, nempe ab ipsa lege, cum ex utili noxia fieri incipit; vel ab extrinseco, nempe ab aliqua superiori auctoritate, efficiente, ut, quod malum est, desinat tale esse. Sed mutatio hæc legi naturali convenire non potest, ut patet discurrendo per omnes modos quibus mutatio fieri potest legi, qui, ut mox diximus sunt quatuor; quod clarius patebit ex his quæ de illis suis respective locis Auctor scribit. Hinc inferendum, recte quæst. IV. Auctorem asserere, quod ex communi sententia lex naturalis proprie mutari non potest; sed tantum improprie.

tari. Quia lex mutatur proprie, cum desinit, aut fit inhonesta, noxia, vel inutilis, aut abrogatur a superiore, vel contraria consuetudine proscribitur. At lex naturalis neque potest desinere, cum sit necessaria; neque fieri inhonesta, noxia, & inutilis; cum nihil præcipiat, nisi bonum, ac honestum, & ex natura rei necessarium; & nihil vetet, nisi id, quod est per se malum, ac inhonestum, neque potest abrogari a superiore, nempe Deo, ut patet ex dictis. Denique non potest contraria consuetudine proscribi: nam si non potest abrogari a Deo, multo minus ab hominibus.

Resp. 2. Lex naturalis potest mutari improprie, quatenus nempe Deus potest materiæ legis naturalis apponere, vel tollere circumstantias, quibus positis, aut sublatis, actiones non sunt lege naturali prohibitæ, vel præceptæ, & per quas mutatur materia.

Jamvero aliquid est de jure naturali permissive, & est, quod lex naturalis nec præcipit, nec vetat, nec irritat, sed permittit fieri, vel aliter de eo statui; vel præceptive, & est, quod præcipitur, vel prohibetur jure naturali, ac proinde ejus oppositum a nemine statui potest.

Quæst. V. An saltem Deus potest dispensare in aliquo præcepto legis naturalis?

Resp. 1. Ex communi sententia non potest directe, & proprie. Nam dispensare proprie in lege est liberare aliquem ab obligatione legis manentibus omnibus circumstantiis, sub quibus lex obligat, vigetque. At Deus non potest absolute hoc facere in lege naturali. Deus enim non potest facere, ut aliquis agat, id quod est intrinsece malum, & inhonestum, vel omittat id, cujus omissio dedecet naturam rationalem, ut patet.

Neque dicas ex Scripturis colligi Deum plerumque dispensasse homines in aliquibus legis naturalis præceptis: Quod enim colligitur ex Scripturis illud est Deum aliquando mutasse solum conditiones, ac circumstantias materiæ legis naturalis, sub qua mutatione actiones non sunt amplius lege naturali præceptæ, vel prohibitæ.

Resp. 2. Deus potest dispensare improprie in iis legis naturalis præceptis, quorum materia pendet a dominio Dei, cujusmodi sunt quintum, ac septimum Decalogi præceptum, & id genus alia, potest enim materiæ illorum præceptorum apponere, vel tollere conditiones, ac circumstantias quasdam, quibus positis, vel sublatis actiones præceptis illis prohibitæ, vel præscriptæ tales non sint. In iis vero præceptis, quorum materia non pendet a dominio Dei, ne improprie quidem dispensare potest; nam eorum actus ita intrinsece mali sunt, ut in nulla cir-

circumstantia fieri possint liciti, tales sunt odium Dei, blasphemia, idololatria, hæresis &c..

Quæst. VI. Quid est lex positiva?

Resp. Lex positiva in genere est ea, quæ libere a Legislatore lata est, & aliter promulgata, quam per lumen naturale. Alia est mere positiva, quæ scilicet statuit id, quod non est sic statutum jure naturali, sed quod lex naturalis permittit sic statui, ut lex vetans comestionem quarumdam rerum. Alia est etiam naturalis ex parte materiæ, quæ scilicet statuit aliquid, quod jam sic lege naturali statutum est, qualia sunt omnia præcepta Decalogi, excepta determinatione Sabbati. Lex vero positiva divina est ea, quæ a Deo libere lata est. Tales sunt lex vetus, & nova, quæ sunt etiam lex naturalis, quoad præcepta scilicet moralia; & mere positiva, quoad cætera præcepta.

SECTIO III.

De Lege Humana.

JUs gentium est jus non scriptum, (20) quod libero omnium, aut fere omnium gentium consensu, & usu receptum, vim habet obligandi.. Quare jus gentium est quædam lex humana virtualiter, & æquivalenter.

CA-

(20) Ad jus gentium pertinent „ ædium occupatio, ædificatio, „ munitio, bella, captivitates, „ servitutes, postliminia, fœdera, paces, induciæ, Legatorum „ non violandorum religio, connubia inter alienigenas prohibita “. Item manumissiones, „ rerum divisio, commercia, „ contractus venditionum “, & similia. Ita part. de just. & jur. & lib. 1. institut. tit. 1. parag. 2. Jus gentium derivatur a jure naturæ, sicut conclusiones ex principiis, conclusiones tamen minime necessariæ, & ab acceptatione hominum dependentes, ut vim obligandi habeant. Proinde jus gentium proprie acceptum, non a natura, sed ex communi hominum consensu inductum dicitur, ut optime scribit Auctor; unde tale jus reduci debet ad jus positivum, non ad naturale. Denique jus gentium est præceptivum, cum ex S. Thoma, & Jurisconsultis habeat vim veræ & proprie dictæ legis. Unde ejus violatio, posita ejus acceptatione, peccatum est.

CAPUT PRIMUM.

De causa efficiente, & materia legis humanæ.

Quæst. I. QUinam possunt ferre leges, & quibus?

Resp. Leges Ecclesiasticas ferre possunt 1. Papa pro tota Ecclesia ex Joann. 21. 2. Concilium Generale etiam pro tota Ecclesia, Nationale pro tota Natione, & Provinciale pro tota Provincia. 3. Legatus Apostolicus pro sua provincia. Episcopus pro sua diœcesi, sicut etiam Primates, & Patriarchæ extra Concilium. 5. Qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem, ut aliqui Abbates pro locis sibi subjectis. 6. Ordines Regulares in Capitulo (21) Generali.

Resp. 2.

---

(21) Etiam Capitula Ecclesiarum Cathedralium condere possunt + leges utique pro suis Ecclesiis, idque non solum Sede Vacante verum etiam vivente Episcopo cum quo Senatum ejusdem Ecclesiæ constituunt.

Vivente Episcopo, illorum consensum petere tenetur in his quæ spectant bonum commune, aut etiam bonum peculiare eorumdem. Item capitula jus habent exercendi jurisdictionem correctionis, sine abusu, & de plano, in membra sua, sed tamen quin procedant usque ad excommunicationem, incarcerationem, & privationem beneficiorum, saltem nisi habeant jurisdictionem contentiosam titulis legitimis innixam, vel fundatam in antiqua possessione: nam hæc omnia pertinent ad Episcopum.

Multo plura, durante Sedis Episcopalis vacantia, capitula cathedralium decernere possunt, quæ possunt videri apud Thomass. disc. Eccl. part. 1. lib. 3. cap. 10. num. 10.

Lex ecclesiastica dividitur potissimum in communem quæ facta est pro tota Ecclesia; in particularem quæ lata est pro aliqua Ecclesia particulari; in publicam, quæ proxime spectat bonum commune, remote bonum privatum; in privatam quæ contrario modo se habet; in antiquam in canonibus primorum sæculorum, & in decreto Gratiani contentam; & novam, contentam in decretalibus & canonibus posteriorum sæculorum; in abrogatam, quæ amplius non obligat, & non abrogatam quæ semper in usu est.

Legis Ecclesiasticæ materia reducitur. 1. Ad personas, quæ vel consecratæ non sunt, vel sunt consecratæ, vel constitutæ in dignitate, vel non. 2. Ad res spectantes fidem, aut mores, aut politicam & disciplinam. 3. Ad judicia spectantia causas civiles, criminales, &c.

Lex Ecclesiastica desumpta est ex quatuor præcipue fontibus, nempe ex Sac. Scriptura, & Conciliis Generalibus & Provincialibus, & SS. Patribus, & ex decretalibus aut Epistolis SS. Pontificum.

Quare, ut recte observat P. Bonaventura Staidel tom. 1. tract. *De usu juris canon.* &c. part. IV. „ qui uti velit jure canonico ad „ casuum moralium decisionem „ attendat quid excipiat ex jure „ canonico; . . . . si enim summate Scriptura sequentes servet

„ re-

Resp. 2. Leges civiles sancire possunt omnes Principes supremi aliis non subjecti in propriis principatibus. Ratio generalis est, quia Episcopi, & Principes sæculares sunt rectores communitatis perfectæ, ac proinde habent legislativam potestatem, sine qua recte, ac convenienter communitas perfecta regi non potest.

Resp. 3. Nemo potest ferre leges, nisi suis subditis, & de rebus suo regimini subjectis. Ita S. Thom. in 2. dist. 44. art. 4. ad 4. Hinc 1. Principes mere Ecclesiastici non possunt ferre leges, nisi de rebus spiritualibus, & ad regimen Ecclesiasticum: Sæculares vero nisi de rebus temporalibus, & ad gubernationem politicam pertinentibus. Prin-

---

„ regulas ab eodem Auctore traditas, nempe, “ ubi quæstio „ moralis resolvi potest per expressam revelationem, standum „ est revelationi; quidquid in „ contrarium ratio humana suggerat, aut reclamet. Si....Si „ neque per expressum Dei Verbum, neque per necessariam „ demonstrationem ex revelatis „ resolvi queat, audiendi sunt hi „ quorum in Ecclesia est facultas „ docendi & præcipiendi quid „ super eam quæstionem definitum sit .... Si nullo ex dictis modis resolvi queat, tunc „ consulendi sunt qui antiquitate, doctrina, pietate sunt in „ *Ecclesia* excellentiores .... „ Et, si major ac sanior pars „ antiquorum Patrum & Theologorum in aliquod morum „ dogma convenerint, illis est „ adhærendum. Quod si tandem „ circa morales difficultates Patres Patribus, Theologi Theologis, Canonistæ Canonistis adversentur, tunc rationis est definire, juxta regulas prudentiæ, verisimilitudinis, & moralis certitudinis. “

„ Si vero extrahat canones, „ profecto opus est, ut prius „ plane dignoscat, quinam sunt „ canones fidei, quinam morum, „ quinam disciplinæ, ac tandem „ quænam regulæ canonico-civiles: nam canones fidei & morum, perinde ac eorum principia, fides nempe & præcepta „ Decalogi & Evangelica, sunt „ invariabiles; canones vero puræ ac meræ disciplinæ, & regulæ canonico-civiles non plus „ habent firmitatis quam leges „ civiles. At secus est de canonibus disciplinæ qui explicant „ canones fidei vel morum; nam „ ex hac parte, cum spectent ad „ jus naturale, sunt prorsus invariabiles & ~~esse~~ possunt quoad + variabiles „ modum, quo vel fidei exercitium determinant, vel præcepta Decalogi applicant ad praxim, dum ex hoc capite pertinent ad jus, seu legem positivam “.

„ Ut autem canones fidei, „ morum, & meræ disciplinæ distinguamus, “ necesse est, ut perpendamus, 1. Symbolum Apostolorum; 2. Præcepta Decalogi; 3. Præcepta mere ecclesiastica. Idem denique dicendum de Patrum auctoritate: nam si omnes in idem dogma conveniunt, irrefragabilem faciunt auctoritatem: si plures, auctoritatem nanciscuntur non spernendam: præcipue vero consulendi sunt illi qui materiam aliquam *ex professo*, ut ajunt, pertractant. Idem denique de SS. Pontificum decretis & epistolis, quorum auctoritas quanti facienda sit colligitur ex Scriptura, & ex perpetua Ecclesiæ praxi, quæ in dubiis fidei & morum semper illos sollicite consuluit, reverenterque audivit.

Principes tamen sæculares, *quos Deus sanctæ fidei, Ecclesiæque protectores esse voluit*. Trid. sess. 25. c. 20. ut tales possunt, ac debent fidem, Ecclesiamque tueri, & curare, ut ejus leges observentur ut monet S. Leo ad Leonem Imp. epist. 75. 2. Imperator non potest ferre leges pro regionibus, quarum non est Dominus, jure feudi, vel alio titulo. 3. Nemo potest ferre leges contrarias legibus sui superioris, ut patet.

Quæst. II. Quid potest statuere lex humana? (22)

Resp. 1. Non potest quidquam statuere contra legem divinam; sive naturalem, sive positivam. Patet. 2. Homines possunt multa præcipere, vetare, aut irritare, quæ nec lege naturali, nec positiva divina præcepta, aut vetita, vel irrita sunt. Nam potestas legislativa, hominibus concessa, tanta est, quantum postulat bonum commune, propter quod datur. At multa ad bonum commune expediunt, quæ nulla lege divina statuta, ac determinata sunt. 3. Legislator humanus non potest omnibus quoslibet virtutum actus etiam heroicos præscribere, nisi bonum commune aliquem ejusmodi actum exigeret. Nam lex humana, utpote utilis bono communi, ad quod ordinatur, debet esse accommodata hominum conditioni, & vere moraliter possibilis toti communitati, aut saltem majori parti illius. At exercere quoslibet actus virtutum non est hujusmodi; hoc enim paucorum est. Tamen hoc non debet intelligi de legibus, quæ ferri possunt ex aliqua hypothesi voluntaria: sic enim Ecclesia præcipit castitatem perpetuam iis, qui Sacros Ordines suscipere volunt. Item nec de Regulis Religiosorum ex amore perfectionis sponte susceptis.

Resp. 4. Legislator humanus potest omnibus præcipere actus illos virtutum, qui ad bonum commune expediunt, & ordinariæ facultati communitatis accommodati sunt; & potest prohibere illos actus vitiorum qui bono communi noxii sunt, & cum morali utilitate Reipublicæ coerceri, ac puniri possunt. Constat ex dictis.

Nota quod proximus Ecclesiasticæ potestatis finis est cultus divinus, & felicitas æterna; Civilis vero potestatis proximus finis est publica tranquillitas, & temporalis feli-

(22) Licet materia legis humanæ semper honesta esse debeat, ut patet ex legis definitione: non tamen semper requiritur ut sit honesta intrinsece, sed sufficit etiam ut sit talis extrinsece, idem ut ad finem honestum, seu ad bonum commune referri possit. Hinc lex humana non solum virtutis actus imperare potest, sed & multa de se indifferentia, conducentia ad bonum commune.

felicitas populorum; quamvis ejus finis ultimus sit gloria Dei, & æterna hominum felicitas.

Resp. 5. Superior habet potestatem obligandi subditos in omni casu, in quo judicat se posse obligare; quamdiu non est evidens eum falli sic judicando: alioquin magna daretur subditis licentia superiorum jussa abnuendi, quod multum obesset rectæ eorum gubernationi, & bono communi.

Quæst. III. An lex humana possit præcipere actus internos?

Resp. 1. Lex humana potest præcipere actus internos necessarios, ut actus externi sint in tali specie morali, puta contractus, juramenti, Sacramenti, orationis &c. Ita communiter. Nam Ecclesia potest præcipere actus illos internos, qui necessarii sunt, aut valde expediunt ad rectam gubernationem, bonum commune Ecclesiæ, & cultum Dei convenientem. Hujusmodi sunt actus interni, de quibus sermo est. Vel aliter Ecclesia potest præcipere actus externos in hac, vel illa specie contentos, cum possit actus illos præcipere, qui necessarii sunt, aut valde expediunt ad rectam gubernationem, bonum commune Ecclesiæ, & cultum Dei convenientem. Ergo potest etiam præcipere actus internos necessarios, ut illi actus externi sint in tali specie; nam qui potest præcipere aliquid, potest etiam præcipere id omne, sine quo illud esse nequit. Hinc Ecclesia potest præcipere sacerdoti, ut vere sacrificet, baptizet &c. Fidelibus, ut vere orent, contrahant, jurent, voveant &c. Qui sane actus sine intentione, hoc est sine actu interno, fieri nequeunt. Jamvero hanc potestatem Ecclesia sæpius exercuit, quod non fecisset, nisi intellexisset se eam habere. Nam Ecclesia præcipit Confessionem sacramentalem validam, ac proinde etiam dolorem internum ad illam requisitum; unde Alexand. VII. damnavit hanc propositionem: *Qui facit confessionem voluntarie nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Item præcipit Beneficiatis, ut officium devote, & studiose celebrent cap. *Dolentes* de celebrat. & fidelibus auditionem sacri religiosam, & cum intentione interna.

Resp. 2. Ecclesia potest præcipere actus internos necessarios, ut actus externi sint boni, ac honesti. Hæc conclusio eodem probatur modo, quo præcedens probata fuit.

Resp. 3. Ecclesia potest præcipere actus internos necessarios, ut actus externi sint talis honestatis, seu virtutis. Nam Ecclesia potest præcipere, non solum ut actus externus recte fiat, sed etiam ut fiat propter talem finem bonum: sic in gravi necessitate, vel periculo communi

Episcopi jejunia, & preces fidelibus præcipiunt interdum ad avertendam calamitatem publicam, obtinendam pacem &c. Nec satisfacit tali præcepto, qui jejunat, vel orat ob alium finem, licet bonum, cum non faciat id totum, quod præcipitur. Similiter Ecclesia potest præcipere, & interdum præcipit, ut actus fiant, vel omittantur propter talem finem malum. Nam e. g. ex Clement. 1. de Hæret. excommunicantur Inquisitores, qui ex odio, vel amicitia, vel lucri cupiditate omittunt contra justitiam, & conscientiam procedere contra aliquem in causa fidei. Ergo &c.

Porro actus internus ad talem honestatem actus externi necessarius, quantum ad positionem, vel omissionem sui potest sufficienter innotescere per positionem, vel omissionem actus externi: quia cum actu externo unum, eumdemque actum totalem constituit, ac proinde posito actu externo in talibus circumstantiis internus rationabiliter præsumitur poni, & vice versa; nisi sufficientia ad contrarium judicandum adsint indicia; ideoque talis actus internus est sufficienter proportionatus legi humanæ, etiam coactive.

Quæst. IV. An Ecclesia potest præcipere, vel prohibere actus mere internos?

Resp. Communis sententia negat; sed asserunt Glossa in Cap. *Cogitationi* dist. 1. de pœnit. Hadrian. Major, aliique. Eorum fundamenta sunt 1. quod legitur Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis &c.* 2. Quia potestas Ecclesiæ ordinatur immediate ad salutem animarum, quæ pendet maxime ab actibus internis. 3. Quia Ecclesia præcipit directe, & immediate actus internos, ut fidem internam, internamque meditationem &c. 4. Quia Innocentius VI. damnavit hanc propositionem Michaelis de Molinos: *Risu digna est doctrina quædam nova in Ecclesia Dei, animam quoad interna* gubernari *debere per Episcopos . . . Quia Ecclesia non judicat de occultis.*

Nec obstat, inquiunt, illud cap. *Tua nos* tit. de Simon. *Nobis datum est de manifestis tantummodo judicare*. Quia ad præcipiendum, & obligandum in conscientia non necesse est, ut superior possit cognoscere transgressionem factam; sed sufficit, ut revera velit obligare, seu præcipere. Immo sunt qui putant, Ecclesiam punire posse pœna ipso facto lata actus mere internos, v. g. hæresim mere internam; quia ad hoc non requiritur cognitio transgressionis.

Ad auctoritatem, & rationem D. Thomæ respondent, hominem quidem non posse de actibus mere internis ferre legem obligantem sub pœna per hominis sententiam feren-

renda; quia talis lex requirit, ut homo per se possit cognoscere, judicare, & punire: posse tamen ferre legem obligantem tantum sub culpa a Deo punienda, vel etiam sub pœna ipso facto contrahenda, quia lex illa per se operatur omnem effectum, quem habere potest, & qui intenditur a Legislatore.

Quæst. V. An lex ponat rem præceptam in ea virtute, ex cujus motivo etiam extrinseco præcipitur?

Resp. Affirmative. Quia omnis actus specificatur a fine etiam extrinseco, propter quem fit. Sic actus, quo quis furatur, ut se inebriet, est & in specie furti, & ebrietatis. Ergo lex pariter specificatur a fine etiam extrinseco, cum lex æque finem extrinsecum intendat, & actionem aliquam præcipiat, aut vetet tamquam medium ad illum finem. Sic v. g. sumptio cibi, vel potus levissimi ante Communionem est sacrilega ob prohibitionem Ecclesiæ factam ex motivo reverentiæ erga Eucharistiam. Ut autem præceptum obliget subditum ex illa virtute, ex cujus motivo materiæ extrinseco imponitur, requiritur 1. Ut superior declaret se ex illo motivo præcipere, si non sit aliunde notum. 2. Ut velit obligare ad illam virtutem, & rem præceptam facere materiam ejus necessariam.

Quæst. VI. An qui violat legem humanam de actu virtutis alicujus, v. g. Religionis, peccet solum contra obedientiam?

Resp. Peccat etiam contra virtutem illam, cujus actus præcipitur. Nam obligatur ad actum virtutis, qui præcipitur, cum præceptum humanum obliget in conscientia. Hinc qui sacrum omittit die festo, non abstinet a carnibus feria sexta, peccat contra religionem, & temperantiam; & tenetur hæc peccata specie diversa exprimere in confessione, nec satisfacit dicendo se bis peccasse contra præceptum Ecclesiæ.

CAPUT II.

De obligatione Legis humanæ.

Quæst. I. AN Principes Ecclesiastici, & Sæculares possint etiam fidelibus ferre leges obligatorias in conscientia, ita ut earum transgressio sit offensa Dei etiam mortalis.

Resp. Affirmative; est enim de Fide, (23) cum aperte tra-

(23) Licet Auctor opinetur, de fide esse, Principes etiam sæculares condere posse leges obligantes etiam graviter in conscien-

tradatur innumeris ferme Scripturæ locis, cujusmodi sunt. 1. Petr. 2. Roman. 13. Joann. 21. Matth. 16. & 18. Lucæ 10. &c. Et sane. Qui violat jus alterius in re gravi, hoc ipso Deum graviter offendit; nam Deus vult, ac jubet, ut suum cuique tribuatur, & graviter vetat oppositum. At violans præceptum Legislatoris in re gravi, violat graviter jus illius, nempe jus, quod habet, exigendi per legem suam aliquid grave, & quo reipsa illud graviter exigit. Erg.

Porro obligare in conscientia est imponere necessitatem agendi, vel omittendi aliquid ad vitandam culpam, & offensam Dei. Obligatio vero in conscientia est talis necessitas.

Quæst. II. Quandonam lex humana obligat sub mortali culpa?

Resp. 1. Ex communi sententia requiri materiam gravem, cum obligare graviter in re omni ex parte levi sit contra rectam rationem, bonum commune, & convenientem gubernationem, & in perniciem animarum: hinc lex divina naturalis, & positiva nunquam obligat sub mortali in materia levi sub omni respectu. Nulla autem est potestas a Deo data hominibus, nisi ad ædificationem. Item secundum multos requiritur intentio superioris exigendi ex tota sua potestate id, quod statuit; Quia superior potest in materia gravi obligare tantum sub veniali. Non tamen requiritur, ut expresse intendat obligare sub mortali: sed satis est, quod intendat uti sua tota potestate, licet ignoret, quid sit obligatio sub peccato, nam posita gravitate præcepti humani, hoc ipso oritur obligatio gravis, adeoque sub mortali.

Resp. 2. Lex obligat sub mortali, quoties materia est gravis, & legislator absolute præcipit, vel vetat, nec expresse significat se velle solum obligare sub veniali. Ita omnes ex Clement. 2. de verb. signific. Quia tunc superior potestate præcipiendi utitur sine limitatione, & secundum materiæ capacitatem, cui censetur se accommodare, nisi oppositum declaret; & sic imponit præceptum grave, ideoque graviter obligans.

Cæterum ad materiæ gravitatem duo requiruntur, & sufficiunt. 1. Ut finis proximus legis sit magni momenti. 2. Ut id, quod statuitur, non parum ad finem illum conferat, quamvis sit aliquid in se leve. Sic e. g. ingressus viri

scientia; multi tamen non ignobiles Theologi de Principibus sæcularibus id negant; quamvis concedant, id esse fidei proximum, ut testatur Suarez lib. 3. cap. 21.

tiri in claustrum Monialium est materia gravis, quia ejus omissio confert ad gravia mala avertenda.

Resp. 3. Gravitas materiæ, & intentio superioris sufficiens ad obligandum sub mortali cognosci possunt. 1. Ex gravitate verborum, quibus utitur superior: nam gravissima verba non adhibentur a prudenti superiore, nisi circa materiam gravem, & ad significandam gravem obligationem: item dum significat se velle obligare sub gravi culpa. 2. Ex gravitate pœnæ transgressoribus impositæ, qualis est excommunicatio, pœna mortis, exilii, carceris perpetui &c. Patet. 3. Ex communi prudentum judicio, vel ex consuetudine, quæ est *optima legum interpres*: cap. *de consuetud.*

Quæst. III. An Legislator possit in materia gravi obligare solum sub veniali?

Resp. Multi asserunt, & videtur communis sententia. Nam potestas obligandi, quam habet Legislator, est quoad usum in ejus libera voluntate, & sic potest eam applicare, prout voluerit, & materia majoris obligationis est etiam capax minoris: hinc dantur multæ leges, ac constitutiones Religiosorum a SS. Pontificibus approbatæ, quæ obligant solum sub veniali in rebus gravibus, ut jejuniis, abstinentiis &c.

Quæst. IV. An leges fundatæ in præsumptione obligent in conscientia?

Duplex est præsumptio: altera periculi, seu potentiæ, quæ frequenter ad actum reducitur; & altera facti, qua factum aliquod in particulari præsumitur.

Resp. 1. Lex fundata solum in præsumptione periculi, semper obligat in conscientia. Nam leges illæ semper nituntur veritati, ac judicio certo periculi, vel sæpe, vel aliquando contingentis, quod semper verum est. Hinc lex e. g. vetans, & irritans matrimonia clandestina, fundata in periculo fraudis, scelerum, & incommodorum, quæ ex illis facile oriri possunt, obligat, & quidem omnes, etiam in casu, in quo ista certo non evenirent, cum bonum commune postulet, ut omnes, & semper obligentur.

Resp. 2. Præceptum fundatum in præsumptione facti, quod reipsa supponitur, non obligat in conscientia, non subsistente veritate facti: nam tunc non subsistit fundamentum præcepti, nec proinde obligatio ejus. Sic mulier non tenetur obedire Episcopo præcipienti, ut reddat debitum ei, cui ipse præsumit eam esse valide conjunctam, cum tamen non sit propter occultum impedimentum: immo peccaret, si obediret.

Quæst. V. An Lex humana possit obligare cum gravi nocumento, seu damno?

Certum est legem naturalem obligare ad sui observantiam, etiam cum damno vitæ in iis circumstantiis, in quibus jubet, aut vetat aliquid: quia non præcipit, nec vetat nisi id, cujus commissio, vel omissio dedecet naturam rationalem, estque intrinsece malum; quod, etsi leve, nunquam fieri potest. Item id, quod a Deo præcipitur, ut medium absolute necessarium ad salutem animæ obligat cum quovis damno temporali, etiam vitæ; cum salus æterna sit rebus omnibus temporalibus anteponenda.

Resp. 1. Ex communi sententia leges humanæ non obligant plerumque cum gravi nocumento, seu damno, quod per accidens conjunctum est actui præcepto. Id enim eruitur ex c. 2. de observ. jejun. & ex cap. 4. de regulis juris, necnon ex praxi Ecclesiæ, omniumque consensu non audiendi sacrum, jejunandi, recitandi horas &c. cum gravi incommodo, seu damno. Et sane leges divinæ mere positivæ, quæ strictius obligant, quam humanæ, non solent obligare cum gravi nocumento ex c. 12. Matth.

Resp. 2. Ex communi sententia, lex humana, cui periculum gravis damni est accidentarium, observari debet aliquando per accidens cum quovis damno temporali, etiam vitæ; quando scilicet omitti non potest sine contemptu legitimæ potestatis, (24) vel reli-

(24) Contemptus, ut hic sumitur, est actus injustitiæ quo quis alium contemnit, jus ipsius violat ex certa scientia, ex ejus existimatione detrahendo. Huic autem injustitiæ peccato admisceri potest aliud peccatum, vel contra Religionem si Deus aspernetur, vel contra pietatem si parentes, vel contra reverentiam & observantiam, si Prælati contemnantur.

Duplex est: materialis quo res, vel persona aliis quidem postponitur, sed quin alterum cum altero comparetur, aut præferre intendatur; & formalis quo directe & expresse res, aut persona minoris æstimatur aut æstimare velle videtur quam eam æstimari debere cognoscatur. Rursus contemptus formalis, alius cadit in personam Legislatoris; alius in rem ab ipso præceptam; alius in ipsam ejus legem, quamvis iste reducatur ad aliquem illorum. Qui vero præcipit, contemni potest, vel formaliter, quatenus Legislator, vel materialiter, quatenus quidam homo. Tandem contemptus personæ adversatur justitiæ, etsi, ut dictum est, adversari possit aliis virtutibus: contemptus vero rei præceptæ pertinet ad speciem vitii oppositi rei præceptæ, v. g. contemptus orationis ad speciem irreligiositatis.

Ut peccetur mortaliter contra legem, non requiritur contemptus formalis contra ipsam, sed sufficit legis gravitas: quia sine illo stare possunt gravitas materiæ, & plenus voluntatis consensus in legis transgressionem. Similiter formalis contemptus legislatoris semper est peccatum mortale, in quacumque demum materia id contingat: quia talis contemptus redundat in ipsum Deum qui a Legislatore repræsentatur. E contra, transgressio legis

religionis, (25) aut ſcandalo gravi. Quia lex humana, vel ſaltem divina naturalis, tunc obligat ad tuendum, & non contemnendum, etiam exterius tantum, religionem, & poteſtatem publicam, quæ præponderant bono vitæ privati. Dixi, *ſaltem naturalis*: nam contemptus etiam externus legis, & poteſtatis legitimæ, vel religionis, & ſcandalum, ſunt intrinſece mala; ideoque lege naturali prohibita.

Reſp. 3. Ex communi ſententia lex humana poteſt per ſe obligare cum periculo, & damno vitæ, cum in quavis communitate perfecta ſit tota poteſtas ei a Deo collata, ad ſuam conſervationem, & ad bonum commune neceſſaria. Sic Epiſcopus poteſt obligare Vicarium, mortuo Parocho, ad non deſerendum parochianos tempore peſtis; Dux milites ad ſervandam ſtationem, vel irruendum in hoſtes cum certo mortis periculo &c. Lex autem humana tunc maxime per ſe obligat cum periculo vitæ, quando tale periculum per ſe actui præcepto conjunctum eſt. Sed tunc ad juſtitiam legis requiritur, ut res præcepta ſit gravis, & neceſſaria ad conſervationem, vel bonum ſtatum *reipublicæ*. Nam Reſpublica non habet dominium, ſed *ſolum* convenientem uſum vitæ civium.

Quæſt. VI. An, & qualis promulgatio requiritur, ut lex obliget?

Promulgatio legis eſt publica legis denuntiatio facta nomine principis, per quam lex ſubditis innoteſcere poteſt. Fit autem vel voce præconis, vel affixione legis ſcriptæ in loco publico, vel alio ſimili modo. Unde differt a divulgatione, quæ eſt promulgationis extenſio ad omnes, aut ſaltem ad majorem partem ſubditorum.

Reſp. 1. Ex communi ſententia, ut lex obliget, requiritur ſufficiens promulgatio: cum enim rei incognitæ obſervationem velle nemo poſſit, lex non poteſt obligare com-

legis ex contemptu formali rei præceptæ non ſemper eſt peccatum mortale; quia non eſt ſemper ex ejus contemptu quia præcepta eſt, ſed alia de cauſa, e. g. quia eſt levis. Ita Salmantic. Tract. 11. cap. 3. num. 39.

(25) Ex his infertur, non licere catholico tranſeunti per loca Hæreticorum comedere carnes die vetito, quamvis, ſi non edat, prodat ſe catholicum, adeoque de vita periclitetur. Ratio eſt quia eſus carnium, etſi de ſe non ſit ſignum falſæ religionis; talis tamen eſt apud hæreticos, cum hæretici carnium eſu vetitis diebus ſignificent, & ab aliis ſignificari credunt Eccleſiæ Romanæ contemptum, & legum ejus irriſionem. Unde eſt ſignum, ſaltem æquivocum, falſæ religionis. Porro non licet catholico quacumque ex cauſa tale ſignum uſurpare. Ita cum multis Henricus a S. Ignat. Tr. *de Fide* c. 15.

communitatem, nisi ipsi sic proponatur, ut ab ea cognosci possit, quod esse non potest sine sufficienti promulgatione. Adde legem esse regulam publicam actuum: regulam publicam autem debere publice proponi, ut subditi teneantur se ei conformare, sicut regula privata debet saltem privatim proponi. Quare promulgatio, vel est complementum essentiale legis, vel saltem conditio essentialiter requisita, ut lex obliget.

Resp. 2. Ad promulgationem sufficientem nullus modus determinatus ex natura rei requiritur. Quia ex natura rei sufficit, ut lex sic proponatur, quod possit facile pervenire ad notitiam subditorum. Hinc ex natura rei sufficit, ut lex publice denuntietur in civitate in qua residet Princeps, sic enim potest facile in subditorum notitiam pervenire ob frequentem ad sedem Principis recursum ex civitatibus omnibus ei subjectis.

Ad promulgationem vero jure positivo requisitam talis debet esse publicatio, qualis, vel ex lege positiva, vel ex consuetudine, vel ex Legislatoris voluntate præscribitur.

Resp. 3. Lex humana, quæ uno loco promulgatur, non statim incipit ubique obligare, sed solum in unoquoque loco obligat actu elapso eo tempore, quo legis promulgatæ notitia ad illum ordinario modo pervenire potuit. Ex Bull. *Sicut* ad calc. Conc. Trid. Porro licet ignorantes invincibiliter legem promulgatam, & divulgatam ab ejus transgressione excusentur, tamen si lex illa aliquid statuat de esse morali rerum, vel personarum, irritando, inhabilitatem inducendo, habet omnem effectum suum circa illos præter imputabilitatem ad culpam; ut patet in legibus de impedimentis matrimonii, de irregularitatibus superiorum &c. Quia tales effectus non supponunt culpam, & finis illarum legum postulat, ut habeant talem effectum circa omnes.

Quæst. VII. An ut Leges Papæ obligent in Provinciis, debent esse in illis promulgatæ?

Resp. Non pauci censent leges Papæ (10) debere in singulis pro-

(26) Quidquid sit de legibus Pontificiis quæ nudam respiciunt disciplinam, & Christianæ Reipublicæ regimen: necessaria tamen non est in Provinciis promulgatio legum quæ respiciunt fidem, ac mores fidelium: quia, cum non sint juris humani, sed divini, vim obligandi non habent ab hominibus, sed a Deo, infallibilique ejus auctoritate nituntur.

Item ex multis legibus, præcipue vero ex lege, *Haredes*. 21. pa-

provinciis promulgari, ut in illis obligent, nisi in illis usu receptæ sint, vel Papa expresse declaret velle se obligare omnes ubique fideles post promulgationem Romæ factam. Quia Ecclesia jus civile servat, ubi ipsa nihil aliter instituit ex cap. 1. *de novi oper. nunt.* At juxta jus civile lex non obligat provincias singulas, nisi in illis sit promulgata; nec Ecclesia aliter statuit. Plures vero docent leges Pontificias, Romæ tantum promulgatas, obligare in Provinciis omnes, ad quorum notitiam venerint, secluso privilegio, vel legitima consuetudine in contrarium. Quia ex natura rei sufficit unica promulgatio Romæ facta, cum per eam lex possit innotescere in omnibus provinciis, & aliunde Ecclesia nil plus statuit. Producunt deinde praxim, & consuetudinem Curiæ Romanæ causas, & lites definientis juxta leges Pontificias Romæ tantum promulgatas, nec non plerasque Decretales corpori juris insertas, & Pontificum Bullas declarantes omnes teneri ad observantiam legum Romæ tantum promulgatarum. Alii docent spectandum esse usum singularum regionum: quia modum promulgationis sufficientis ad obligationem legis usu & consuetudine determinare debemus, cum nihil de eo lege statutum sit.

Quæst. VIII. An ut leges humanæ obligent, requiratur acceptatio, seu consensus majoris partis?

Resp.

---

parag. 1. *ff. de Testam.* necessaria non est in Provinciis singulis legum Pontificiarum promulgatio quæ non condunt jus novum, sed solum declarant antiquum in illis sufficienter promulgatum; idque, sive Legislator declarationem per se immediate faciat, sive per alium ab ipso deputatum cum potestate faciendi declarationes definitivas, seu decisivas: quia juxta reg. jur. in 6. *quod per alium facimus*, per nos ipsos facimus ". Atque hanc sententiam communem esse ostendit Fagnanus ad c. *quoniam*, *de Constit.*

Hinc. 1. Declarationes Concilii Tridentini a Sac. Congregatione Cardinalium ejusdem Concilii interpretum factæ, non sunt mere doctrinales, sed definitivæ perinde ac si Papales essent, quia fiunt ex commissione Papæ a personis ad id a Papa auctorizatis, ut constat ex Bulla Sixti V. septima part. 2. ejus Bullar. Videatur Fagnanus ad cap. *quoniam de Constit.* 2. Regulares non magis uti posse privilegiis quæ dicta Congregatio sublata declaravit, sive per Concilium Tridentinum, sive per SS. Pontificum Bullas in Provinciis promulgatas, quam si Concilium ipsum Tridentinum, vel SS. Pontifices id declarassent; sive declarationes illæ sint solemniter in Provinciis promulgatæ, sive non. 3. Statim parendum esse, quin expectetur eorum promulgatio, Apostolicæ Sedis decretis in quibus nonnullæ propositiones, jus divinum aut naturale spectantes, practicari aut doceri prohibentur: cum istud jus sit sufficienter promulgatum. Ita Henricus a S. Ignat. tom. 2. lib. 1. cap. v. n. 39. &c.

Resp. neg. Nam obligatio obediendi necessario oritur ab auctoritate superioris, non a consensu subditi: alioqui subditus nolens obedire superiori non peccaret: unde sicut præceptum particulare superioris absolute impositum obligat subditum independenter ab illius acceptatione; alioqui potestas præcipiendi esset inutilis, & inefficax; ita pariter lex, seu præceptum commune obligat communitatem independenter ab ejus consensu. Hinc Legislatores supremi possunt cogere, immo sæpe pœnis cogunt subditos ad legem recipiendam, & hi nequeunt sine culpa resistere (27) ex Rom. 13. Quamobrem Alex. VII. damnavit hanc propositionem: *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.*

Hoc tamen intelligi debet de legibus absolute latis, & cum intentione statim obligandi. Intentio autem Legislatoris cognoscitur vel ex ipsius verbis, vel ex ejus modo agendi, vel ex usu. Item si lex promulgata non observetur a majori parte communitatis, tunc si Legislator id sciat, & taceat, censetur consentire, ut non servetur, nec obliget. Nam *qui tacet consentire videtur* reg. 43. jur. in 6. Secus si Legislator urgeat observantiam legis puniendo v. gr. violatores. Rursus si Legislator ignoret legem non recipi, nec servari a majori parte communitatis, lex obligat, donec legitime præscripta sit, nisi lata sit sub conditione saltem tacita acceptationis. Denique ut lex censeatur recepta, & vigere, sufficit consensus tacitus majoris partis subditorum. Nam major pars prævalet minori. Immo sufficit, ut recipiatur a dignioribus Reip. quales Præsidentes, & Senatores. In dubio autem, an lex recepta sit, præsumi debet pro ipsa, quia in dubio factum præsumitur, si jure faciendum erat.

C A-

(27) Si tamen aliqua justa causa adsit suspicandi, vel etiam credendi, legem a Principe latam esse ex mala informatione, seu falsa aliqua suggestione, tunc populus, & qui populo præest, absque inobedientiæ culpa, potest reverenter supplicare, legisque executionem interim suspendere, cum animo parendi, si Princeps, plene instructus, observantiam urgeat. Ita ex Alex. III. cap. *Si quando*, de Reform. & c. *cum teneamur*, de Præb. idem dicendum, quoties lex aliquod maximum incommodum secum trahit, præsertim a Principe ignoratum, vel quoties propter aliqua Legislatori ignota, v. g. propter antiquum jus in contrarium, lex prudenter creditur plus allatura damni quam utilitatis; dummodo id fiat bona fide sincera intentione, debitaque reverentia.

CAPUT III.

De modo, quo observandæ sunt Leges.

Quæst. I. AN ad satisfaciendum præcepto requiritur intentio illi satisfaciendi?

Certum est requiri intentionem faciendi opus, quod præcipitur. Quia actus lege præscriptus est actus humanus, qui est essentialiter voluntarius, ac liber. Actus autem non potest esse voluntarius sine voluntate illum ponendi. Hinc per actus mere coactos non satisfit præcepto.

Resp. 1. Ut satisfiat præcepto negativo nulla requiritur intentio. Quia per tale præceptum non exigitur actus, aut omissio libera, sed solum prohibetur actus humanus.

Resp. 2. Ut satisfiat præcepto affirmativo non requiritur intentio expressa ei satisfaciendi, sed sufficit implicita, vel interpretativa, contenta in voluntate faciendi actum præceptum, quæ non excludat intentionem implendi legem. Quia lex non jubet positionem actus, ut præcepti, vel ex intentione ei satisfaciendi, sed ut actus voluntarie fiat. Unde si ignorans præceptum, rem præceptam libere faciat, vere illud implet. Immo secundum multos satisfacit præcepto, qui voluntarie facit rem præceptam animo expresso non eo satisfaciendi per illum actum, nisi ex errore putet se ita præcepto non satisfacere. Nam voluntas non satisfaciendi præcepto per executionem voluntariam actus præcepti inefficax est, & qui facit voluntarie actum præceptum revera illud implet, cum nil aliud præcipiatur. Illud vero axioma, *Actus agentium non operantur ultra intentionem eorum* verum est duntaxat respectu eorum, quæ ab intentione agentium pendent, ut sunt v. gr. contractus. At non pendent ab eo, qui voluntarie actum præceptum posuit, ut per hoc non satisfecerit præcepto. Aliud dicunt de voto. Quia vovens sibi imposuit obligationem voti, unde ab ejus voluntate pendet eam retinere, ac prorogare, seu ei satisfacere. Alii tamen (28) negant tunc impleri præceptum; quia volun-

(28) Horum sententia, licet in contrariam Auctor inclinare videatur, probabilior nobis apparet: quia qui expresse & positive declarat ac deliberat se nolle satisfacere præcepto, is nullam, nequidem virtualem intentionem habet satisfaciendi præcepto, cum tamen ex eodem Auctore nostro intentio saltem impli-

voluntas est contraria impletioni præcepti. Sed responderi potest talem voluntatem esse inefficacem, ac proinde non repugnare efficaciter impletioni præcepti, nec illam impedire. Id videtur certum talem teneri saltem congruo tempore mutare intentionem, vel saltem se judicare satisfecisse præcepto per actum positum.

Quæst. II. An ad satisfaciendum legi debeat intendi finis legis?

Duplex est finis, & modus legis, nempe intrinsecus, qui est id, quod reipsa per legem præcipitur, vel prohibetur; & extrinsecus, & est id, ad quod res præcepta dirigitur, & ordinatur a Legislatore. Modus autem intrinsecus est ille, sine quo substantia rei præceptæ impleri nequit, ut attentio interna in oratione: extrinsecus est is, sine quo substantia rei præceptæ poni potest.

Resp. 1. Sine fine, & modo intrinseco legis non impletur præceptum, (29) ut patet ex eorum notione. Unde uterque cadit sub præceptum. Resp. 2. Si finis extrinsecus, ad quem ordinatur actus præceptus, præcipiatur a superiore, non satisfacit præcepto, qui illum sibi non proponit; quia tunc non facit id totum, quod præcipitur, & finis ille est etiam materia legis. Finis autem præcipi censetur quoties præcipitur actus faciendus ob certum finem in lege expressum, ut jejunium ad avertendam calamita-

plicita vel interpretativa requiratur. Hujus sententiæ assertores sequitur Continuator Prælect. Theol. Honorati Tournely, Tr. de Legib. cap. 3. art. 2. sect. 2. Ubi tamen duo hæc addenda censet animadversione digna.

I. Qui utcumque renitens, vix actum lege præceptum exequitur, non semper transgressor est præcepti, ut patet in pueris qui missam pie audiunt, qui non audissent, nisi parentum minis coacti. 2. Qui præceptum aliquod implevit sed minus exacte quam optasset, proindeque novam præcepti executionem, ut ei satisfaciat, sibi proponit, si postea suo vel alieno consilio novæ voluntatem adimpletionis abjiciat, non peccat, quia tempore adimpletionis interpretativam saltem satisfaciendi voluntatem habuit.

(29) Pro praxi hujus regulæ tunc finis & modus intrinsecus legis censetur ab operante intendi, quamdiu non excluditur positive. Si autem operans illum positive excluderet, tunc aut revera actionem adimpleret, sicut oportet, e. g. audiret missam, sicut oportet, pie ac devote, vel non; si primum, sunt Theologi qui tenent illum satisfacere præcepto, quia volens, nolens, exercendo illum sicut oportet, coleret Deum; ast peccare tamen illum peccato gravi inobedientiæ contra subjectionem legi debitam, retinendo affectum illum pravum præcepto legis repugnantem contendunt: si vero illum non faceret, sicut oportet; tunc omnes conveniunt, jam eum non ponere actionem præceptam, & esse legis transgressorem, simulque inobedientem.

nitatem publicam. Resp. 3. Si finis extrinsecus a Legislatore intentus non præcipiatur, satisfacit præcepto, qui opus præceptum exequitur, etsi finem illum non intendat. Patet ex dictis.

Quæst. III. An satisfaciat præcepto, qui opus illius exequitur actu ex fine, vel circumstantia mala?

Agitur hic de lege humana. Nam lex naturalis prohibet quemlibet finem, & modum agendi pravum, utpote dissentaneum naturæ rationali, præcipitque finem honestum, & modum convenientem in omnibus actibus liberis.

Resp. 1. Non satisfacit præcepto, qui facit opus cum peccato repugnante substantiæ præcepti, aut illud facit sine ea honestate, ac rectitudine, quæ a superiore expresse præcipitur, vel essentialis est actui; nam tunc non fit id totum quod præcipitur. Resp. 2. Quando honestas, ac rectitudo non est actui externo essentialis neque expresse injuncta a Superiore, sine ea satisfit præcepto humano; quia tunc sine ea ponitur id totum quod præcipitur ab homine: & actus vitiatur tantum per peccatum præcepto *accidentarium*: unde retinet bonitatem, & speciem moralem *objectiva* lege intentam. Sic miles fortiter pugnans *ex vana gloria* adimplet præceptum ducis, licet peccet contra legem naturalem ob finem malum. Idem dic, quando actus vitiatur solum ratione motivi cujusdam extrinseci venialiter mali impulsivi, vel se habentis solum concomitanter. Sic qui devote, & attente Sacrum audit ex motivo intrinseco Religionis, licet concomitanter moveatur, aut prius impellatur vana gloria, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

Quæst. IV. An per unum eumdemque actum possint impleri plura præcepta?

Resp. 1. Non possunt, nisi constet talem esse intentionem præcipientis. Quia superior aliquid præcipiens censetur exigere aliud, quam quod alias debitum est. Sic pœnitens præcepto jejunandi à Confessario imposito non satisfacit per jejunium jam ex voto, vel præcepto Ecclesiæ debitum. Item si obligatio per se postulat aliud opus quam quod jam debitum est, ut contingit in materia justitiæ, ubi semper attenditur æqualitas rei ad rem, ut si debeas centum v. g. ex contractu, & ex damno illato.

Resp. 2. Si prudenter existimetur Superior concedere, ut per unum actum satisfiat duplici præcepto, tunc satisfit. Quia obligatio ad unum, vel plures actus pendet ab ejus voluntate. Intentio autem superioris cognosci potest vel ex circumstantiis, fine, ac natura operis præscripti, vel ex communi usu, & interpretatione. Sic si Confessarius

injun-

injungat, auditionem ſacri per menſem, pœnitens ſatisfacit unum ſacrum diebus feſtis audiendo. Secus ſi injungat, ut ſacrum omnibus diebus feſtis per annum audiat. Ut plurimum (30) duo præcepta uno actu implentur, quando idem, eodem die ex eodem motivo præſcribunt.

Quæſt. V. An eodem tempore pluribus præceptis ſatisfieri poſſit per plures actus?

Reſp. Communis ſententia aſſerit, modo unus actus non impediat alium, nec attentio uni debita, tollat alteram. Conſtat ex Quæſt. II. & ſequentibus. Sic ex communi ſententia, qui die feſto tempore ſacri recitat horas cum intentione, & attentione debita, ſatisfacit præcepto miſſæ & præcepto recitandi horas.

Quæſt. VI. An peccet, qui ponit voluntarie impedimentum impletioni legis?

Reſp. 1. Peccat qui illud apponit directe, & ex intentione non implendi legem. Patet. Reſp. 2. Peccat contra præceptum, qui ejus obſervationi impedimentum infert per actionem non neceſſariam eo tempore, quo urget præceptum, vel paulo ante, aut tunc temporis non removet impedimentum, cum poteſt, ſine gravi damno. Ita communiter. Quia lex præſcribens aliquid, ſimul virtualiter vetat id omne, quod cum actione, vel omiſſione præſcripta incompoſſibile eſt, alioqui non eſſet per ſe efficax. Hinc qui die jejunii pila ludit cum ea defatigatione, quæ reddat illum impotentem jejunare peccat contra præceptum jejunii. Idem dic de illo, qui, quantum poteſt, ab excommunicatione abſolutionem ſibi comparare non ſtudet ad communicandum in Paſchate, immo ad Sacrum audien-

(30) Plura præcepta uno actu implentur, cum vel impoſſibile eſt plures actus poni eo tempore quo plura urgent præcepta idem jubentia; vel cum, unico actu poſito, tollitur alterius præcepti cauſa, e. g. tollitur cauſa præcepti de danda eleemoſyna e. g. proximo extrema neceſſitate laboranti, ſi eidem ob votum eleemoſyna impertiatur.

Sed duo hic notanda ſunt: 1. Numquam poſſe ſatisfieri per unum actum pluribus præceptis, niſi quando hæc ſimul concurrunt. Conſtat ex hac propoſitione ab Alexandro VII. improbata, „Unico officio poteſt quis ſa„tisfacere duplici præcepto, pro „die præſenti & craſtino" 2. Eum qui multis præceptis ſimul concurrentibus non poteſt unico actu ſatisfacere, ſi uni potius quam alteri ſatisfacere non intenderit, cenſeri ſatisfeciſſe, vel graviori, ſi unum alio gravius ſit, vel omnibus pro rata, ſi eadem ſit omnium gravitas ita ex leg. 97. parag. *De ſolutionib.* Quod ſi uni præ aliis ſatisfacere intenderit, huic, non aliis ſatisfeciſſe judicandus eſt, niſi cum expreſſa voluntate implendi unum ſimul habuerit interpretativam voluntatem implendi aliud.

diendum diebus festis. Resp. 3. Materiæ præceptæ gravitas, vel necessitas potest esse tanta, ut præceptum obliget ad nunquam apponendum impedimentum ejus observationi, etiam multo tempore, antequam urgeat, ad tollenda impedimenta etiam remota, & ad adhibenda media difficilia, ut patet in iis, quæ sunt necessaria ad salutem, honestatem morum, & ad bonum commune.

Quæst. VII. An qui non potest totum opus præceptum implere teneatur ad partem, quam potest? Resp. Affirmative si præceptum sit de re, quæ commode dividi potest, & in cujus parte invenitur ratio præcepti, ut in septem Horis Canonicis, in jejunio totius Quadragesimæ. Tunc enim partes etiam seorsim sumptæ faciunt ad finem præcepti; nec est causa sufficiens excusans a parte possibili, quæ est utilis fini. Hinc Innocentius XV. damnavit hanc propositionem: *Qui non potest recitare matutinas, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem*. Porro hæc regula, *Accessorium sequitur principale* valet duntaxat in illis, quæ indivisibilia sunt. Deinde pars non est proprie accessorium totius.

Quæst. VIII. Quid agendum quando simul occurrunt duo præcepta, quæ simul servari nequeunt? Resp. per se loquendo, servandum est majus præceptum; Quia prævalet minori, & gravius obligat, unde tunc minus obligare desinit. Dixi *per se loquendo*. Nam interdum servari debet præceptum inferius, ut cum hujus materia gravis concurrit cum materia levi præcepti majoris.

CAPUT IV.

De subjecto Legum.

Quæst. I. QUinam legibus humanis subjiciuntur? Resp. Ex communi sententia omnes, & soli adulti (31) subditi. Nam illi omnes, & soli, saltem qui non sint perpetuo amentes,

---

(31) Hinc infantes legibus humanis præceptivis non obligantur. Sed ita non est de pueris, de circa quos sequentia notanda sunt. 1. Ipsos, si ante rationis usum aliquem mutilaverint, vel occiderint, irregularitatem non incurrere: quia sic Clem. V. declaravit, Clement. *Si furiosus*. 2. Ex canone *Pueris*, de Delict. Puer.

tes, (32) sunt capaces cognitionis, & directionis humanæ, & libertatem habent saltem habitualem: & jurisdictio non potest exerceri, nisi in subditos.

Quæst. II. An exempti a jurisdictione Legislatoris obligentur illius legibus ex vi illarum, si in ejus Territorio habitent. Resp. neg. Quia exempti non sunt subditi Legislatoris; & ipse non potest obligare, nisi subditos cap. 22. de sent. excomm.

Circa Regulares, qui, utpote exempti non obligantur legibus Episcopalibus, aut synodalibus, immo nec decretis synodi Provincialis, ut declaravit Sacra Congregatio apud Fagnanum in cap. *Sicut olim*, & confirmavit Gregorius XIII. in suis responsionibus ad Concilium Rorhomagense in eodem Concilio publicatis anno 1581. Circa Regulares, inquam vide lib. 7. cap. XII. de Synodo Diœcesana SS. D. N. Benedicti Papæ XIV. ibi enim perspicue ostenditur, Episcopos nequidem in Synodis posse privilegiis derogare ab Apostolica Sede Regularibus concessis; posse vero plura decernere, tamquam Apostolicæ Sedis delegatos, quibus Regulares obligentur, quæ tangit etiam Auctor Noster, sed omisi, ne eadem frustra repeterem, actumque iterum agerem. Sunt autem 1. „ Non licet Regularibus (sunt verba Decreti editi die 10. Augusti „ 1630.) etiam in eorum propriis Ecclesiis Sanctissimum „ Eucharistiæ Sacramentum publice adorandum exponere, „ nisi ex publica causa, quæ probata sit ab Ordinario, „ ex causa autem privata posse, dummodo Sanctissimum „ Sacramentum e tabernaculo non extrahatur, & sit ve- „ latum ita, ut ipsa sacra Hostia videri non pos- „ sit 4. " Secundo Regulares non solum a Superioribus, sed etiam ab Episcopis puniri posse, si delinquant contra

Decre-

Puer. Theologos & Canonistas docere, pueros qui septimum ætatis annum attigerunt humanis legibus obligari. 3. ex Alex. III. cap. *Referente*, de delict. Puer. Pueros ante annum decimum cum dimidio censuras ecclesiasticas non incurrere. 4. Utrum nec ne pueri incurrant reservationem, si quando committant crimen, alias Episcopo reservatum, inquirendum esse ab Episcopis, cum hoc ab ipsorum pendeat arbitrio. Qui tamen faciles esse debere videntur in pueris eximendis; tum quia mitius cum illis agendum est quam cum aliis; tum maxime quia in ipsis non reperitur necessitas episcopalis examinis & correctionis, qualem exigit casuum reservatio.

(32) Perpetuo amentes, ne materialiter quidem peccant, diebus festivis opera servilia exercendo, ideoque Layman fas esse dicit, opera servilia tunc ipsis imponere. Verendum tamen est, ne peccet qui amentis opera, velut instrumento, utitur ad proprium lucrum ex ea diebus festivis percipiendum, cum per amentem, velut per instrumentum, operari videatur.

Decretalem Innocentii III. in cap. 1. *de custod. Ecclesiast.* & ad multorum observantiam compelli posse circa Sacrificium Missæ, novas imagines, & reliquias; ut si admittant in missa indecentia, & prohibita, si novas imagines, & reliquias ab Episcopo non approbatas exponere contendant &c. Tertio posse etiam sub pœna etiam suspensionis a Divinis ipso facto incurrenda Regularibus injungere, ne quempiam exterum Sacerdotem in suis Ecclesiis celebrare permittant sine prævia Ordinarii licentia. Quarto corrigi, ac puniri posse delinquentes in iis, quæ respiciunt clausuras monialium, etiam ipsismet Regularibus subjectarum. Quinto si recipiant confessiones, non obtenta ab Episcopo licentia, & facultate, etiam monialium, quæ ipsis subsunt; si prædicent in Ecclesiis suorum Ordinum, Episcopo contradicente, vel non petita benedictione, aut in alienis Ecclesiis sine ejusdem Episcopi licentia, si renuant accedere ad publicas Processiones; si Episcopi interdictum, vel indictos ab eo dies festos non servent, aut ejusdem censuras promulgare recusent; si in alicujus Sacramenti administratione graviter delinquant; & si *habitum* sui Ordinis dare præsumant Tertiariis *collegialiter* non viventibus, inconsulto Episcopo. Sexto refert, quod Sacr. Congreg. Concilii approbante Clem. IX. declaravit: Regulares quoscumque absque legitima „ facultate accedentes ad colloquendum, etiam per quodcumque modicum temporis spatium cum monialibus, „ aut aliis intra clausuram degentibus peccare mortaliter, „ eosque sub excommunicationis, privationis vocis activæ, & passivæ aliisque contra Regulares accedentes sine licentia ad Monasterium Monialium, statutis pœnis, posse ab Ordinario, tamquam Apostolicæ Sedis delegato coerceri. " Et die 26. Nov. 1627. respondit nullam, quantumvis honestam, & rationabilem causam, eximere a gravi culpa Regulares accedentes ad Moniales sine Episcopi licentia. Ac die 21. Maii 1678. iisdem pœnis affici dixit Regulares, qui post habitam ad Moniales concionem de quibuscunque rebus cum iisdem loquuntur, nisi specialem quoad hoc facultatem ab Episcopo antea impetraverint. Vide etiam c. 42. & 43. & l. 8. cap. 4. ubi num. 6. asserit non adigi ad jejunia indicta ab Episcopo, aliove Prælato, cujus jurisdictioni, & imperio non subjacent; teneri tamen ex consuetudine vim legis habente, si a communitate ex antiqua consuetudine hujusmodi jejunia serventur; & jure naturæ, si non jejunando aliis scandalum præbeant.

Quæst. III. An Legislator obligetur legibus suis, vel Prædecessorum?

Resp. 1. Legislator non obligatur legibus Prædecessorum suorum, vi ipsarum legum, quia parem, immo eamdem cum illis habet potestatem: neque obligatur suis legibus, quia non est sibi subditus. Vide L. 51. ff. de recept. arbit. & L. 31. ff. de Legibus.

Resp. 2. Legislator tenetur servare leges a se, vel prædecessoribus suis latas, quando materia convenit Principi, & subditis. Ita S. Thom. 1. 2. q. 66. ad 3. & Theologi communiter. Tenetur autem jure naturali; quia lex naturalis præcipit, ut Princeps communitatis, cujus caput est, se conformet in iis, quæ æque ipsi ac aliis conveniunt; & Princeps æque, immo magis, quam subditi, tenetur curare, & prosequi bonum commune, ac proinde servare leges. Id etiam evincitur ex jure Canon. cap. 6. *de Const.* & cap. *justum &* dist. 9. & ex jure Civ. L. 4. Cod. de Legibus.

Tenetur autem Legislator jure naturali leges suas servare, etiam secluso scandalo; & quidem tam graviter, quam subditi ejus; quia hoc exigit æquitas, officium Principis, bonum commune, & recta, ac utilis gubernatio, ut patet. Unde Legislator violans legem suam, vel prædecessoris sui, admittit peccatum ejusdem speciei, ac subditi eam violantes v. g. peccatum intemperantiæ, si non servet jejunium a se præceptum. Non tamen incurrit pœnas lege humana impositas, quia legibus illis humanis non est subjectus. Si tamen habeat justam causam non servandi legem, ob quam licite dispensare posset cum subdito, tunc non tenetur servare legem; quia tunc cessat ratio obligationis. Hæc autem omnia intelligi debent de Legislatore habente potestatem ferendi leges absolutam, & independenter a communitate. Nam Duces rerum publicarum tenentur legibus, quas cum illis tulerunt; quia subditi sunt communitatis a qua feruntur.

Quæst. IV. An Clerici obligentur legibus civilibus?

Resp. affirmative quoad leges civiles, quæ non repugnant sacris canonibus, vel officio clericali, qualis est lex taxans pretium rerum, aut vetans gestationem armorum nocturno tempore, aut asportationem frumenti extra Provinciam. Ratio est manifesta; nam etiam clerici sunt cives, & partes quædam, seu membra communitatis politicæ, & commodis ejus fruuntur. Id etiam statuitur a Nicolao I. Epist. 8. & habetur a Chrysostom. in illud Rom. 13. *Omnis anima potestatibus superioribus subdita sit.*

Quæst. V. An Peregrini teneantur legibus sui Territorii propriis?

Peregrinus dicitur is, qui extra territorium, ubi domicilium habet, transit per aliquem locum, vel alicubi mora-

moratur cum animo redeundi. Advena, qui extra patriam suam domicilium fixit. Vagus, qui nullibi domicilium certum habet. Certum est præcepta personalia semper personas obligare, ubicunque fuerint: nam illa semper personis cohærent. Idem est, si lex prohibeat actionem ubivis factam, quæ cedat specialiter in damnum communitatis, ut est venditio armorum, vel aliarum rerum hostibus, talis enim lex ex communi sententia obligat subditum extra territorium versantem, qui puniri potest, si eam violet, quia damnum territorio illatum censetur moraliter factum intra illud. Ex Leg. 4. Cod. *de commerc.*

Resp. 1. Peregrini non tenentur servare leges sui Territorii, quando extra illud versantur. Ita communis sententia. Quia potestas legislativa agere non potest extra sphæram activitatis suæ quæ sphæra non extenditur ultra proprium Territorium. Vide cap. 2. *de const.* in 6. Suppono, quod tum ipse peregrinus, tum res circa quam operatur, & ejus actio sint extra Territorium. Nam si res aliter se habeat ex communi sententia tenetur peregrinus legibus Territorii, & pœnis per illas statutis. Quia tunc delictum merito censetur committi intra, non extra *Territorium*; & delinquens censetur ratione delicti ibi esse moraliter præsens in Libr. 2. codic. *quæ res asportari* &c. Hinc Beneficiarius absens a Territorio, in quo beneficium habet contrahit censuras in non residentes latas ab Episcopo beneficii ex cap. 2. *de cleric. non resid.*

Resp. 2. Ex communi sententia Peregrinus non tenetur servare præceptum etiam juris communis v. g. jejunium *vigiliæ*, vel festum S. Thomæ, si illa ex privilegio, aut consuetudine legitima non servetur in loco, ubi bona fide diversatur. Quia privilegium locale, vel consuetudo localis spectat omnes, qui sunt in loco. Legesis Augustinum Epist. 117.

Resp. 3. Qui causa subterfugiendi legem etiam localem abit in locum, ubi illa non viget, non ideo ab illius obligatione liberatur. Quia leges, quæ ad subditorum utilitatem præsertim spiritualem ordinantur, ut sunt Ecclesiasticæ, eam conditionem annexam habent, quam communis Fidelium persuasio, & Episcoporum praxis ostendit, ut subditis sine justa causa earum obligationem subterfugere non liceat. Immo ipsa lex divina naturalis generatim præcipiens diligentem observationem legum, & ordinis id vetat. Hinc illud capit. 15. & 16. *de script. Fraus, & dolus alicui patrocinari non debent*, quod confirmatur in responso Cardinalium ab Urbano VIII. in Brevi ad Archiepiscop. Colon. auctoritate Apostolica con-

firmato. Hinc peccant contra legem, qui alio discedunt, præcise ut carnibus vescantur, vel operibus servilibus vacent, cum hæc in sua diœcesi vetita sunt.

Quæst. VI. An qui e suo domicilio, ubi lex obligat, abit in locum, ubi non obligat, tenetur illam implere, antequam exeat?

Resp. Tenetur, si prævideat illam impleri non posse in alio loco. Est communis sententia. Quia hæc est praxis, & persuasio Fidelium timoratorum. Hinc qui abit die festo ad locum, ubi festum non est, tenetur audire Sacrum, priusquam exeat, si possit absque gravi incommodo, & nequeat alibi audire: sicut si non exiret, teneretur audire primam missam, si prævideret postea impeditum iri. Quia præceptum obligat simpliciter illo die, & non potest impleri, nisi audiendo missam primam; nam hic, & nunc, & respectu talis hominis illa est unica, & præsens hora est ultima ipsi apta ad implendum præceptum.

Si in loco domicilii tui sit lex jejunii, non potes ibi jentaculum sumere mane, eo quod scias te vespere fore in loco, ubi illa non obligat. Quia obligaris jejunio, quamdiu existis in loco, ubi obligat lex jejunii.

Quæst. VII. An Peregrini tenentur legibus specialibus loci, in quo versantur?

Certum est 1. Eos, qui accedunt ad aliquem locum animo ibi manendi perpetuo teneri statim legibus illius loci, cum jam vere sint illius incolæ, ex l. *Cives* Cod. *de incolis*. 2. Statim teneri legibus loci eos, qui in illum veniunt animo ibi manendi per majorem anni partem, ut faciunt scholastici, famuli, operarii &c. Constat ex usu, & communi Doctorum sententia. 3. Peregrinos teneri servare leges loci, per quem transeunt, quando alias esset periculum scandali, cum hoc vetet lex naturalis: vel quando illæ leges sunt juris communis, quamvis ex consuetudine, vel privilegio non serventur in loco domicilii sui, ut docent communiter Theologi, quia Legislatori juris communis subditi sunt, & consuetudo, ac privilegium extra Territorium vim non habeat. 4. Peregrinos teneri servare in contractibus leges, ac consuetudines loci, in quo contrahunt, nam quisque sortitur forum in loco contractus cap. ult. *de foro compet.*

Resp. 2. Peregrini, & a fortiori Vagi, tenentur servare leges, & consuetudines etiam speciales loci, in quo morantur etiam ad breve tempus. Quia pax, ordo, recta gubernatio, bonum commune Territorii postulant, ut leges locales serventur ab omnibus, qui sunt in loco, quamdiu in eo morantur. Et sicuti peregrini exeuntes e pro-

proprio Territorio, ſolvuntur legibus illius: ita eo ipſo quod ingrediuntur Territorium alienum, ſubjacent legibus illius, præſertim cum gaudeant ejus privilegiis. Nam qui ſentit commodum, & onus ſentire debet ex reg. juris 55. in 6. Tenentur tamen peregrini ſolum iis legibus loci, quarum obſervatio non requirit longius tempus, quam illud, quo ipſi ibi morantur. Nam quoad alias non cenſentur eſſe ibi moraliter. Hinc tenentur ſervare omnia præcepta localia negativa, v. g. abſtinere ab eſu carnium. Nam hæc non requirunt moram. Secus eſt de præceptis affirmativis, ſecluſo ſcandalo, & mora.

CAPUT QUINTUM.

De Interpretatione, & Epikija.

Quæſt. I. QUid, & quotuplex eſt interpretatio legis?

Reſp. Interpretatio legis eſt explicatio *ſenſus legis*. Triplex eſt: authentica, & eſt ea, quæ fit *per ipſum* Legislatorem, vel ejus Superiorem, vel ſucceſſorem, vel per miniſtros ab ipſo conſtitutos. Uſualis quæ petitur ex communi ſenſu. Et Doctrinalis, quæ fit per homines doctos, & peritos. Interpretatio iterum duplex eſt; una ſimplex, qua explicatur ambiguitas verborum legis; & altera per æquitatem, qua interpretamur caſum aliquem particularem non comprehendi in lege, quamvis verba legis clara ſint, & perſpicua. Hæc dicitur Epikija.

Quæſt. II. Quænam ſunt regulæ aptæ ad recte faciendam interpretationem doctrinalem?

Reſp. Hæ a Doctoribus traduntur. 1. Accipienda ſunt verba legis ſecundum eorum proprietatem, & uſitatam acceptationem; niſi ſic accepta injuſtitiam, vel abſurditatem redolerent, aut legem inutilem redderent. In dubio autem uſus, & acceptatio communis verborum præferri debet eorum proprietati. 2. Correctio legum vitanda eſt, quoad fieri poteſt, utpote noxia, & incommoda communitati, ex cap. 29. *de elect.* in *6*. 3. Si legis verba ſunt æquivoca, vel ambigua eorum ſignificatio ſpectanda eſt ex antecedentibus, & conſequentibus, ex materia, & circumſtantiis legis, atque etiam ex aliis legibus, in quibus eadem verba, vel ſimilia in tali, & tali ſenſu accipiuntur, ſed præſertim ex fine legis; ex cap. 6. *de verb. ſignif.* & ex S. Thom. in 3. diſt. 37. art. 3. 4. Lex pœnalis, & omnis alia oneroſa ſtricte interpretanda eſt ex reg.

jur. 49. in 6. In favorabilibus vero late est accipienda ex reg. 15. jur. in 6. 5. Lex generaliter, vel indefinite loquens omnia significata propria comprehendit ex Argum. l. 8. parag. *de Publicano*. 6. Cum lex frequentioris usus causa aliquid decernit, causam minus frequentem non excludit, sed comprehendit, quia exemplum non limitat dispositionem, sed declarat. 7. Lex positiva non semper ob paritatem rationis extendi debet ad casus sublata verborum forma non comprehensos. Quia non ratio legis, sed voluntas Legislatoris significata subditis est lex, & obligat. Dixi, *Non semper*. Nam lex extenditur ob identitatem rationis 1. Si aliqua iniquitas, vel absurditas sequeretur ex eo, quod lex non extendatur ad alios casus non expressos. 2. In correlativis. Sic lex statuens de uxore censetur idem statuere de marito, quando est par ratio pro utroque, ut cum agitur de debito conjugali, ex l. ult. Cod. de indicta viduit. 3. In æquiparatis, & connexis. 4. In judiciis ex l. 12. parag. de Legib.

Porro particulæ, *aut vel*, aliquando accipiuntur copulative ex l. Sæpe c. de verbor. signific. Particulæ, *seu*, *sive*, plerumque sumuntur copulative, aliquando tamen disjunctive.

Quæst. III. Quandonam licet uti Epikija?

Resp. Epikija, quam non naturalis, sed sola lex positiva admittit, utpote sola per verba generalia statuens, quæ restringenda sunt ex æquitate in certis casibus, Epikija, inquam, uti possumus 1. Quoties secundum verba generalia legis agendo, fieret aliquid contra rectam rationem, & bonum commune. 2. Quando evidens est non posse servari legem sine gravi damno, cum quo constet legem non obligare, saltem si adiri nequit Superior. In dubio, num aliquis casus comprehendatur in lege debet consuli Superior ex cap. 31. *de sent. excomm.* & lib. 1. & ult. cap. de Legib. Si non possit consuli, non licet uti Epikija, sed servanda est lex, quia in dubiis tutior pars eligi debet. Legesis S. Thom. 2. 2. q. 120. art. 1, ad 3.

CAPUT SEXTUM.

De Dispensatione.

DIspensatio est exemptio a legis obligatione in aliquo casu particulari, ubi lex cæteroquin obligaret, seu est relaxatio (33) legis ad tempus.

Quæst. I. Quinam habent potestatem dispensandi?

Potestas dispensandi est potestas jurisdictionis, & duplex est, nempe ordinaria, quæ alicui competit ratione officii, seu ex vi sui muneris: & delegata, (34) quæ habetur

(33) Dispensatio dividitur 1. In totalem quæ obligationem legis omnino tollit, ut cum irregularis dispensatur ut omnes ordines *recipiat*; & in partialem, *quæ non* adimit nisi partem *obligationis*. 2. In necessariam quæ debetur illis quibus licite negari non potest, sive quia ita postulat spirituale ipsorum bonum, sive bonum commune, sive quia lex ita ordinat, sive quia ita exigit debitum misericordiæ; nihilominus qui dispensationem, etiam debitam, non obtinet, tenetur ad observantiam *legis*, nisi lex ei etiam nociva *fiat*: & in voluntariam quæ non est debita, quamvis sit licita. 3. In eam quæ in causis intrinsecis fundatur, ut cum lex alicui nimis pœnalis est; & in eam quæ fundatur in causis extrinsecis, cujusmodi sunt scientia, morum honestas, bona fama, nobilitas, &c. 4. In formalem seu expressam quæ conceditur verbis, aliisque signis, positivam Superioris voluntatem significantibus; & in tacitam, quæ conceditur in alio cui necessario conjungitur.

Ad dispensationem non sufficit probabiliter judicare, Superiorem, si sciret, dispensaturum, vel approbaturum cum sciet. Ratio est, quia præsumpta superioris voluntas tollendi obligationem ipsam actu non tollit.

Tutior, & sua opposita minus probabilis non est illorum sententia qui censent, Superiorem qui dispensare potest, virtualiter non dispensare in lege, dum aliquem e suis subditis contra legem agentem videt, tacetque, nec contradicit, cum facile & absque incommodo contradicere potest: quia sæpe fieri potest, ut Prælati silentium oriatur ex negligentia, nimiave pusillanimitate, quæ non sufficit ad dispensationem inducendam.

(34) De potestate delegata dispensandi hæc communiter traduntur. 1. Qui potestatem ordinariam dispensandi habet, eam aliis delegare potest, ut ea utatur juxta formam ab ipso præscriptam. 2. Si delegatus potestatem mere delegatam habeat, nequit eam subdelegare. Excipitur tamen 1. Delegatus Papæ, & cujuslibet Principis supremi: talis enim delegatus ex cap. *..al. de offic. & po .i. Delegati*, in his quæ sibi prohibita non sunt, potest alium delegare; non sic tamen ut huic concedat facultatem subdelegandi. 2. Delegatus ad universalitatem causarum in aliquo genere, vel loco: talis enim potest unam alteramque cau-

betur ex concessione illius, qui habet ordinariam. Hæc conceditur ab homine, vel a jure. Si a jure datur, transit in ordinariam, vel ei æquiparatur. Si datur ab homine per privilegium non expirat morte concedentis. Si vero datur per simplicem commissionem, cessat, mortuo, vel amoto delegante, si res est integra.

Resp. 1. Ex communi sententia Theologorum nullus homo habet potestatem dispensandi in legibus divinis, etiam mere positivis. Nam inferior potestas non potest prævalere superiori, nec eam derogare, sed potius ei subest.

Resp. 2. Potestatem ordinariam dispensandi in lege humana habet 1. Is, qui eam tulit; nam ejusdem potestatis est ferre legem, & in ea dispensare. 2. Successor Legislatoris cum pari potestate, ex cap. 20. *De Elect.* 3. Qui habet potestatem Legislatoris superiorem circa eosdem subditos. Hinc Papa habet potestatem ordinariam dispensandi in omnibus legibus Ecclesiasticis, etiam ab Apostolis latis, utpote parem habens jurisdictionem cum Petro Apostolorum Principe, cujus est successor.

Resp. 3. Inferior non habet potestatem (35) ordinariam dispensandi in lege Superioris, nisi ex ejus concessione. Patet, & insuper statuitur in Clement. 2. *De Elect.* Potest tamen inferior habere potestatem dispensandi delegatam ex reg. juris 68. in 6. *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.* Qui habent potestatem dispensandi quoad leges, vota, & juramenta, possunt etiam secum dispensare saltem indirecte, committendo scilicet alteri potestatem dispensandi secum. Quia Prælati non sunt deterioris conditionis, quam subditi. Immo id possunt etiam directe & immediate per se: quia hoc nullo jure prohibetur.

Quæst. II.

---

causam, non autem causarum universalitatem alii committere. 3. Delegatus cui delegans expresse, aut tacite permiserit ut alium subdeleget.

(35) Quando materia ita levis est ut ad peccatum mortale non obliget, tunc inferior dispensare potest in lege Superioris: quia nimis molestum esset, in minimis semper recurrere ad Superiorem. An vero Episcopus dispensare possit in legibus Pontificiis quæ pro sola Provincia, civitate, aut communitate, non autem pro tota Ecclesia, feruntur, melius negatur quam asseratur; cum hoc dubium sit, ut post Suarez notat Sylvius.

Nota: nulla in jure verba determinantur quibus uti debeat dispensator; nec etiam necesse est, ut dispensatio detur in scriptis, nisi id jure cautum sit. Item dispensatio expressa esse potest, quin specifice declaretur ejus materia; sed sufficere potest verbum generale.

Quæst. II. An peccat, qui dispensat etiam in propria lege sine justa causa?

Resp. Affirm. Ita communiter. Quia superior ex officio tenetur procurare bonum commune per legum observantiam, & fideliter, ac prudenter uti sua potestate in ædificationem, non in destructionem. Hinc sine causa dispensans peccat mortaliter, si materia gravis sit; venialiter vero si materia sit levis. Hinc peccat etiam subditus, qui dispensationem petit sine justa causa: nam inducit Superiorem ad peccandum: immo qui ultro oblatam acceptat, quia cooperatur peccato Superioris.

Ex jure Canonico, (36) triplex est generatim causa justa dispensationis, scilicet pietas, necessitas, & utilitas communis, vel etiam privata petentis, quæ redundet in bonum commune, in quod dispensatio debet saltem mediate, & ultimate cedere, alioqui illicita est, & infidelis.

Quæst. III. An dispensatio sine justa causa scienter data valida sit?

Resp. 1. Ex communi Theologorum sententia est valida, (37) quamvis illicita, si detur a Legislatore, vel ab *ejus successore*, aut Superiore. Quia obligatio legis positivæ, sicut ipsa lex, ut sit, & perseveret, pendet a libera voluntate Legislatoris, & a libera applicatione juris, quod

(36) Hic quædam notanda *sunt*: 1. Causam dispensandi non *debere* esse tantam, ut per se sufficiat ad tollendam legis obligationem; quia tunc non esset opus dispensatione, sed tantum declaratione, aut interpretatione. 2. Justam dispensationis causam non consistere in indivisibili; hinc duo legitime dispensati esse possunt quamvis propter causas inæquales. 3. Causam dispensationis eo graviorem esse debere quo lex in qua dispensatur majoris est momenti. 4. Communem esse Sanctorum doctrinam, per dispensationem infligi vulnus legi, adeoque requiri, ut vulnus illud alterius boni compensatione juxta Superioris prudentiam compensetur. 4. Bonum commune non enervari per dispensationes quæ a curia Romana conceduntur, & *sine causa* appellantur: quia hæc formula significat Pontificem dispensationis causas quas revera habet non exprimere. Gibertus tom. 2. p. 464.

(37) Immo valet dispensatio a Superiore in sua lege data cum, quamvis causa sufficiens dispensandi adsit, ei tamen nota non est, sed dispensat mala fide, judicans non subesse causam quæ tamen revera subest. Ratio est quia si dispensare potest sine causa, ut etiam Auctor observat, potest etiam valide dispensare sine notitia causæ. An vero valeat, si ab inferiore detur? negant alii; quia ordo juris, juxta quem facultas dispensandi inferioribus commissa est, exigit cognitionem causæ. Alii affirmant: quia jus non requirit cognitionem causæ, ut valida sit dispensatio, sed solum ut sit licita.

quod habet ad obligandum. Unde pendet etiam a libera voluntate successoris cum æquali potestate, & a fortiori Superioris. Ergo si Legislator, vel ejus Successor, aut Superior non vult subditum lege obligari, revera is non obligabitur.

Resp. 2. Invalida est dispensatio sine causa justa data ab inferiore, & delegato. Nam Superior non censetur talem potestatem ei concedere, cum id non possit licite; non enim censetur velle peccare. Hoc autem est discrimen inter Superiorem, & delegatum, quod lex pendeat a voluntate Superioris, utpote potestatem ordinariam habentis, secus est de delegato.

Quæst. IV. An licet uti dispensatione valida sine justa causa obtenta?

Resp. Non licet, sed subditus ea utens peccat eadem specie peccati, cujus est violatio illius legis. Quia quamvis non amplius obligetur ex vi legis humanæ ad actionem, vel omissionem per illam præscriptam: obligatur tamen ad illam ex vi legis naturalis præcipientis uniformitatem membrorum in servanda lege propter bonum commune, & vetantis oppositum. Qui tamen tali dispensatione utitur, non incurrit censuras, & pœnas lege humana impositas, ut patet. Quare solum peccat contra legem peccati, & quidem eadem specie peccati, cujus est violatio legis dispensatæ: quia legis naturalis obligatio accommodatur materiæ gravitati, & eam præscribit ex eodem motivo, quo lex humana. Jamvero quamvis inferior dubitet, utrum ratio petendi dispensationem sit sufficiens, non tamen peccat illam sincere proponendo superiori, aut utendo dispensatione, si detur; modo dubium deponat conformando judicium suum judicio Superioris pii, docti, ac prudentis.

Quæst. V. Quandonam dispensatio invalida est ex parte petentis?

Resp. Quando (38) est subreptitia, vel obreptitia. Est autem

(38) Pro majori intelligentia hujus responsionis sequentes accipe regulas: 1. Dispensatio ob duas causas obtenta est nulla, cum earum altera est falsa, & utraque pro dispensatione obtinenda necessaria est. Quod si una sufficiat ut obtineatur dispensatio, & ipsa sit vera, & altera falsa; tunc dispensationem validam esse putat Sylvius; Pyrrhus vero Corradus, Rom. Cancellariæ Officialis pro dispensationibus, & Pontas eam nullam esse arbitrantur. Postremam hanc sententiam tutiorem esse, proindeque in praxi sequendam censet Honorati Tournely continuator.

2. Cum

autem subreptitia, cum reticentur ea, quæ exponi debent in petitione juxta jus, & stylum. Obreptitia vero, quæ obtinetur per expressionem falsitatis, qua cognita, non fuisset data dispensatio. Utraque in jure sæpe confunditur, eo quod nullas vires habeat; cum neutram illarum superior impertiri intendat, idque etiamsi inculpate reticeatur aliquid ad rem petitam attinens, vel ad ea, quæ secundum jura, & stilum exprimi debent. Ex cap. 7. *de instrum.* ex cap. 2. *de filiis presbyt.* in 6. & ex cap. 20. *de rescript.* Idem dic si duæ causæ allatæ sint, una vera, & altera falsa, & vera per se non sufficiat ad dispensationem æquam, & rationabilem, secus si sola causa impulsiva sit falsa, ex eod. cap. Causa autem finalis est ea, quæ immediate pertinet ad rem petitam, & ob quam conceditur gratia. Causa vero impulsiva dicitur ea, propter quam dispensans facilius dispensat.

Quæst. VI. An valeat dispensatio, si post petitionem causa cesset?

Resp. 1. Nulla est (39) dispensatio, si ejus causa finalis

---

2. Cum aliquis dispensationem petit quæ illi negata jam fuit, necesse non est ut exprimat eam sibi fuisse negatam, cum ad eumdem Superiorem, vel ad ejus successorem recurrit: quia jus hoc non exigit. Ast secus est juxta tutiorem, si recurrat ad subalternum Superioris. 3. Cum ille qui dispensationem petit aliam antea obtinuit, tenetur mentionem facere de priori, quando difficiliorem reddit posterioris assecutionem; secus vero est, si illam difficiliorem non reddat. 4. Ille qui plura impedimenta habet quorum quodcumque creat seorsim obstaculum in finem ob quem dispensationem petit, tenetur ea omnia exprimere; ast secus est cum impedimenta illa ad talem finem nullam habent relationem. 5. Dispensatio est nulla, cum, qui eam quærit, ex inadvertentia, vel alia de causa unum impedimentum pro alio posuit; ast secus est, si error ex negligentia illius procedat qui Breve dispensationis mittit: quia Superior vere jam dispensavit. 6. Valet rescriptum, cum error versatur circa diœcesim illius qui impetravit; idque etiamsi error procedat ex parte Oratorum qui justa de causa nomen suum occultassent, nisi certo constaret Superiorem nolle concedere tale rescriptum omnibus indiscriminatim loci illius incolis. Item valet rescriptum cum Superior, aut ejus minister se decipit circa nomen oratoris, aut si orator, ut dispensationem assequatur nomen suum dissimulasset: quia nihil commune habent cum dispensationis materia.

(39) Sententia Auctoris olim vera erat; nunc autem non est vera nam modo valet dispensatio, si causa vera sit tempore executionis litterarum, *licet tempore impetrationis illarum non esset vera. Et ita practicatur*, ait Pyrrhus l. 7. c. 6. n. 25. & c. 2. n. 31. & post eum Ducasse 2. p. c. 4. sect. 1. n. 3. contra Sanchez, aliosque complures. Secus est, si preces veræ esse desinant, cum

lis non subsistat tempore, quo conceditur a Papa, vel Pœnitentiario cap. 9. *de rescript.* in 6. Idem est, si causa non perstet eo tempore, quo Commissarius, nempe Episcopus, vel Confessarius dispensat: ex cap. 30. *de Presb.* in 6. & ex formula, qua Commissarius dispensat, quæ est ista, *Si preces veritate nitantur.* Hinc si ob causam legitimandæ prolis ex consanguinea susceptæ petatur dispensatio in impedimento, sed ante obtentam, vel a Commissario datam dispensationem proles moriatur, non valet, nec potest executioni mandari.

Resp. 2. Si post dispensationem obtentam, (40) examinatam, & datam a Commissario, cesset causa finalis ante illius usum v. g. proles moriatur ante contractum matrimonium, controversia est. Alii putant tunc etiam valere dispensationem super impedimento, quia in litteris dispensatoriis conceditur dispensatio sub hac sola conditione jam posita, *Si preces &c.* Sanchez vero cum multis docet generatim tunc cessare dispensationem. Quia superior non vult eam valere in casu, quo cessat causa ejus legitima: alioqui peccaret. Unde in omni dispensatione subintelligitur hæc conditio: *Modo causa permaneat tempore executionis.* Idque videtur certum, cum dispensatio non est super

---

cum officialis ad executionem procedit: aut si ante executionem dolo posita fuerit causa ut tempore executionis preces verificentur: quia nemini fraus patrocinari debet. Pyrrhus ibid. n. 33.

(40) Dispensatio super impedimento matrimonii valet, etiamsi post ejus fulminationem, & ante illius usum causa motiva cesset; quia ex reg. juris 73. in 6. „ factum legitime retractari „ non debet, licet casus postea „ eveniat, a quo non potuit in„ choari". Huic sententiæ præter multos alios favet Pyrrhus l. 7. c. 2. n. 28. ubi docet sufficere ut dispensationis causæ tempore fulminationis sint veræ, licet postea deficiant. Immo si causæ tempore fulminationis pro veris haberentur, nec tamen essent veræ, non ideo semper annullaretur dispensatio; sed tunc solum cum vel mala fide pro veris haberentur, vel efficeretur artificiose, ut eo tempore verificarentur. Consulatur regula numero præcedenti tradita.

Sed hic duo notanda sunt ad absolutam cumulatamque de dispensatione notitiam: 1. Dispensationem semel concessam, etiam post mortem Pontificis, subsistere; tum quia usus sic habet; non quia ex regula juris cap. 36. *de Præb.* in 6. dicitur: „ Concessio (quam, cum specialem „ gratiam contineat, decet esse „ mansuram) non expirat, et„ iam re integra, post mortem „ concedentis". Hujusmodi sunt rescripta, quibus vel gratia actu conceditur, vel jus certum ad eam acquiritur, uno verbo, rescripta favorabilia, quæ sine alicujus injuria & gravamine conceduntur; idque etiamsi non censeantur esse in gratiam delegati, sed in gratiam illius propter quem specialiter fit delegatio.

per impedimento, sed super observantia alicujus præcepti, v. g. officii, jejunii, &c. Patet ex dictis, & insuper quia lege naturali, a qua nemo potest dispensari, pars tenetur se toti conformare cessante causa exemptionis. Idem intellige si sub initio usus subsistat causa, sed postea cesset, & dispensatio habeat effectum successivum, sitque virtualiter multiplex. Sic si quis propter infirmitatem, quæ perpetua fore videbatur, a lege jejunii dispensationem sine limitatione obtinuisset, si postea convalescat, rursus tenetur jejunare. Si vero dispensatio sit super impedimento matrimonii, vel irregularitate, seu inhabilitate, & jam executioni mandata fuerit, non cessat dispensatio cessante causa. Quia non redit impedimentum semel absolute sublatum per dispensationem; & quia ita statuitur ex reg. 37. jur. in 6.

CAPUT SEPTIMUM.

De Abrogatione, & Cessatione Legis.

Legis abrogatio est totius legis abolitio: derogatio est legis adhuc viventis imminutio secundum aliquam sui partem, ex l. 120. parag. *de verb. signific.* Cessatio vero est simplex, & pura desitio legis per seipsam.

Quæst. I. An lex potest valide, & licite abrogari?

Resp. 1. Princeps potest valide, etiam sine justa causa, abrogare legem a se, vel a suo Prædecessore, vel inferiore latam, ex cap. 4. quæst. 3. & capit. 6. qq. 1. & 3. 2. Inferiores non possunt derogare (41) leges Superiorum sine concessione. Ex Clem. *de elect.* & ex cap. 4. q. 2. 3. Legem sine justa causa abrogans peccat. (42) Ex cap. præced. quæst. 2. Non peccant tamen subditi non servando legem sic abrogatam, quia ejus obligatio sublata est respectu omnium, cum valide sit abrogata. Lex autem abro-

---

(41) Leges a se latæ, etiamsi a Superiore confirmatæ sint, aliquando possunt ab inferiore abrogari: nam abrogari possunt, si confirmatio sit solum accidentalis, cujusmodi est, si facta fuerit in gratiam Legislatoris. Secus vero est, si confirmatio, vel sit essentialis, hoc est, si lex ex illius a quo confirmata est auctoritate obligatoria evadat, & non aliter; vel hanc aut similem contineat clausulam, „ si quidquam contra legem „ hanc fiet, careat robo- „ re “.

(42) Causa justa in Superiore abrogandi legem est juxta Div. Thomam 1. 2. quæst. 97. art. 2. „ maxima & evidentissima uti- „ litas, aut maxima neces- „ sitas “.

abrogatur tripliciter. 1. Per simplicem revocationem. 2. Per desuetudinem, vel contrariam consuetudinem expresse, aut tacite a Superiore approbatam, aut legitime præscriptam. 3. Per aliam legem, qua vel declaretur revocatio prioris, vel contrarium priori lege statuatur. Leges tamen speciales per posteriores generales non abrogantur sine expressa mentione, vel clausula, saltem generali expresse derogatoria. Quia, ut docent communiter Canonistæ, Princeps censetur ignorare legem specialem, cujus expressam mentionem non facit, vel cui non derogat expresse; voluntas autem non fertur in incertum. Ex cap. 1. *de Const.* in 6.

Quæst. II. Quandonam lex cessat per seipsam?

Resp. Ex communi sententia cessat 1. Quando elapsum est tempus, ad quod lata est. 2. Quando propter mutationem materiæ, vel circumstantiarum facta est injusta, aut inutilis bono communi. 3. Quando cessat respectu communitatis tota, & adæquata ratio, seu causa finalis, (43) propter quam lata est. Si tamen ratio, seu causa legis cesset solum respectu aliquorum, lex non cessat, sed semper obligat etiam illos privatos. Ita communiter. Et ratio est manifesta. Quia Legislator vult, ut omnes lege teneantur, quamdiu illa lex utilis est bono communi, & honeste servari potest. Quare bonum commune exigit, ut tunc lex obliget.

CAPUT OCTAVUM.

De lege pœnali, & irritante.

Lex pœnalis ea est, quæ pœnam expresse apponit transgressoribus. Alia est pure pœnalis, alia mixta.

Quæst. 1. An extent leges pœnales?

Ex communi sententia extant leges pœnales mixtæ, quæ obligant in conscientia absolute sub culpa, & pœna.

(43) Ut lex cesset propter cessationem causæ finalis, non sufficit, ut cesset causa finalis utcumque, sed requiritur ut cesset *in perpetuum*; alioquin obligatio legis cessabit pro eo solum tempore pro quo lex inutilis est; unde non tam cessabit quam suspendetur: immo nequidem suspendetur, si, cessante causa finali, alia similis superveniat. Quod si una lex res multas præcipiat, & causa nonnisi respectu unius rei cesset, lex adhuc servanda erit quoad alias partes quarum causa nesdum cessavit.

na. Nam lex pœnalis mixta est ea, quæ præcipit aliquid faciendum, vel omittendum, & simul pœnam transgressoribus imponit; ideoque duo præcepta continet. At omne præceptum legitimum obligat in conscientia. Ergo &c.

Resp. 2. Extant etiam leges pure pœnales. Nam lex pure pœnalis est ea, quæ præcipit tantum disjunctive, ut vel fiat id, quod statuitur, vel certa pœna subeatur: unde unicum continet præceptum, illudque disjunctivum. At extant hujusmodi leges: nam tales sunt constitutiones, seu leges quorumdam Religiosorum, ut de sua testatur D. Thomas 2. 2. quæst. 186. art. 9. ad 1.

Duplex autem est pœna: una proprie dicta, quæ est malum, seu incommodum aliquod naturæ, aut voluntati contrarium ad vindicandam culpam aliquam inflictum. Et altera improprie dicta, quæ est onus quoddam, vel incommodum impositum non propter culpam; sed propter aliam causam, puta ut illius metu impellamur ad aliquid faciendum, vel omittendum. Ex reg. 23. jur. in 6.

Lex pure pœnalis obligat quidem in conscientia, & sub culpa, sed disjunctive solum vel ad actum præscriptum, vel ad pœnam improprie dictam subeundam: quia alterutrum præcipitur. Hinc subditus omittendo actum peccat, nisi paratus sit ad pœnam illam subeundam.

Lex certam pœnam apponens cognoscitur esse pure pœnalis, vel ex verbis Legislatoris, vel ex ipsa forma legis, vel si lex non feratur per modum præcepti, aut prohibitionis, nisi pœna sit gravissima, vel censura, aut ex circumstantiis, aut materia verosimilius appareat contrarium. Item lex pure pœnalis cognoscitur ex communi sapientum interpretatione, vel ex consuetudine, quæ est optima legum interpres.

Quæst. II. An, & quando lex pœnalis obligat ad subeundam pœnam ante omnem sententiam judicis?

Pœna alia est lata, quæ ipso facto, seu sola culpæ admissione infligitur per legem, & altera ferenda, quæ statuitur infligenda per judicem. Item duplex est sententia judicis: una condemnatoria, per quam reus a judice condemnatur ad certam pœnam; altera criminis declaratoria, per quam judex declarat aliquem incidisse in crimen, propter quod pœna ipso facto contrahitur, & eam subeundam esse. Hic non agitur de pœna sententiæ ferendæ.

Resp. 1. Ex communi sententia reus tenetur ante sententiam judicis, etiam declaratoriam, subire pœnas ipso facto latas, sive illæ pœnæ passivæ sint, quæ nullam rei actionem requirant, ut sunt censuræ, irregularitas &c. si-

ve

ve sint privativæ, quæ irritent actum vetitum, & reum inhabilem reddant, licet executioni mandari nequeant sine rei actione: sive sint activæ, (44) sed moderatæ ut sunt recitatio aliquarum precum, jejunium, moderata corporis castigatio, mulcta pecuniaria, & similes. Constat ex Ecclesiæ sensu, & usu, qui in his rebus maxime attendendus est.

Resp. 2. Ex communi sententia reus non tenetur ante sententiam declaratoriam subire pœnam ipso facto latam, quæ executioni mandari nequit sine actione rei, si illius executio sit admodum acerba, & difficilis, ut confiscatio omnium bonorum, privatio beneficii juste possessi &c. nisi addantur aliæ voces plus significantes v. g. ut nulla alia præmissa monitione, & ante omnem declarationem, & promulgationem sententiæ sit privatus beneficio. Nam communis usus tales leges sic interpretatur: & aliunde voces, *ipso facto*, *ipso jure* in illis legibus significent ad pœnam statutam contrahendam non requiri sententiam condemnatoriam, sed sufficere declaratoriam, & alienationem v. g. bonorum a die commissi criminis facta rescindi posse, ex cap. 19. *de hæret.* in 6.

Quæst. III. An ignorántia excuset a reatu pœnæ?

Resp. 1. Omnis ignorantia, quæ excusat a culpa, excusat etiam a reatu, seu debito pœnæ proprie dictæ ex cap. 9. *de cleric. excomm.*

Resp. 2. Ignorantia excusans a culpa mortali, licet non excuset a veniali, excusat a pœna gravi legis. Nam gravis pœna non imponitur per legem humanam, nisi propter gravem culpam. Quod si pœna sit levis, & talis, quæ cadere possit in culpam venialem, tunc ignorantia non excusans a veniali, non excusat ab illa.

Resp. 3. Ignorantia, quæ non excusat a culpa gravi, non

+ passivæ

(44) Pœnæ ~~activæ~~ triplicis sunt generis: aliæ enim irritant actum qui fit contra legem, v. g. matrimonium clandestine contractum; & hæc effectum suum sortiuntur ante sententiam declaratoriam; quia actus illi plane invalidi sunt, utpote facti contra legem qua irritati erant. Aliæ legibus institutæ sunt, ut conditiones ad acquirendum necessariæ, ut e. g. Sacerdotium intra tempus legitimum ad obtinendum beneficium parochiale. Et de istis idem dicendum est, ac de supradictis. Aliæ demum privant jure jam acquisito, vel acquiri cœpto, e. g. beneficio jam legitime possesso; & hæ vim non habent ante sententiam, saltem declaratoriam Judicis, etiamsi lex ferat eas pœnas *ipso facto*, & non expectata Judicis sententia incurri, ut etiam Auctor asserit hac secunda responsione.

non excuſat a pœna, niſi in lege addatur verbum, quod dolum, aut ſcientiam requirat. Patet. Dixi *niſi in lege* &c. propter quaſdam leges, in quibus additur: *Qui ſcienter, vel temere hoc fecerit, ſi quis præſumpſerit*, aut aliud æquivalens, quod ſcientiam requirit. Tunc enim pœna non contrahitur, niſi culpa fiat ex ſcientia, vel ex ignorantia affectata, quæ æquiparatur ſcientiæ.

Reſp. 4. Ignorantia, licet invincibilis, ſolius pœnæ non excuſat a pœna, quæ ſaltem non ſit cenſura: non enim excuſat a culpa, propter quam eſt obligatio ad pœnam lege ſtatutam: Et pœna licet ſit involuntaria, voluntaria tamen eſt culpa.

Sed an qui ponit actum aliquem lege divina, & humana prohibitum excuſatur a pœna legis humanæ, ſi ignoret inculpabiliter ſolam legem humanam? Non dicitur excuſari regulariter loquendo. Nam in hoc caſu violatur culpabiliter lex divina; & lex humana punire intendit etiam culpam contra legem Dei commiſſam: & aliunde notitia pœnæ non eſt neceſſaria ad contrahendam ipſam pœnam. Dixi *regulariter*. Nam 1. excipiuntur cenſuræ, a quibus excuſat ſemper ignorantia invincibilis legis eccleſiaſticæ requirentis contumaciam contra ipſam. Si pœna extraordinaria ſit, minui debet: quia minor eſt contemptus, ideoque culpa minorem pœnam meretur.

Quæſt. VI. Quid eſt lex irritans, & quinam ejus effectus?

Reſp. 1. Lex irritans (45) eſt ea, quæ ſtatuit actum aliquem eſſe invalidum. Porro in Eccleſia, & in Republica eſt poteſtas legitima irritandi actus ſive præſcribendo certam formam ad valorem actus, ſibi ſubditos reddendo inhabiles ad certos actus: nam ſine hac poteſtate fraudes, pericula, aliaque gravia incommoda ſæpe impediri nequeunt.

Reſp. 2. Invincibilis (46) ignorantia legis irritantis non impe-

(45) Irritatio eſt multiplex. 1. Alia incurritur *ipſo jure*, & ante Judicis ſententiam, ut irritatio matrimonii clandeſtine contracti; alia nonniſi poſt Judicis ſententiam. 2. Alia eſt explicita quæ diſtinctis & explicitis verbis exprimitur; alia implicita quæ fertur modo contrario. 3. Alia eſt pœnalis quæ fertur in odium perſonæ & actionis ejus, ut irritatio electionis ad beneficium propter ſimoniam: alia legalis quæ inſtituitur in bonum perſonæ privatæ, aut communitatis, ut e. g. irritatio Profeſſionis ante annum decimum ſeptimum completum.

(46) Dupliciter lex irritans invincibiliter ignorari poteſt: uno modo ut ignoretur irritatio actus per legem facta, non autem ipſa lex irritans; & hæc non im-

impedit irritationem actus factam immediate propter bonum commune; indubitatum est apud omnes, quia irritatio non supponit culpam: cum imposita sit non propter illam, sed propter bonum commune, quod postulat, ut lex irritans habeat effectum suum pro illo, & omni alio casu. Ob eandem rationem nec metus gravis impedit irritationem actus.

Resp. 3. Lex irritans simul, & prohibens actum obligat in conscientia ad vitandum actum illum. Quia lex illa continet præceptum prohibens. Lex vero pure irritans actum, non obligat ad illum vitandum; quia ad finem talis legis sufficit irritatio actus absque obligatione abstinendi ab illo. Lex autem censetur pure irritans, quando ejus verba nullam continent prohibitionem, sed præcise actum irritant, nisi contrarium ex materia, fine, vel circumstantiis, aut usu colligitur; ut contingit in legibus Ecclesiasticis irritantibus.

Resp. 4. Lex ipso facto irritans obligat in conscientia ad ea omnia, quæ per se ex irritatione sequuntur. Nam talis lex actum, quem irritat, privat omni usu, ac utilitate morali, cum ideo ipso facto irritetur, ut careat omni utilitate morali. Hinc v. g. lex ipso facto irritans acquisitionem fructuum beneficii, hoc ipso privat illam omni utilitate morali, & sic reddit omnem illius usum moralem illicitum. Secus, si lex non irritet ipso facto actum, sed solum præcipiat ejus irritationem, quia irritatio est actus proprius potestatis publicæ, & non privatæ; unde si non fit per legem, fieri debet per judicem, (47) cui soli illum lex præcipit; & non est irritatio ante judicis sententiam.

C A-

---

impedit irritationem actus, etiamsi lex, seu irritatio facta per talem legem in solius culpæ vindictam condita fuisset: quia ignorantia, etiam invincibilis, solius pœnæ non tollit causam irritationis, nempe culpam; proinde nec effectum, seu irritationem. Alio modo, ut ignoretur etiam ipsa lex quæ irritationem statuit. Et hæc aliquando impedit irritationem actus; aliquando non; non impedit, quando irritatio facta est immediate propter bonum commune, ut cum Doctoribus omnibus asserit noster Auctor. Impedit vero quando irritatio facta non est nisi in vindictam culpæ, cum per ignorantiam & oblivionem inculpabilem legis tollatur culpa, quæ est causa totalis effectus, seu præsentis irritationis.

(47) Irritatio per judicem facienda impediri potest, 1. Cum actus in judicio probari non potest: si quæ tamen in actu irritabili illata esset injuria, omnino reparanda esset. 2. Cum post actum, licet publicum, partes inter se sine vi & fraude consentiunt. 3. Cum actio illius qui irritationem prosequi poterat, legitimo tempore præscribitur.

CAPUT NONUM.

De Privilegio, & Consuetudine.

Quæst. I. QUid, & quotuplex est Privilegium?

Resp. Privilegium est facultas constans, ac permanens, a Superiore concessa, (48) agendi, vel non præstandi aliquid contra, vel præter (49) legem. Dividitur præcipue in reale, quod conceditur ratione rei, muneris, conditionis, vel status; & in personale, quod directe conceditur ratione, seu intuitu personæ. Hoc affixum est personæ, & cum ea extinguitur, reg. *6.* jur. in *6.* Reale vero (50) affixum est rei; & cum ea perseverat, & perit. 2. In Privilegium contra legem, quo datur exemptio ab oneribus communibus; & præter legem, quo conceditur aliqua facultas iis, quibus de jure non competit, sed sine ullius damno, nec contra legem aliquam. Prius est odiosum, & strictæ interpretationis, cum gravet alios, nisi datum sit in favorem causæ piæ, vel publicæ aut communitatis religiosæ: posterius est amplæ interpretationis, quia nullos gravat.

Quæst. II. Quis privilegium concedere potest?

Resp. Is omnis, & solus, qui potest legem ferre, & iisdem, quibus eam ferre potest; potest tamen & aliis non sibi subditis aliquid circa se, suaque concedere; quod

(48) Hæc facultas conceditur, vel alicui personæ, vel parti communitatis, non autem toti communitati, ad distinctionem legis quæ toti communitati injungitur.

(49) Si privilegium reale concessum sit ratione loci, extenditur ad omnes ibi existentes, etiam extraneos. Si autem dubitetur, an privilegium reale sit, an personale, censeri debet reale in casibus in quibus est favorabile, & meram gratiam continens; & in quibus agitur de causa pia, vel publica, vel de communitate religiosa; &c.

(50) Dividitur præterea privilegium in perpetuum, quod absolute, & absque limitatione temporis conceditur, adhæretque rei perpetuæ, v. g. Ecclesiæ alicui, Ordini Religioso, &c. & temporale quod, vel singulari personæ conceditur, eaque moriente cessat, vel ad certum tempus datur, vel sub certa conditione quæ decursu temporis finitur. 2. In gratiosum quod gratis omnino conceditur; & remuneratorium quod conceditur ob merita. 3. In conventionale quod conceditur ex pacto; & absolutum quod sine pacto conceditur. 4. In privilegium ex motu proprio; & in privilegium ad instantiam partis. 5. Denique in privilegium pro foro conscientiæ; & in privilegium pro foro externo quod valet etiam pro foro conscientiæ.

quod jure communi non haberent. Juxta Canonistas in lege generali, specialissima non comprehenduntur, nisi sufficienter exprimantur, ex reg. jur. 81. in 6.

Quæst. III. Quot modis privilegium amittitur?

Resp. 1. Per illius abusum, (51) accedente sententia judicis, ex cap. 24. *de Privileg.* 2. Per non usum spatio sufficienti ad præscribendum, si gravet alios, ex cap. 15. *de Privil.* Secus, si non gravet. 3. Per revocationem concedentis, aut Successoris expressam, & privilegiato significatam, vel per legem revocatoriam promulgatam. Quæ tamen concessa sunt in remunerationem servitiorum, vel ex pacto, & cum onere adjuncto, ac præstito non possunt revocari, nisi ex gravi causa pertinente ad bonum commune, & quidem cum juris ablati compensatione. Porro privilegium non cessat morte concedentis, ex reg. 16. in 6. At cessat per se cessante causa, ob quam datum est, quando versatur circa obligationem dividuam, & successivam, ut dixi de dispensatione. Hinc Alexand. VII. damnavit (52) hanc propositionem; *Regulares possunt in foro*

(51) Qui privilegio abutitur, sive utendo illo ultra ejus limites, aut tempus, aut locum; sive sumendo ex illo peccandi occasionem; sive directe agendo contra finem ob quem concessum fuit, *privilegium meretur amittere*, ex c. *Ubi* 7. dist. 74. Et aliquando eo privatur *ipso facto*; quamquam regulariter non teneatur privilegiatus abdicare a se privilegium ante sententiam, saltem declaratoriam, judicis.

Cæterum privilegium amittitur aliis etiam modis ab Auctore non indicatis: & primo quidem, si personale sit, cessat per mortem illius, cui concessum fuerat, ex reg. 7. jur. in 6. si vero sit reale, perit pereunte ipsa re, eaque deficiente. 2. Per lapsum temporis pro quo fuit concessum. 3. Per renuntiationem voluntarie & libere factam a privilegiato & acceptatam a concedente; dummodo tamen privilegium in solius renuntiantis commodum cedat; & tractum successivum habeat, consistatque in facultate & potentia faciendi vel omittendi aliquid in futurum. 4. Per factum contrarium scienter, voluntarie, ac directe positum; quoties privilegium alios aggravat; secus si non aggravet.

(52) Ex damnatione hujus propositionis duo sequi videntur. 1. Etiam illa privilegia revocata fuisse quibus, licet Tridentinum oppositum sanxerit, tamen non adjecit clausulam illa derogatoriam, „ non obstantibus quibuscumque privilegiis in contrarium: tum quia multa privilegia Regularibus sublata fuisse intelliguntur (ut e. g. privilegium extra mortis articulum absolvendi sine licentia Episcopi a casibus ipsi reservatis) quin Tridentinum clausulam illam adjecerit: tum quia, si excipias Pium V. cujus Bullam Gregorius XIII. ipsius successor revocavit, & ad terminos Tridentini redegit, Pontifices omnes post Tridentinum amplissime revocarunt omnia & singula privilegia, indul-

foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

Quæst. IV. Quid est consuetudo?

Resp. Hic sumitur pro frequentia actuum externorum similium libere factorum a majore saltem parte communitatis. Nomine actuum intellige etiam omissiones. Duplex est, facti, & est ejusmodi frequentia, sed non habens vim legis, defectu conditionum ad hoc requisitarum; & juris, & est talis frequentia habens vim legis, sive est jus ab illa frequentia ortum. Ex can. 5. dist. 11.

Quæst. V. An, & quæ consuetudo habet vim legis?

Resp. 1. Consuetudo honesta, & bono communi utilis, inducta libere, & publice a communitate cum animo inducendæ obligationis accedente consensu Principis. Ita docent omnes Theologi, & Canonistæ, estque communis Ecclesiæ sensus. Nam talis consuetudo est materia proportionata, potestas, & voluntas obligandi communitatem sufficienter exterius significata. Legesis August. ep. 86. & l. 32. & 33. parag. *de Lege*. Duplex est hujusmodi consuetudo, nempe præscripta, & non præscripta. Prior est ea, quæ longioris temporis diuturnitate vim legis obtinet per consensum legalem Principis. Tempus autem longum in jure dicitur tempus saltem decem annorum, quod debet esse continuum, nec interruptum per actus contrarios Superioris resistentis, vel populi eam interrumpentis. Consuetudo non præscripta, & tamen vim legis habens est ea, quæ sine tali diuturnitate vim legis obtinet per consensum principis personalem, saltem tacitum.

Resp. 2. Ut consuetudo vim legis habeat, & obliget, *hæ* conditiones ex communi sententia requiruntur: 1. Ut sit honesta, & utilis bono communi. 2. Ut inducatur a communitate perfecta per actus voluntarios & publicos. Censetur autem fieri a tota communitate, quod fit a majori illius parte ex l. 19. parag. *ad manifiс.* 3. Ut actus, ex quibus oritur consuetudo, fiant cum animo inducendæ obligationis: quia consuetudo non habet vim legis, nisi voluntate populi, cui Princeps consentit. Consuetudo autem censetur esse inducta animo obligandi se, & revera obligare, 1. Si ita Doctores communiter sentiant. 2. Si consuetudo sit rei gravis, & difficilis; & tamen diu, constanter, & communiter servetur a majori parte communitatis. 3. Si viri prudentes, & timorati male sentiant de non servantibus consuetudinem, aut populus inde scandalizetur. 4. Si Prælati, aut Magistratus puniant, vel graviter reprehendant eos, qui non servant consuetudinem. Quinta, & ultima conditio, ut consuetudo habeat vim legis, est, ut adsit Principis consensus, vel personalis,

seu immediatus, dando nempe licentiam, ut inducatur consuetudo obligans, vel eam approbando expresse, aut tacite; vel legalis, qui tunc adest, cum ipse, vel prædecessores ejus tulerunt, aut receperunt legem consuetudinis approbativam.

Quæst. VI. An consuetudo potest abrogare legem?

Resp. 1. Nulla consuetudo potest abrogare legem naturalem. Ita omnes. Quia hæc lex statuit solum ea, quæ necessario, & ex natura rei agenda, vel omittenda sunt ad vivendum honeste. Vide capit. ult. *de consuetud.* Neque etiam potest abrogare legem Evangelicam, ut patet.

Resp. 2. Consuetudo, si sit rationabilis, & legitime præscripta, habet vim abrogandi legem humanam. Ita omnes. Constat ex jure, tum Civili l. 32. §. *de Legib.* tum Canon. cap. ult. cit. *de Consuet.* Constat insuper ex dictis q. præced. resp. 2. Dixi, *ut sit rationabilis &c.* Nam ex cap. cit. & ex consensu Doctorum hæc duo requiruntur. Jamvero ut consuetudo rationabilis sit, requiritur inter alia, ut bono communi sit proficua, & utilis. Ut autem sit legitime præscripta, debet esse continuata toto tempore requisito ad præscribendum, non contradicente Superiore. Juxta communiorem sententiam decennium sufficit ad consuetudinem contra legem civilem: contra legem canonicam vero quadraginta annorum spatium requiritur.

Observa 1. Juxta communem sententiam consuetudo contra legem præscribit, licet ignoretur a Principe: quia ad hoc sufficit consensus legalis, qui habetur in jure canonico, & civili supra cit. 2. Ut lex toti Ecclesiæ communis abrogetur in aliqua tantum provincia per desuetudinem, vel consuetudinem contrariam, satis est, ut non servetur a majori parte provinciæ, non contradicentibus Supe-

---

dulta, facultates, *Mare magnum* &c. in his omnibus, in quibus privilegia illa Tridentini decretis adversantur.

II. Privilegia corpori juris inserta sufficienter revocata censeri per istam Concilii Tridentini clausulam, *privilegiis non obstantibus*, quamvis specialis de illis mentio non fiat, nec derogetur juri communi cui inserta sunt: tum quia Alexander VII. damnavit hanc propositionem fundatam in Regularium privilegio corpori juris inserto, videlicet, „ Satisfacit præcepto annuæ confessionis qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed „ ab eo injuste rejecto “. Tum quia ex multis locis, juris canonici, & (teste Fagnano ad cap. *Nonnulli*, de Rescript. num. 40.) (ex doctoribus omnibus) jus commune posterius tollit prius sibi contrarium, licet de hoc mentionem non faciat.

Superioribus toto tempore ad præscriptionem requisito. 3. In dubio an lex abrogata sit, ipsa obligat. 4. Cum lex tota possit consuetudine abrogari, a fortiori lex pœnalis potest consuetudine fieri non pœnalis, & lex mixta fieri pure pœnalis. Item consuetudo potest tollere partem legis remanente alia. 5. Præter consuetudinem hic intelligitur etiam desuetudo, seu non usus. Porro consuetudo legem abrogans inchoatur, saltem plerumque per actus peccaminosos priorum, qui legem non servant; deinde continuatur plerisque bona fide agentibus, & putantibus legem jam non vigere: demum exacto decennio, vel quadragesimo anno desinit obligatio legis.

Quæst. VII. An consuetudo etiam immemorialis potest abrogari per legem contrariam subsequentem?

Resp. Affirm. ex cap. 1. *de Const. in 6.* Nam consuetudo præcedens non habet majorem vim, quam lex præcedens, quæ tamen potest abrogari per consuetudinem contrariam subsequentem. Non abrogatur tamen consuetudo particularis per legem contrariam, nisi recte præsumatur Princeps illam nosse saltem confuse, & voluisse eam abrogare ex cap. *de Const. in 6.* hac vel simili clausula utendo: *Non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili.* E contra consuetudines universales abrogantur eo ipso, quod Princeps fert legem contrariam etiam sine clausula universali derogatoria, quia præsumuntur ipsæ esse ei jam notæ.

APPENDIX.

Ad usum Missionariorum.

Quæst. I. UTrum Missionarii teneantur proponere, atque inculcare Fidelibus ab ipsis baptizatis jus positivum Ecclesiæ?

Resp. Affirm. Etenim per baptisma Ecclesiæ potestati, & legibus subjiciuntur, ut ii, qui in aliquam societatem cooptantur, illius legibus subduntur. Quamobrem Supremæ Inq. Decreto, approbante etiam Innoc. X. ann. 1646. definitum, ac sub pœna etiam excommunicationis latæ sententiæ Missionariis mandatum fuit, ut jus positivum Ecclesiæ enunciarent, observandumque præciperent.

Interrogata siquidem Sac. Inq. Gen. num Christiani Chinenses tenerentur ad jejunia Ecclesiastica, annualem Confessionem, & Communionem, & ad Festorum observantiam ab Ecclesia statutorum. Respondit Sac. Inq. Chinenses, ad fidem nuper conversos teneri ad Ecclesiastica jejunia, nisi Summus Pontifex velit cum ipsis dispensare,

 quem-

quemadmodum cum Indis fecit Paulus III. Quo in casu statuit, Chinenses a Missionariis de dispensatione esse admonendos, ut tantam Ecclesiæ benignitatem erga se agnoscant, ac commendent: idemque decrevit de annua Confessione, Communione, & Festorum observantia.

Nota. Paulus III. concessit, ut Indi tenerentur tantum ad abstinentiam ab operibus servilibus in diebus Dominicis, Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi: nec non Nativitatis B. Mariæ, Annunciationis, Purificationis, Assumptionis; & BB. Apostolorum Petri, & Pauli. Ita Verricellus de Apost. Miss. tit. 3. de Privil. Reg. quæst. 98. §. 10. Subdit autem non constare Innoc. X. hujusmodi privilegium extendisse ad Chinenses.

Quæst. II. Utrum Missionarii teneantur proponere jejunia, festa, & alia Ecclesiæ præcepta servanda ad normam Kalendarii, quod Romana servat Ecclesia?

Resp. In iis regionibus, & locis, in quibus novæ stabiliuntur Ecclesiæ, vel jam stabilitæ sunt juxta Romanæ Ecclesiæ ritum Latini Missionarii Romanæ Ecclesiæ Kalendarium, quoad jejunia, & festa proponere, & servare tenentur. Curare enim debent, ut quoad fieri possit, novæ Ecclesiæ Romanæ omnium Ecclesiarum Matri, & magistræ conformentur. Secus ubi Kalendarium Romanum hoc est juxta Gregorianam emendationem, non viget. Nam Apostolica Sedes Orientales, Indos, Ibernos, aliosque Populos Nicænum Kalendarium retinentes ad novi susceptionem non adigit; sed sinit eos sequi aliud Kalendarium, etiam circa celebrationem Paschæ, ut patet ex Supremæ Inq. Decreto die 27. Julii ann. 1631. dummodo in contemptum Religionis hoc non fiat. Immo si in Regione aliqua præter paucos Missionarios Latinos alii non sint, qui novum Kalendarium usurpent, poterunt & ipsi antiquo juxta loci consuetudinem uti, ut in quadam Congreg. Romæ habita pro Missione Theatinorum in Georgiam die 31. Aprilis 1631. decretum fuit, concessumque etiam Missionariis Capuccinis in nonnullis Armeniæ Urbibus die 3. Febr. 1623. ac deinceps aliis. Secus tamen est de Græcis, & Albanensibus, qui in Italia, & Italiæ insulis adjacentibus degunt, qui licet Orientalis Ecclesiæ disciplinam servent, tamen secundum Kalendarium Romanum celebrare debent *jejunium Quadragesimæ, Pascha, Ascensionem Domini, Pentecosten, Natalem Domini, Circumcisionem, Epiphaniam, & cætera hujusmodi, quæ in Latina, & Græca Ecclesia æque celebrantur*, ut habetur Const. SS. D. N. Benedicti XIV. §. 9.

Quæres. Utrum ii, qui, celebrato Paschate juxta pro-

prium

prium Kalendarium, in locum veniant, ubi juxta diversum Kalendarium aliquot jejunii dies supersint, ac Pascha sit celebrandum, jejunare, ac Paschatis festum cum loci incolis servare teneantur?

Resp. Verricellus negative, secluso scandalo; quia mens Ecclesiæ est, quadraginta dierum jejunium ante Pascha præcipere, & semel tantum in anno Fideles ad Paschatis celebrationem obligare. Hos vero huiusmodi præceptis satisfecisse statuitur. Sed licet id nemo in controversiam revocet, dum de iis agitur, qui in locis veluti peregrini versentur, ac proprium adhuc Kalendarium servent; secus tamen est de iis, qui e regione discedant, ubi ex consuetudine vetus Kalendarium teneantur adhibere, atque in locum veniant, ubi illico novæ observationi subjiciantur, vel vicissim. Et ratio est manifesta: quia ii a persequendo jejunio, & festo celebrando excusantur, si in locum veniant, dum hæc ibi peracta sint, licet ipsi juxta alterius Kalendarium loci nondum absolverint. Ergo a pari &c.

Quæres iterum. Num universim excusentur Fideles a *jejunio*, festisque servandis, si in locum veniant, ubi hæc *celebrata* sint, dum ipsi secundum Kalendarium propriæ *Ecclesiæ* nondum quadragesimale jejunium absolverint, nec Pascha celebraverint?

Resp. Verricellus, hos excusari a jejunio persequendo, servandisque Festis, si in locum venerint, ubi Pascha sit celebratum; teneri autem ad Confessionem, & Eucharistiæ Communionem; quia confessionis, communionisque præcepta a loco pendent: pendet vero jejunii, Paschatisque celebrandi præceptum; sed id non ita facile est universim probandum. Primum quia nemo negat non excusari, qui in fraudem legis, hoc est vitandi jejunii, festique causa in locum illum se conferant; nec eos, qui in locis versentur, ubi ii reperiantur, qui juxta ipsorum Kalendarium jejunia, festaque celebrent. Tunc enim cum iis jejunium persequi, & Pascha deinceps celebrare tenentur deinde, si Sacerdotes essent, quos Verricellus loquitur, homines, officium, sacrumque facere deberent ad normam Kalendarii, quo ad diem usque illum usi essent. Eccur ergo eodem modo jejunia persequi, & Pascha etiam celebrare, si commode possint, non tenebuntur? Ait Verricellus, jejunii, festique præceptum a loco pendere. Sed ipso fatente non ita pendent illhæc præcepta, ut is, qui celebravit jam Pascha secundum proprium Kalendarium, jejunare, & Paschatis festum servare debeat in loco, ubi juxta diversum Kalendarium jejunium sit adhuc, & Pascha celebrandum. Demum Græci in Italia degentes non

tenen-

tenentur Sabbato jejunare, & alia Latinæ Ecclesiæ propria jejunia servare, idemque est de Latinis in Oriente commorantibus, nam quisque propriæ Ecclesiæ præcepta adimplere debet. Ergo &c.

Quæst. III. Utrum novæ Ecclesiæ vel Romani Pontificis leges, & Constitutiones, quæ pro tota Ecclesia feruntur, Græcos Orientalesque obligent, quin expresse nominentur?

Resp. Negat id Verricellus: contra vero Carolus Franciscus a Breno tuetur. At quamquam hæ duæ opiniones invicem pugnare videntur; tamen facile conciliantur, si quo sensu ab Auctoribus explicatur, utraque accipiatur. Verricellus enim de Constitutionibus Ecclesiæ loquitur, quæ ad illa disciplinæ capita pertineant, in quibus Latina ab Orientali omnino dissidet. At palam est has Constitutiones ad Orientales non extendi ex Concil. Later. sub Innoc. III. ex Innoc. IV. aliisque Romanis Pontificibus, & Constit. *Etsi Pastoralis*. Quamobrem hujus generis Constitutiones, nisi expresse de Orientalibus disponant, ad ipsos non sunt extendendæ. At P. Breno Constitutiones indicare videtur, quæ latæ sint pro tollendis abusibus, qui sunt, vel esse possunt utrique Ecclesiæ communes, hoc est, quibus pœnæ statuuntur, ut ea e medio tollantur, vel impediantur, quæ Ecclesiasticæ derogant honestati, vel periculum generant animarum; aut ut executioni mandentur præcepta, quæ ad utramque Ecclesiam pertinent. Id autem verum est, ac Sac. Congr. Decretis omnino consonum. Hinc supr. Inquisitionis Decreto ann. 1631. die 4. Julii definitum est Orientales tribus in casibus Romanorum Pontificum constitutionibus comprehendi. Primum dum agunt de Fidei dogmate. Deinde dum expresse Pontifex eos designat, ut in casu Schismaticorum in Bulla cœnæ, ut anno 1630. die 7. Augusti declaravit in resp. ad dubium propositum a P. Michaele Angelo Albertini Soc. Jesu. Demum dum de iis implicite disponit, ut in casibus appellationis ad futurum Concil. deferentium arma ad infideles, & similia. Vide superius laudatam Constitutionem, *Etsi Pastoralis* §. 9.

Nota 1. Si nova Ecclesiæ, vel Romani Pontificis lex sub ea conditione sit lata, ut in locis non obliget, nisi postquam in iis sit publicata, ut est v. g. Trident. Decretum, quo irrita matrimonia clandestina declarantur, vim obligandi non habet, nisi facta prius publicatione. Nam lex non obligat, nisi qua ratione Legislator vult subditos obligare.

Nota 2. Decreta Cong. Generalis de Propag. Fide *quotiescumque sint a Præfecto ejusdem firmata, & a Secretario sub-*

subscripta, vim, & valorem habere Constitutionis Apost. decrevit Urbanus VIII. ejusque decretum confirmavit Innocent. X. die 30. Julii 1652. occasione litterarum Fratris Antonii a S. Maria Ord. Min. Strict. Ob. S. Francisci, in quibus asserebatur in Insulis Philippinis Missionarios fuisse, qui oppositum spargerent. Hanc autem vim habent Decreta hujusmodi ex auctoritate, quam huic Congregationi concessit Gregorius XV. Const. quæ incipit, *imperscrutabilis*, 1. Kal. Julii 1621. Igitur hujusmodi decreta vim obligandi obtineant fas est. 3. Si Missionarii, vel Episcopi censeant non expedire novam legem Ecclesiasticam, vel isthæc decreta publicare, quod prudenter credant in illa Provincia impedimento esse posse infidelium conversioni, ac Fidelibus apostatandi occasionem afferre; novæ legis, vel Decreti publicationem suspendere possunt, ut referente Verricello tit. 3. de Legib. q. 78. n. 3. resolutum fuit in quadam Congreg. a Doctiss. Theologis. Tenentur vero Apostolicam Sedem, vel Sacr. Congregationem consulere, eique circumstantias omnes explicare, ut ex instructione, quam inde accipient, quid ipsis agendum sit, & qua ratione se gerere debeant, intelligant. 4. In casibus alicujus difficultatis, controversiæ, & declarationis Decretorum Romani Pontificis, sive Sacræ Congreg. tenentur recurrere ad eandem Sedem Apostol. vel Sacr. Congregationem de Propag. Fide, ac resolutioni, seu explicationi, quam inde habebunt, omnino acquiescere; quemadmodum ab eadem Congreg. approbante etiam Innocent. X. decretum fuit, die 27. Martii ann. 1632.

Quæst. IV. Utrum Patriarchæ, & Episcopi Orientales dispensare possint Fideles ipsis subjectos a Romani Pontificis legibus, & ab iis, quæ ex universali Orientalis Ecclesiæ consuetudine pendent?

Resp. Ordinaria potestate non posse: posse autem ex Romani Pontificis concessione. Utraque responsionis pars iis argumentis ostenditur, quæ Antoine affert c. 6. q. 1. de Legib. Et insuper probatur ex Epistola Bonifacii VIII. quæ est 226. lib. 4. & Constitutione Benedicti IV. quæ incipit, *Demandatum cælitus*.

TRA-

TRACTATUS DE PECCATIS.

CAPUT PRIMUM.

De Peccati natura, divisione, distinctione, & gravitate.

Quæst. I. Quid est peccatum proprie dictum?

Resp. Est legis divinæ violatio libera, sive actus libere factus, vel omissus contra legem Dei, ex SS. Ambrosio lib. de Paradiso cap. 8. & August. lib. 22. contra Faustum c. 27. Peccatum (1) est violatio libera, vel in se, vel saltem in causa, aut periculo, ita ut non sit ex ulla necessitate intrinseca, & antecedente, & vere potuerit vitari. Hinc Ecclesia oppositam Jansenii doctrinam proscripsit. 2. Est actus libere factus, vel omissus, sive ut cit. loco scribit Augustinus, *est factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra legem Dei æternam*. Ubi sub facto, dicto, concupito comprehenditur omissio: nam nomine actus in moralibus intelligitur etiam omissio, quia hæc habetur ut actio in ordine ad mores, & culpam; & omittens id, quod facere tenetur, censetur moraliter facere contra id, quod tenetur facere. Ratio definitionis est; quia omnis, & sola violatio legis divinæ est offensa Dei, ideoque peccatum, proindeque etiam violatio præcepti humani legitimi, quia lex divina naturalis, & positiva omnis talis præcepti observantiam præcipit, cum omnis potestas sit a Deo.

Quæst. II. Quænam excusant a peccato?

Resp. Excusat generatim a peccato quidquid tollit voluntarium, ut ignorantia invincibilis, & liberum, ut impoten-

(1) Hæc Augustini definitio, si bene intelligatur, legitima est: nam 1. eæ voces, *factum vel dictum*, &c. habent se per modum generis ad actus bonos & malos. 2. Voces illæ *contra legem æternam* peccatum a quocumque alio actu non peccaminoso distinguunt. 3. Ea definitio convenit omnibus peccati speciebus, ut discurrenti per singula patebit. 4. Optime ea definitione declaratur natura seu essentia peccati in universum, quæ consistit in disconvenientia cum lege æterna, ut docet S. Thom. 1. 2. q. 71. art. 6. 5. In hac definitione mentio fit, sin explicite, saltem implicite, de libertate requisita ad rationem peccati: nam lex non imponitur, nisi agenti libero.

potentia physica, vel tollit utrumque, ut metus, aut passio antecedens tollens usum rationis. Ratio est, quia peccatum est essentialiter liberum, & voluntarium. Quod autem auget, vel minuit liberum, aut voluntarium, cæteris paribus, auget, vel minuit peccatum.

Quæst. III. An metus excusat a peccato?

Resp. 1. Metus levis nunquam excusat a peccato. Quia non tollit voluntarium, nec liberum, nec excusat ab observatione ullius legis, cum sit vanus, & lex quælibet obliget saltem cum aliquo incommodo. Ex reg. jur. 144. §. de reg. jur.

Resp. 2. Metus gravis nunquam excusat hominem sui compotem in iis, quæ sunt intrinsece mala, seu prohibita lege naturali. Inter omnes constat. Quia ea non desinunt esse mala in quovis periculo, ac vetita; & aliunde metus ille non impedit voluntarium simpliciter, ac liberum. Metus tamen gravis minuit culpam ex cap. *Sacri*, quia minuit voluntarium. Nunquam tamen sic culpam attenuat, ut eam de mortali faciat venialem in materia gravi, quia nempe relinquit consensum sufficienter liberum.

Resp. 3. Metus prudens damni gravis excusat a peccato in iis, quæ sunt contra legem non obligantem cum gravi damno. Nam excusat ab observatione talis legis. Lex autem humana ordinarie non obligat cum gravi detrimento, nisi charitas, vel bonum commune, vel vitatio scandali, aut contemptus Religionis, potestatisve legitimæ id exigat.

Quæst. IV. Quomodo dividitur peccatum?

Resp. Dividitur præcipue 1. In originale, quod in ipsa origine ab Adamo contrahimus; & personale, quod peccantis voluntate physice propria committitur. 2. In mortale, & veniale. 4. In actuale, (2) & habituale & ad hæc reducuntur (3) omnes aliæ peccati divisiones.

Quæst. V.

(2) Peccatum actuale illud est, cujus voluntas actu vel virtute perseverat: habituale vero est macula ex peccato actuali relicta in anima, postquam voluntas illius tam actu quam virtute esse desiit. Hanc maculam ex peccato in anima relictam egregie explicat D. Thom. 1. 2. q. 86. art. 1. ubi etiam discrimen assignat inter maculam quæ provenit ex peccato mortali, & maculam quæ provenit in animam ex peccato veniali; & quomodo ex diversis peccatis diversæ in anima maculæ resultant.

(3) Celebris est peccati divisio in peccatum ignorantiæ, infirmitatis, & malitiæ. Peccatum ex malitia, quod pejus est aliis duobus, est illud quod committitur ex mera electione voluntatis, unde nihil habet in quo ejus malitia minuatur. Ita Div. Thom.

Quæst. V. Unde (4) petitur specifica peccatorum divisio?

Species moralis est specialis malitia, per quam unum peccatum essentialiter differt ab alio. Malitia autem actus est ejus difformitas, ac oppositio cum natura rationali, & lege divina. Unde illa peccata differunt specie, quæ habent disconvenientiam, & oppositionem cum natura rationali, & lege divina notabiliter inter se diversam. Objecti autem voce hic intelligitur id totum, in quod voluntas per actum malum tendit; ex hoc enim omnis refundi potest malitia in actum ipsum. Unde objectum voluntatis complectitur objectum materiale, seu id, quod vult; objectum formale, seu id, propter quod vult; & circumstantias, in quibus vult, & fit actus. Ex his autem omnibus, & singulis aliqua notabilis diversitas malitiæ potest actui accedere.

Resp. 1. Ea peccata specie differunt, per quæ violantur

Thom. 1. 2. q. 78. art. 1. & 2. ubi causas etiam exponit propter quas aliqui ex certa malitia peccant.

Super quæ Sylvius in cit. art. 1. duo observat. 1. Peccare ex certa malitia idem non esse ac eligere malum sub ratione mali, aut peccare ex peccato præcedenti, cum interdum peccatum ex certa malitia sit primum. 2. Licet verum sit, eum qui ex malitia peccat non peccare ex ignorantia; ipsum nihilominus semper laborare aliqua ignorantia; ea scilicet quæ dicitur ignorantia electionis; quemadmodum art. 1. & q. 3. de Mal. art. 12. & 13. & 1. 2. q. 78. art. 3. ad 1. tradit D. Thom. ubi plura scitu digna occurrunt.

(4) De specifica peccatorum distinctione agit D. Thom. 1. 2. q. 12. art. 1. ubi docet, peccata specie distingui, vel penes objecta diversa in esse moris, vel penes oppositos peccandi modos circa idem objectum; videlicet per excessum & defectum, vel penes diversas specie circumstantias. Porro totam rem hanc explicat & probat ad 1.

Circa quod duo notanda sunt: 1. Dum ait S. Doctor peccata specie distingui secundum objecta, sensum illius esse, quoties duorum, vel plurium actuum peccaminosorum unus tendit in unum objectum, alter non in illud, sed in aliud specie diversum in genere moris, actus illos peccaminosos specie differre, etiamsi objecta illa specie inter se physica non differant. 2. Juxta S. Doctorem, non solum peccata specificari secundum objecta formalia, seu motiva; verum etiam secundum materialia, in quæ voluntas fertur, quando illis inesse cognoscitur specifica diversitas in esse moris; quia ad contrahendam malitiam cujusque objecti, seu materialis, seu formalis, sufficit quod homo voluntarie & scienter feratur in objectum illud contra legem; licet feratur in illud ex motivo ab eo diverso quod in se habet tale objectum. Unde contingit actum invariatum in specie physica, variari in specie moris; & e contra. De circumstantiis jam egimus in notis ad cap. Tract. *de Actibus Hum.*

tur præcepta ſpecie moraliter diverſa. Quia tranſgreſſiones præceptorum ſpecie diverſorum ſunt tranſgreſſiones ſpecie notabiliter diverſæ. Præcepta autem ſpecie diverſa ſunt, quæ præcipiunt, aut prohibent actus diverſæ ſpeciei moralis, vel actus ejuſdem ſpeciei, ſed ex diverſo motivo proximo. Actus vero diverſæ ſpeciei moralis ſunt ii, qui habent convenientiam, vel diſconvenientiam notabiliter diverſam cum natura rationali, & lege divina. Hinc ſi per unum actum, vel omiſſionem violatur multiplex præceptum ſpecie diverſum, tunc committitur multiplex ſpecie peccatum. Sic e. g. eadem percuſſio clerici eſt duplex ſpecie peccatum; unum injuſtitiæ, & alterum ſacrilegii: immo peccata, quæ eidem virtuti, ſed malo notabiliter diverſo opponuntur, ſunt ſpecie diverſa: ſic avaritia, & prodigalitas, quæ liberalitati opponuntur ſunt vitia ſpecie diverſa, quia ei opponuntur modo notabiliter diverſo, nempe per defectum, & per exceſſum.

Reſp. 2. Diſtinctio ſpecifica peccatorum recte etiam petitur ab objecto, fine, & circumſtantiis, quæ ſpecialem habent diſconvenientiam cum natura rationali, & lege divina. Quia actus voluntatis habet malitiam moralem hoc ipſo, quod vult aliquid malum, vel vult etiam aliquid de ſe licitum, ſed vel ob malum finem, vel in circumſtantia mala. Sic e. g. actus, quo quis vult furari, ſumit a furto malitiam in ſpecie injuſtitiæ. Actus, quo quis vult labore etſi licito lucrari ad ſe inebriandum, ſumit malitiam intemperantiæ ab hoc fine. Celebratio Miſſæ in loco vetito, ſeu indecenti habet malitiam irreligionis ex circumſtantia loci. Actus, quo quis vult furari in templo, ut fornicetur: eſt triplex peccatum, injuſtitiæ, ſacrilegii, & luxuriæ, quia actus, quo quis vult objectum malum ob finem ſpecialiter malum, in circumſtantia ſpecialiter mala, ſumit ab his tribus malitiam in triplici ſpecie peccati.

Quæſt. VI. Unde petitur diſtinctio numerica peccatorum?

Agitur hic 1. De multiplicatione peccatorum, non phyſica, ſed morali, & in ordine ad confeſſionem. 2. Unus & idem actus, ſi plures malitias habuerit eſt peccatum multiplex moraliter, in quo actus conſideratur non ſecundum entitatem phyſicam, ſed ſecundum malitiam. 3. Actus internus voluntatis, & externus alterius potentiæ, circa quem prior ille verſatur, unum numero peccatum conſtituit, ut v. g. volitio furandi, & ablatio rei alienæ. His præmiſſis.

Reſp. 1. Generatim peccata multiplicantur numero intra eamdem ſpeciem pro numero, ſeu multitudine obje-

ctorum

ctorum totalium. Ita communior sententia. Quia tunc est multiplex, & numero distincta moraliter malitia in ejusmodi objectis: nam singula objecta habent suam malitiam numero distinctam a malitia aliorum. Hinc qui unico actu vult e. g. sex homines occidere, vel reipsa occidit, sex moraliter peccata committit uno illo actu; & hic unus actus sex homicidiis seorsim patratis æquivalet etiam in ordine ad obligationem confitendi. 2. Pro numero actionum ex se completarum, aut quæ interius, vel exterius consummantur, vel quæ inter se non uniuntur. Nam singuli actus repetiti sunt per se peccata, & nil est, in quo uniantur, & continuentur ad constituendum unum peccatum, & adest nova determinatio voluntatis ad nova peccata; nec unum perseverat virtualiter in alio. Hinc, qui actum odii in proximum elicuit, & post somnum, vel aliquam distractionem eum renovat, duo peccata odii admittit. Quando autem horum peccatorum numerus inveniri nequit, tunc satis est in Confessione moram temporis explicare; tunc enim declaratur numerus eo modo, quo moraliter potest.

At non multiplicantur peccata per cessationem, & repetitionem propositi circa idem objectum, quamdiu efficacitas primi propositi in aliquo libero effectu, vel opere externo perdurat. Quia tunc prior actus voluntatis in illo effectu, vel opere virtualiter perseverat; & sic semper virtualis voluntas continuatur, & durat: unde unum moraliter peccatum ex illis omnibus actibus constituitur. Sic qui ex voluntate occidendi inimicum, mane surgit, gladio se accingit, proficiscitur, quærit illum, & post plures horas repertum invadit, pluries vulnerat, & tandem occidit, quamvis in itinere cogitet de aliis rebus, confabuletur, legat, sæpiusque volitionem occidendi renovet, committit unum moraliter peccatum, eo tamen gravius, quo pluries renovavit voluntatem occidendi. Secus esset si homicida ille longius diverteret a via, qua inimicum insequitur, ad conficiendum aliquod negotium superveniens, eoque confecto ad priorem viam reverteretur; quia quoties ex alio fine interrumpitur aliquod opus moram, & attentionem talem exigens, ut ad resumendum postea intermissam mediorum seriem necesse sit primam intentionem renovare, & requiratur nova deliberatio, ac determinatio, tollitur unitas moralis actionis, etiamsi prior voluntas non retractetur.

Si actus externi mali plures physice sint in se completi, & de se non spectent ad consummationem unius peccati, vel operis sunt plura numero peccata, quamvis ad unum finem ab operante referantur: nam non censetur

una moraliter actio. Sic qui die Natalis Christi tres legens continenter Missas, ter communicat in peccato mortali, ter peccat, quamvis tres Missas ad unum finem ordinet. Secus est de actibus externis physice pluribus ex se non completis, sed subordinatis, qui ad eumdem actum principalem ordinentur tamquam illius dispositiones, media, inchoationes, sintque cum illo similis malitiæ, ac circa idem objectum. Sic e. g. ictus, & vulnera ordinata ad homicidium ejusdem consummandum sunt unum totale peccatum cum homicidio. Unde non est necesse illorum numerum exprimere, nisi generatim, eo quod multum aggravent peccatum. Si quæ tamen circumstantiæ extraordinariæ per se malæ illis adjungerentur, speciatim explicandæ sunt. Dixi, *similis malitiæ*: nam si media assumpta, vel actus habeant malitiam specie diversam a malitia finis, seu actus principalis, sunt plura specie peccata explicanda.

Delectationes e. g. morosæ, tactus, & verba impudica, quæ subsequuntur copulam, sunt peccata inter se, & a copula distincta: quia sunt ex se inchoationes, ac dispositiones ad novam copulam. Quod (5) si tales actus subordinati non referantur per intentionem peccantis ad eumdem actum principalem, sunt multiplex peccatum. Quia tunc non uniuntur, nec in æstimatione prudenti censentur una moraliter actio, & ad actum principalem, & ad actum subordinatum requiritur duplex, etiam moraliter, deliberatio, & determinatio. Sic si Petrus primo voluisset tantum vulnerare Paulum, & postea ex ira fervescente eum occideret, sunt duo peccata speciatim explicanda.

Denique peccata multiplicantur per interruptionem moralem, quæ vel fit per retractationem, etiam virtualem, prioris voluntatis, & postea ejusdem repetitionem. Vel fit per

(5) Tactus, oscula, & similia quæ præcedunt copulam sine relatione ad illam, etsi, mutata voluntate, copula subsequatur, juxta communem prudentum æstimationem cui nihil convincens in contrarium afferri potest, proindeque Theologus illi acquiescere potest, sunt quidem peccata moraliter a copula distincta, non autem sunt etiam distincta inter se, ita ut multiplex moraliter peccatum constituant, cum non constituant nisi unum moraliter peccatum; nam ex communi usu sensuque hominum censentur una moraliter actio. Idem dicendum de eo qui uno iræ impetu pluries successive eumdem in una ira percutit, vel uno linguæ conflictu in eadem occasione pluria convincia, saltem ejusdem rationis, in alium conjicit.

(6) Con-

ſit per deliberatam converſionem ad aliquid incompoſſibile cum priore actu interno; nam hæc eſt retractatio interpretativa, quæ multiplicat peccata repetita. Item actus voluntatis interrumpitur moraliter, cum neque actu, neque virtute perſeverat: quod fit non ſolum per retractationem, ſed etiam per ſomnum, vel diuturnam applicationem ad aliam rem. Cæterum cum hæc tota unitas, & pluralitas ſit moralis, æſtimari debet ex prudenti judicio, & uſu circa unitatem, vel pluralitatem actionis humanæ, ſpectatis circumſtantiis, & qualitatibus actionum.

Quæſt. VII. An eſt multiplex peccatum in eadem actione, vel omiſſione ratione plurium præceptorum, quibus ſtatuitur ex motivo ejuſdem virtutis?

Reſp. 1. Ex communi ſententia eſt unicum, ſi hæc præcepta inter ſe ſubordinata ſint, aut connexa, & idem numero objectum per ſe ſpectent ex eodem motivo proximo. Quia tunc hæc præcepta unicam, eamdemque numero obligationem imponunt. Sic uſura, e. g. etſi quadruplici jure vetita, unicum eſt peccatum. Tamen talis violatio eſt gravius peccatum, quia ſingula præcepta imponunt obligationem, eamque augent. Unde Religioſus e. g. Sacro Ordine inſignitus gravius peccat omiſſione Breviarii, quam alter eo non inſignitus.

Reſp. 2. Probabile eſt multiplex eſſe peccatum numero in Confeſſione declarandum, ſi præcepta ſunt inter ſe diſparata, neque eamdem numero actionem, vel omiſſionem per ſe præſcribunt. Quia ibi eſt multiplex numero peccatum, ubi violantur plures obligationes ab invicem numero contradiſtinctæ: nam violatio cujuslibet obligationis ſic diſtinctæ eſt peccatum; proindeque violatio duplicis eſt duplex peccatum. Nec obſtat, quod interdum per unum, eumdemque actum impleri poſſint, quia hoc fit per accidens, & ſicut tunc unus ille actus habet rationem duplicis obſervationis, ita omiſſio illius habet rationem duplicis tranſgreſſionis moraliter loquendo. Sic e. g. Feſto S. Matthæi incidente in diem Dominicam, unica auditione Miſſæ duplex præceptum impletur, ea omiſſa duplex erit tranſgreſſio. Nam ſi Feſtum incideret in alium diem, ut fere fit, eſſet obligatio ad duas Miſſas. Et hic videtur eſſe communis Fidelium ſenſus, hæc tanquam duo peccata confitentium, dum ad id advertunt. Saltem tale peccatum gravius eſt, quam ſi non eſſet talis præceptorum concurſus.

Quæſt. VIII. Unde petitur gravitas peccatorum?

Gravitas peccati eſt quantitas, ſeu menſura malitiæ, per quam peccatum eſt magis, aut minus diſconveniens

natu-

naturæ rationali, ac legi, & offensivum Dei, ideoque majore, vel minore pœna dignum. Peccatum autem potest esse magis, aut minus grave gravitate ejusdem speciei, vel diversæ: sic furtum sex nummorum est levius homicidio, & gravius furto trium nummorum.

Resp. 1. Gravitas peccati petitur ab objecto, fine, & circumstantiis, prout disconveniunt naturæ rationali, & legi: inde enim malitiæ gravitas petitur, unde ipsa malitia.

Resp. 2. Illa peccata, cæteris paribus, graviora sunt, quæ præstantioribus virtutibus, & actibus harum excellentioribus directe, ac per se opponuntur: quia dignitas virtutis, & gravitas peccati oppositi petuntur ex eodem objecto, ratione cujus directe opponuntur. Quare odium Dei est gravissimum peccatum, utpote directe oppositum præstantissimo charitatis actui.

Porro virtutes præstantiores sunt primo Theologicæ hoc ordine, charitas, spes, fides: deinde religio, pœnitentia, quia Deum immediate respiciunt: postea reliquæ morales hoc ordine: prudentia, justitia, fortitudo, temperantia: & simili ordine procedunt aliæ virtutes his annexæ. Denique malitiæ gravitas petitur etiam a modo, quo actus eidem virtuti opponuntur: nam oppositio contraria pejor est privativa: sic odium Dei pejus est, quam omissio amoris præcepti.

Dixi 1. *directe*. Nam etiam minora vitia indirecte opponuntur majori virtuti, a qua prohibentur. 2. *Per se*, seu ex natura sua. Nam quæ præstantiori virtuti tantum ex præcepto positivo opponuntur, non sunt, cæteris paribus, per se graviora iis, quæ minus nobili ex natura sua, & jure naturali opponuntur; cum non sit par obligatio præcepti. Sic homicidium gravius est, quam laborare die festo, quamvis hoc religioni, illud justitiæ adversetur. 3. *Cæteris paribus*. Nam malitia, vel bonitas non solum desumitur ex ratione generica objecti, sed etiam ex multis aliis, ratione quorum potest esse excessus. Quare major, vel minor gravitas unius peccati præ alio definienda est ex complexione eorum omnium, ex quibus augeri, vel minui potest malitia.

Quæst. IX. An effectus malus, vel noxius proximo ex peccato secutus, imputatur peccanti, & dat peccato novam malitiam?

Resp. Affirm. Si ille effectus fuerit prævisus, vel potuerit, ac debuerit prævideri. Quia tunc est saltem indirecte, & interpretative volitus, nempe in causa illicite, ac libere posita. Quod verum est, etsi voluntas, antequam effectus eveniat, retractet causam, sicuti diximus de con-

ſcientia vincibiliter erronea. Hinc qui alterum e. g. lethaliter vulneraverit, mors læſi etiam poſt occiſoris contritionem ſecuta, ei imputatur, quoad obligationem damni compenſandi; & is fit irregularis ex delicto.

CAPUT SECUNDUM.

De Peccato mortali, & veniali.

Quæſt. I. QUid ſunt, & quomodo differunt?

Reſp. 1. Peccatum mortale eſt legis divinæ tranſgreſſio gravis, & proinde gravis offenſa Dei, privans amicitia divina, & gratia ſanctificante, quæ eſt ſupernatunalis vita animæ, atque reddens peccatorem dignum odio Dei, ac pœna æterna. Secus peccatum veniale. Differunt inter ſe, quod mortale ſit Dei contemptus, ſaltem virtualis, & interpretativus, cum ſit prædilectio, ſeu prælatio creaturæ præ Deo, & averſio a Deo tanquam a fine ultimo, atque adhæſio creaturæ, tanquam fini ultimo. Hæc autem non conveniunt peccato veniali, ut patet.

Reſp. 2. Mortale, & veniale, ut talia, ſemper differunt inter ſe ſpecie morali, ideoque eſſentialiter. Quia illorum malitiæ notabiliter inter ſe differunt in ratione offenſæ, ut patet ex dictis. Quatenus tamen circa idem objectum verſantur, poſſunt eſſe ejuſdem ſpeciei; nam malitia petita ex objecto ejuſdem eſt ſpeciei in furto gravi, & levi, cum ambo eidem præcepto, & virtuti ex eodem motivo opponantur, & differant ſolum ſecundum plus, & minus, ſintque in eadem ſpecie injuſtitiæ.

Quæſt. II. Quænam requirantur ad peccatum mortale?

Reſp. Secundum omnes, duo. 1. Ex parte objecti aliquid grave, ſaltem ex fine. 2. Advertentia, & conſenſus ſufficiens ad actum ſimpliciter liberum, & humanum, qui conſenſus dicitur plenus, ac perfectus. Conſenſus autem perfectus (ſicut etiam advertentia perfecta) eſt ille, qui datur ab homine vigilante, plene ſui compote, & expeditum habente rationis uſum, qui advertit ad malitiam actus, vel omiſſionis, vel potuit, ac debuit advertere. Quod ſi ad eam advertere non poſſit ex defectu cognitionis habitualis malitiæ, non excuſatur, ſi ignorantia fuit vincibilis.

Quæſt. III. Quodnam voluntarium ſufficit ad mortale?

Peccatum eſt eſſentialiter voluntarium ex Auguſtino lib. de ver. Relig. c. 14. cum ſit actio, vel omiſſio imputabilis

bilis ad culpam, vituperium, & pœnam, quod ſine voluntario eſſe non poteſt. Porro quid, & quotuplex ſit voluntarium diximus in Tract. de Actibus Humanis cap. 1. igitur.

Reſp. 1. Conſenſus ſufficiens (6) ad mortale eſt conſenſus perfectus: talis enim conſenſus eſt plenus, & ſufficienter liber, ac humanus, ut actio, vel omiſſio ſit imputabilis ad culpam gravem, cum ejus malitia, aut malitiæ periculum potuerit, ac debuerit cognoſci, & vitari.

Reſp. 2. Ad peccatum mortale non requiritur, ut malitia moralis ſit directe volita, & propter ſe, quod potius diabolicum eſt, quam humanum, ſed ſufficit, ut ſit indirecte, vel interpretative volita, hoc eſt, ut voluntas velit ex quocunque motivo aliquid graviter malum, etiamſi ejus malitiam ſecundum ſe averſetur, modo cognoſcat, vel poſſit, ac debeat cognoſcere ejus malitiam. Nam malum nullatenus eſt volibile, ſed malitia actus exigit quocunque modo fugi.

Quæſt. IV. Quænam (7) advertentia ſufficit ad peccatum mortale?

Reſp.

---

(6) Conſenſus, alius eſt *poſitivus*, quo voluntas expreſſe approbat objectum ab intellectu propoſitum; alius *negativus*, quo intellectus, etiam ſuppoſita *ſufficienti* intellectus advertentia, nec poſitive approbat, nec poſitive diſſentit, etſi diſſentire poſſit. Alius *directus*, qui directe fertur in objectum a voluntate propoſitum; alius *indirectus*, quem alii *virtualem* & *interpretativum* vocant, qui licet rem aliquam in ſe non velit, vult tamen aliquid in quo illa continetur, aut unde ſequitur. Alius eſt perfectus & plenus; alius imperfectus, de quibus Auctor. Alius *efficax*, quo voluntas ita malum approbat ut ejus executionem intendat, ſive eam ponat, ſive non; alius *inefficax*, quo voluntas delectatur circa opus malum quin tamen illud exequi intendat, vocaturque *delectatio moroſa*.

(7) Sicut conſenſus, ita & inadvertentia eſt multiplex. Nam 1. ratione objecti, alia eſt ad actum materialiter ſumptum, v. g. ad eſum carnium, quin advertatur id fieri die jejunii; alia eſt ad ejus malitiam. 2. Ratione modi, alia eſt formalis & expreſſa qua actio ponitur advertendo actu eam eſſe vetitam; alia virtualis, ſeu implicita, quæ etiam *interpretativa* dicitur, dum ſcilicet adeſt dubium, vel ſcrupulus, vel ſuſpicio peccati, vel periculi ejus, vel prævisio ſaltem confuſa actus mali in ſua cauſa; aut dum negligentia culpabilis facit, ut peccatum ejuſque periculum non agnoſcatur, nec advertatur. 3. Ratione *perfectionis* alia eſt plena, qua agens ita ſibi præſens eſt & ſui compos, ut rem conſideret, aut conſiderare poſſit quantum ſufficit: alia ſemiplena, cum ſomnus, aliudve impedimentum efficit, ne ho-

Resp. 1. Potest esse peccatum mortale imputabile sine advertentia actuali malitiæ. Quia dantur peccata imputabilia ad culpam mortalem, quæ tamen fiunt ex ignorantia vincibili malitiæ ut ex Joann. 16. de persecutoribus Apostolorum, putantibus, eos interficiendo, obsequium se præstare Deo, qui tamen vere mortaliter peccabant. Deinde multi agunt contra legem ex habituali inconsideratione, & negligentia; immo ex habituali dispositione voluntatis statim se determinandi ad id, quod delectat & utile est, sive sit licitum, sive non. Certe hi sæpe agunt sine ulla cognitione actuali malitiæ; & tamen quis neget eos graviter peccare?

Resp. 2. Ad mortale, etiam secundum se imputabile sufficit (8) advertentia virtualis, & interpretativa malitiæ aut periculi illius: sufficit enim consensus voluntatis interpretativus, cum scilicet voluntas potest, & debet repudiare actum malum, & non repudiat, quia hoc ipso malitia est ei satis voluntaria, & libera. Ergo etiam sufficit advertentia interpretativa, cum scilicet voluntas potest, ac debet advertere ad malitiam actus, & non advertit, proindeque malitia est ei voluntaria, & libera: nam ad peccatum imputabile non minus requiritur consensus voluntatis, quam advertentia rationis.

Potest

---

ne homo satis sui compos sit, ut rem quantum satis est, considerare queat.

Fatentur omnes, ubi nulla est advertentia, saltem virtualis, ibi nullum esse peccatum: quia sublata advertentia tollitur voluntarium. Sed dissentiunt an non ad peccandum formaliter necessaria sit actualis & expressa advertentia & cogitatio, vel saltem actuale dubium & scrupulus de malitia actionis, an vero sufficiat advertentia virtualis. In hac controversia tenenda est doctrina, quam duabus sequentibus responsionibus ad hanc quæstione IV. Auctor exhibet.

(8) Advertentia virtualis & interpretativa sufficiens ad mortale debet esse perfecta: quia ad peccatum mortale non minus requiritur advertentia rationis, quam consensus voluntatis. Sed, juxta Auctorem nostrum, consensus ad mortale requisitus est consensus perfectus. Ergo.

Sed circa hoc nota, 1. Tale esse peccatum, qualis est malitia quæ advertitur, aut adverti potest ac debet: unde peccatum lethale est, sive gravis advertatur malitia, ubi levis est; sive levis, ubi gravis, & ubi talis adverti potest ac debet cum ordinariis rationis vel gratiæ auxiliis. 2. Pœnitentes (eos scilicet qui supponuntur per pœnitentiam retractasse malam qua ligati erant consuetudinem blasphemandi, e. g. obscœna verba proferendi, &c.) pœnitentes, inquam, qui in actus ex objecto graves erumpunt, 1. Hæc confiteri debere. 2. Non levem iis pœnitentiam imponi debere, etiamsi asserant, se eas actiones sine ulla prorsus advertentia commisisse: quia vix contingere potest, ut quædam non adfuerit advertentia, vel advertendi negligentia.

Poteſt autem voluntas advertere quando ex aliqua cognitione præſenti ejuſdem, vel alterius objecti, aut circumſtantiæ prudenter, ac circumſpective agendo deveniret in cognitionem malitiæ, quam novit quidem habitu, ſed actu non advertit. Tunc enim habet ſufficiens principium diſcurrendi, & conſiderandi, an actus ſit licitus, vel illicitus: & ſi hoc omittit, imprudenter agit: unde merito illi imputatur peccatum quod inde ſequitur: nam in omni deliberatione humana primo conſiderandum eſt, utrum res liceat, necne; cum eodem præcepto, quo tenemur vitare peccatum, & ſervare legem, teneamur etiam adhibere advertentiam, & conſiderationem, ſine qua lex nequit obſervari.

Hinc in iis, quæ intrinſece mala ſunt, & contra legem naturalem ad virtualem advertentiam malitiæ moralis habitualiter notæ ſufficit, ut quis recte advertat, quid agat. Nam hoc ipſo facillime excitari poteſt actualis cognitio malitiæ utpote habentis cum illa intrinſecam connexionem, ſi conſiderate, & ſine præcipitatione agatur. In iis vero, quæ non ſunt per ſe mala, ſed vetita ſolo jure poſitivo, quamvis ſemper ſufficiat conſideratio ipſarum actionum ſecundum ſe, cum non habeant intrinſecam connexionem cum malitia, ſeu præcepto eas vetante, tamen ſi quis non laboret ulla ignorantia facti, ſola objecti propoſitio cum cognitione habituali præcepti regulariter ſufficit ad excitandam cognitionem malitiæ, ſi qua par eſt conſideratione, & mora in agendo procedatur. Quod ſi malitia non ſit habitualiter nota, tunc actus eſt culpabilis, ſi ignorantia ſit vincibilis, quia hæc non *excuſat* a peccato.

Cum aliqui Theologi dicunt ad peccatum mortale requiri advertentiam malitiæ vel ſuſpicionem, aut dubitationem de illa; ut id cum veritate, & certiſſimis ipſorum, ac omnium principiis conſentiat, debet intelligi in ſenſu accommodo, nempe vel de peccato directe volito, & de peccato malitiæ ex certa ſcientia commiſſo; vel de advertentia malitiæ ſive formali præſenti, aut antecedente, ſive virtuali, & interpretativa, in ſpecie, vel in genere, in ſe, vel in cauſa. Quo ſane modo intelligendum eſt etiam illud principium, *Nihil volitum, quin præcognitum*, cujus ſimile eſt iſtud, *Voluntarium eſt id, quod eſt a principio intrinſeco cum cognitione*, item iſtud, *Actus moralis eſt, qui libere fit cum advertentia ad regulam morum*.

Quæſt. V. Quibus indiciis in dubio de conſenſu ſufficienti ad mortale, cognoſci poteſt eum fuiſſe datum, vel non?

Resp. Traduntur a Doctoribus hæ regulæ : 1. Si dubitans de consensu præstito sit vir probus, & timoratæ conscientiæ, sitque ita habitualiter, ac constanter dispositus, ut potius vellet mori, quam mortaliter peccare, censendus est non dedisse sufficientem consensum, licet aliquam forte in repellenda tentatione negligentiam admiserit. At si homo sit pravus, & peccatis assuetus, in dubio censendus est consensisse. Quia in dubio prudens præsumptio a consuetis, ac communiter contingentibus, & habituali dispositione sumitur. 2. Si suborta cogitatione, aut tentatione de facienda re mala, non fit, cum facile possit. 3. Sola perseverantia motus interni post advertentiam non indicat sufficienter plenum consensum, sicut perseverantia motus exterioris membrorum illum arguit : quia his voluntas non illis dispotice imperat. 4. Quando quis dubitat, vigilans, an dormiens, sui compos, an impos, quidpiam voluerit, aut fecerit, probabile indicium est non plenæ deliberationis ; quia hæc regulariter hominem de suis actibus certiorem reddit ; nisi forte mora temporis aliquam induxerit oblivionem. At tale indicium non est contritio, quæ actum peccati consequitur; nam hæc non imperfecti consensus, sed tantum mutatæ voluntatis est argumentum. Cæterum cum hæ omnes conjecturæ veritatem non ostendant, est obligatio confitendi dubium illum consensum.

Quæst. VI. An est mortale agere, aut velle aliquid graviter illicitum ob finem bonum?

Resp. Affirm. Ita omnes. Quippe ad Rom. 3. graviter damnatur illud: *Faciamus mala, ut veniant bona*. Deinde actus voluntatis sumit malitiam ab eo omni in quod fertur: & volitio finis honesti per medium illicitum comparandi est mala; immo volitio finis honesti per medium licitum in circumstantia mala est mala, & vetita, quia utrumque disconvenit naturæ rationali, & legi divinæ. Videatur S. Thomas 2. 2. quæst. 110. art. 3.

Quæst. VII. Quænam sunt peccata mortalia, vel venialia ex genere suo?

Resp. 1. Ex Augustino Enchyrid. cap. 78. & 79. perdifficilem esse homini hujus quæstionis solutionem. 2. Id repeti debere ex Scriptura. Quæ enim ab illa dicuntur abominabilia, excludere a Regno Dei, ut vel ob quæ dicitur Væ, aliisque similibus phrasibus notantur, sunt ex genere suo mortalia. Ex Traditione in libris Patrum contenta, cæterisque hujus generis Theologiæ fontibus. 3. Peccatum mortale ex genere suo est illud, intra cujus objectum, seu materiam datur aliquid graviter repugnans rectæ rationi, vel fini legis; qualia sunt peccata contra virtu-

virtutes Theologicas, Religionem, justitiam aliasque virtutes graviter obligantes: item quæ nos graviter corrumpunt. Peccatum veniale vero opposito modo se habet. Ita S. Thomas 1. 2. quæst. 88. art. 2. 4. Mortale ex genere suo duplex est: aliud ex toto genere suo, & est illud, cujus omne objectum, seu omnis materia est per se gravis, unde non potest esse veniale, nisi ex imperfectione actus, seu ex defectu advertentiæ, & consensus sufficientis ad mortale, cujusmodi sunt odium, & contemptus Dei, hæresis, desperatio &c. Item delectatio venerea extra conjugium, pollutio &c. Aliud ex genere suo, sed non toto; & est illud, intra cujus objectum, seu materiam datur aliquid ex se grave, & leve, seu graviter, & leviter inordinatum, ac prohibitum, seu aliquid graviter, & aliquid leviter lædens virtutem, quæ est finis præcepti, ut patet in furto.

Quæst. VIII. An peccatum mortale ex genere suo fieri potest veniale, & viciſſim?

Resp. 1. Peccatum ex genere suo mortale fieri potest veniale 1. Ob levitatem (9) materiæ, ut patet in peccatis contra justitiam, v. g. furto levi 2. Ob imperfectionem actus ex parte intellectus, & voluntatis, ut docet D. Thomas 1. 2. q. 88. art. 6. hoc est ob defectum (10) sufficientis advertentiæ, & consensus ad hoc, ut actus dicatur simpliciter liber, & humanus. Quid sit consensus perfectus, perfectaque advertentia, jam dixi cap. 2. q. 2. ex quibus colligi potest, quid sit imperfectus consensus, ac advertentia imperfecta.

Porro

(9) Ut prudenter judicetur, quæ materia gravis sit, quæ levis; non absolute ipsa considerari debet, sed cum omnibus circumstantiis, & maxime cum relatione ad finem præcepti contra quod peccatur; vel cum connexione quam habet cum materia præcedenti ejusdem rationis. Nam ex his fit, ut peccatum sit grave, aut leve.

(10) Defectu advertentiæ ex parte intellectus excusari solent a mortali, 1. Infantes (ait Petrus Collet Tom. 1. Tract. de Pecc. part. 2. cap. 2. artic. 2.) septennio minores, qui dubitant, an mortaliter peccaverint; Sed, ut optime animadvertit Fulgentianæ Moralis illustrator eximius, tom. 1. Tract. 2. de Pecc. cap. 1. n. 10. Hæc regula fallere potest in his, in quibus mens ante tempus est malitiæ matura. 2. Semistulti, semidormientes. Item qui dubitant, an perfecte a somno excitati essent, an egerint in phrenesi, &c. 3. Qui vehementi objecti alterius meditatione detinentur, aut quibus gravis animi perturbatio citra culpam irrepit. Denique, defectu pleni consensus excusantur a mortali qui ab eo excusantur defectu advertentiæ; hæc enim est illius principium.

Porro distinguitur actus, seu motus, nempe primo primus, qui subito ante omnem mentis advertentiam insurgit, nec ullatenus pendet a voluntate; & hic non est culpa secundum se: secundo primus, qui est cum aliqua, sed imperfecta advertentia, sufficiente quidem ad culpam venialem, non autem ad mortalem, qualis est in semidormiente: & motus plene, ac perfecte deliberatus, qualis est in vigilante, & plene sui compote; & hic est mortalis, si sit graviter inordinatus, & voluntarius. Imperfectio tamen actus non impedit, quominus ea, quæ sunt ex objecto venialia, revera sint venialia. Quia ad culpam venialem sufficit quodcunque voluntarium, & liberum, sicut & quantulacunque inordinatio: secus vero ad mortale.

Resp. 2. Actus ex genere suo, seu objecto, venialis, vel indifferens, fit mortalis per accidens, seu per aliquid ei adjunctum. Ac primo quidem ex errore conscientiæ, quo quis putat id, quod agit, esse mortale, licet reipsa non sit. 2. Ratione affectus graviter inordinati in rem aliquam leviter malam, vel indifferentem, constituendo in ea ultimum finem. 3. Ratione finis mortaliter mali, ad quem ordinatur, ut adulatio, seu laudatio ex se venialis, ordinata ad subornandam virginem. 4. Ratione gravis damni, aut scandali, quod ex re levi secuturum prævidetur, vel præviderі potest, ac debet, ut si ex furto rei levis prævideas alterum blasphematurum. 5. Ratione periculi in mortale, in quod quis experientia didicit se ex actione de se leviter mala, vel indifferenti incurrère, puta si aspectus mulieris, vel colloquium inducat ad actum turpem, vel consensum in delectationem veneream. 6. Propter contemptum formalem præcepti, vel regulæ, vel Superioris, qua Superior est; ut si quis violat præceptum in re levi, quia præceptum est, sive quia renuit subjici præcepto, vel Superiori. Item omissio Consilii Evangelici ex contemptu.

Quæst. IX. An multa venialia possunt facere unum mortale?

Resp. 1. Peccata venialia, quantumvis multiplicata, non possunt per se efficere unum mortale, nisi eorum materiæ, vel effectus uniantur. Est communis sententia. Et patet ex natura, & indole utriusque peccati superius a nobis explicata. Præterea sola multiplicatio non constituit peccatum in alia specie: peccatum autem mortale est in specie superiori, veniale vero in specie inferiori. Videatur Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. Qui tamen proponeret omnia venialia occurrentia committere, vel ad hoc paratus esset, velletque sola mortalia vitare, secundum

San-

Sanchez, & Bonacinam peccaret mortaliter, etiamsi contemptus formalis deesset. Quia juxta SS. Patres, & Doctores, illius propositi objectum contineret apertissimum, ac certissimum, ut patet ex praxi &c. peccandi mortaliter periculum, quod talis vult subire. Peccaret autem contra præceptum charitatis.

Resp. 2. Si plurium venialium materiæ, vel effectus moraliter uniantur, & unum objectum grave constituant contra unum præceptum, tunc mortale est peccatum. Est communis sententia. Quia tunc per ultimum peccatum ponitur complementum materiæ gravis, vel effectus graviter prohibiti; & illud ponens censetur velle aliquid graviter inordinatum, ac prohibitum. Sic e. g. qui uno die festo pluries laborat per quadrantem diversis horis, peccat mortaliter ultimo quadrantis labore, quo completur tempus notabile. Si vero plurium venialium materiæ parvæ, & effectus non uniantur, nec in grave objectum coalescant; tunc omnia & singula peccata sunt venialia, nec efficiunt mortale: quia tunc materiæ illæ non constituunt unum objectum grave, nec materiam sufficientem ad mortale. Sic e. g. qui pluribus festis per unum quadrantem laborat, non peccat mortaliter, secluso scandalo, & contemptu: quia tunc sicut festa sunt diversa, neque efficiunt unum moraliter; ita & labores sunt diversi, nec unum inter se constituunt. Idem dic de eo, qui plures inducit e. g. ad parum comedendum uno die jejunii; quia actio unius non unitur, nec facit unum moraliter objectum vetitum cum actione alterius.

Quæst. X. An, & quomodo multa venialia disponunt ad mortale?

Resp. Affirm. Et constat ex Scriptura: Eccl. 19. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Et ex consensu Theologorum, Patribusque docentibus venialia diligenter cavenda esse, ne labamur in mortalia. Et demum ex praxi, & experientia.

Resp. 2. Multa (11) venialia disponunt ad mortale 1. In-

(11) Valde timendum est, ne extra statum gratiæ sint, qui venialia sua peccata emendare contemnunt, ab iisque abstinere nihil vel parum curant: quia isti sunt tepidi; & tepiditas raro a peccato mortali sejuncta est. Porro tales sunt, 1. Tot Sacerdotes, qui Missam corde arido celebrare consueverunt, absque ulla, aut vix ulla præparatione anteriori, devotione, & post Missam gratiarum actione. 2. Tot Clerici divino officio adstricti, qui illud recitant quasi continuo distracti, & quidem propria ipsorum

1. Indirecte, seu negative, removendo id, quod mortalia impediret, nempe fervorem charitatis, timorem Dei, & horrorem peccati ex parte peccantis; ex parte Dei vero providentiam illam specialem, qua tentationes, ac pericula removebat, & liberalitatem, qua uberes, ac potentes gratias largiebatur. 2. Positive: tum quia mortale, & veniale, præsertim deliberate, & ex gravi negligentia proveniens, in hoc conveniunt, quod sint infractio legis, & ordinis: tum quia libido peccandi, & effectus erga rem venialiter malam, potest sæpius peccando ita crescere, ut in ea constituatur finis ultimus. Venialia autem ejusdem speciei magis adhuc per se, ac directe disponunt ad mortale; cum circa idem objectum versentur, & pariant similem habitum. Sic levioribus furtis, contumeliis, detractionibus via sternitur ad graviores injurias, & comparatur consuetudo furandi, & detrahendi, quæ magis adhuc in gravia objecta, utpote magis ad se allicientia, inducit, quam in levia.

CAPUT TERTIUM.

De Peccatis commissionis, & omissionis.

Quæst. I. Quid sunt, & an differunt inter se talia peccata?

Resp. 1. Peccatum commissionis est violatio præcepti negativi. Peccatum omissionis est omissio, sive violatio præcepti affirmativi.

Resp. 2. Hæc peccata, etiam cum eidem virtuti, aut præcepto ex eodem motivo adversantur, sic moraliter inter se differunt; saltem secundum gravitatem, ut in Confessione singillatim explicanda sint. Nam peccatum commissionis, cæteris paribus, est notabiliter gravius peccato omissio-

---

rum culpa. 3. Tot juvenes, vel jam ætate satis provecti, qui in Religione religiose non vivunt, eo prætextu quod eorum Constitutiones ne sub veniali quidem obligent. 4. Tot adolescentes, atque utinam non etiam ecclesiastici, ad omnem compositi mollitiem, calamistrati, otium & teporem spirantes, tempore sacrificii Missæ sedentes, oculos huc illuc girantes, garrientes, vix uno flexu genu adorantes victimam, cum Sacerdotis manibus attollitur. Hi, inquam, aliique similes timere debent, ne a Dei amicitia exciderint.

omissionis: habet quippe notabiliter majorem disconvenientiam, & oppositionem cum natura rationali, & lege divina. Sic e. g. odium Dei est longe gravior culpa, quam omissio actus amoris Dei præcepti, licet utrumque eidem præcepto charitatis opponatur. Immo sunt, qui docent, aliqua peccata commissionis, & omissionis inter se differre secundum gravitatem specificam, ut allata: quia censent ea habere inter se disconvenientiam, & oppositionem cum natura rationali, & divina lege notabiliter diversam.

Quæst. II. Unde æstimanda est species, & gravitas omissionis culpabilis?

Resp. Ex specie, & bonitate actus præcepti. Nam privatio eo pejor est, quo forma opposita ei melior est. Sic, ergo, &c. Omissio orationis longioris præceptæ, est culpa gravior omissione orationis brevioris etiam præceptæ.

Quæst. III. An actus cum omissione culpabili conjunctus est peccatum?

Resp. 1. Omnis actus, qui est causa, finis, vel occasio proxima omissionis malæ, contrahit malitiam omissionis, ut si omittas Sacrum, ut studeas: quia prohibetur eodem præcepto, quo præcipitur actus omissus: & insuper in illo actu continetur, saltem virtualiter, voluntas omittendi. Idem est, si actus assumatur, ut medium omissionis; nam media contrahunt malitiam finis. Hinc si actus sit aliunde malus habet duplicem malitiam; ut si quis omittat sacrum, quia ejus tempore furatur. Secus autem est, si actus non sit malus aliunde.

Resp. 2. Quando actus, qui fit tempore omissionis, non est causa, nec finis, nec medium, nec occasio omissionis, sed tantum assumitur consequenter ad voluntatem efficacem omittendi ob alium finem, juxta multos non contrahit malitiam omissionis, nec proinde est peccatum, si aliunde non sit malus: ut si quis postquam decrevit omittere sacrum ob aliquod leve incommodum vitandum, oret domi, vel studeat tempore sacri, ut otium vitet. Quia lex præcipiens aliquid, non vetat actum alium, nisi sit causa, vel medium, vel occasio omissionis actus præcepti: & alius actus materialiter, & per accidens se habet ad omissionem.

Quæst. IV. Quandonam committitur peccatum omissionis?

Resp. 1. Peccatum omissionis externum admittitur eo solo tempore, quo urget præceptum faciendi actum. Quia hoc peccatum consistit in omissione actus debiti ex præcepto. Internum vero committitur, dum quis expresse,

aut

aut virtualiter, indirecte, vel interpretative vult omittere actum præceptum: nam tunc ponitur voluntas violandi præceptum.

Resp. 2. Qui ponit causam, ex qua prævidet probabiliter secuturam omissionem, tunc peccat, & contrahit malitiam omissionis: quia qui vult causam, censetur velle indirecte saltem, vel interpretative, effectum, qui ex illa sequitur: & eodem præcepto, quo vetatur omissio, prohibetur etiam positio libera causæ illius. Hinc qui die festo mane se somno tradit, prævidens se somno sepultum iri tempore sacri ultimi, tunc peccat contra Religionem, etiamsi per accidens excitetur, & postea sacrum audiat. Idem dic de eo, qui scienter, aut nonnisi cum ignorantia, aut inadvertentia culpabili exponit se morali periculo omittendi. Quod si is, qui posuit causam omissionis, vel exposuit se morali periculo omittendi, postea possit præceptum, dum urget, implere desistendo ab opere incompossibili, non implens præceptum, denuo peccat peccato omissionis; tunc enim omissio ejus est in se libera eo modo, quo actus externus esse potest. Non contrahitur autem censura, nisi eo tempore, quo actus est ex præcepto faciendus; nam tunc solum ponitur omissio externa, cui annexa est.

Resp. 3. Probabile est eum, qui posuit omissionis causam, qua factus est impotens ad implendum præceptum, peccare non solum quando posuit illam causam; sed etiam dum reipsa actum præceptum omittit, si non retractet ejus causam culpabilem, cum potest. Sic sacerdos, qui breviarium in mare libere projecit, unde factus est impotens ad illud recitandum, non solum peccavit projiciendo, sed etiam singulis diebus peccat non recitando, quamdiu priorem culpam non retractat. Ratio est; quia omissio actualis est imputabilis voluntati, quamdiu est voluntaria in causa non retractata, quæ possit retractari.

Est autem dissensio si homo non possit retractare causam culpabilem omissionis, ut fit in somno, vel ebrietate. Alii enim affirmant, eo quod talis omissio sit illi sufficienter voluntaria in causa non retractata. Alii probabilius negant; eo quod voluntas tempore omissionis non continuetur libere, nec ullum exercitium liberum habeat, cum nec possit quidem ejus causam retractare.

Cæterum necesse est omnes omnino omissiones actuales confiteri, & non tantum causam earum culpabilem. Nam ex praxi perpetua Fidelium, ex qua necessitas materiæ confessionis potius quam ex principiis metaphysicis metienda est, id constat. Et insuper id etiam necessarium est, vel ad explicandum, sicut oportet, peccati gravitatem,

tem, vel ad detegendum damnum tertii, obligationem restituendi, &c. vel ob periculum reservationis, aut censuræ.

CAPUT QUARTUM.

De ignorantia, & ejus peccatis.

Quæst. I. Quid est ignorantia, & quotuplex?

Resp. 1. Ignorantia late est carentia cognitionis veræ in subjecto capaci. Stricte, ut hic sumitur, est carentia cognitionis debitæ, seu cognitionis eorum, quæ quis scire debet.

Dividitur 1. In invincibilem, quæ etiam inculpabilis vocatur, & est illa, quæ (12) morali diligentia adhibita depelli non potest; & vincibilem, quæ tali diligentia adhibita potest depelli. 2. In (13) antecedentem, quæ nullo

(12) Pro percipienda quantitate diligentiæ requisita & sufficienti ad hanc propulsandam ignorantiam, sola hæc regula statui potest, nimirum, quod ea diligentia adhibenda sit, quæ juxta rerum addiscendarum gravitatem & difficultatem humano modo adhiberi solet; proindeque rebus illis proportionata sit. Ita communiter Doctores. Sic e. g. in investigandis obligationibus salutem animarum concernentibus tanta saltem diligentia adhibenda est juxta SS. Patres, quantam pro qualitate negotiorum adhibent qui communiter prudentes habentur.

(13) Ignorantia dicitur antecedens, vel respectu operis, & est illa quæ propter remotionem scientiæ seu cognitionis, qua habita opus non fieret, est causa, cur idem opus fiat; vel respectu voluntatis, quæ sic antecedit actum voluntatis, ut nec directe, nec indirecte causetur a voluntate; vel respectu utriusque, quæ est causa involuntaria operis alias non futuri.

Postrema hæc ignorantia (quæ a nonnullis dicitur invincibiliter antecedens) causat involuntarium simpliciter, per modum removentis prohibens (ut dicit S. Th. 1. 2. q. 6.) seu cognitionem, secundum rationem ignoratam, quæ, si sciretur, opus non fieret. Ratio est, quia talis ignorantia est causa volendi & agendi voluntati quod alias nec ageret, nec vellet, ait S. Doctor. Porro, quidquid nonnulli in contrarium sentiant, indicium, quod quidpiam factum sit involuntarie modo dicto est dolor ac tristitia concepta statim atque ignoranter factum rescitur.

Ignorantia antecedens respectu operis, si sit consequens respectu voluntatis, non causat involuntarium simpliciter, quia talis ignorantia est simpliciter voluntaria; sed secundum quid quia causat inclinationem aliquam contrariam operi quod factum sine ipsa non fuisset.

Denique ignorantia concomitans nec voluntarium causat, nec involuntarium: nam nec facit

nullo modo fuit volita, & est causa actionis, quatenus ea sublata non fieret actio: ut cum venator adhibita sufficienti diligentia ne hominem occideret, occidit amicum, putans esse feram; concomitantem, quæ non est volita, nec est causa actionis, in quantum, ea sublata, adhuc fieret actio, quæ proinde non fit ex ignorantia, sed cum ignorantia; talis est in eo, qui sufficienti adhibita diligentia, ne hominem occideret, inimicum latentem occidit, quem occidisset, si scivisset ibi latere: & consequentem, quæ est volita directe, vel indirecte; ut cum quis nescit talem diem esse festivum, quia aut expresse noluit, aut neglexit inquirere. Unde est semper vincibilis, & quandoque est caussa actionis, quandoque non, quia, ea sublata, quandoque fieret actio, quandoque non. 3. In ignorantiam juris, qua ignoratur jus, aut præceptum aliquod: & ignorantiam facti, qua ignoratur id, quod fit, esse juxta, vel contra præceptum, & potest esse de opere, vel ejus circumstantia; ut cum quis nescit esse diem Veneris, quo comedit carnes. 4. In negativam, quæ est mera privatio debitæ cognitionis alicujus rei absque judicio erroneo de illa re: & positivam, quæ est error, seu judicium falsum de aliqua re. 5. In habitualem, quæ est privatio cognitionis habitualis, & dicitur simpliciter ignorantia: & actualem, quæ est privatio debitæ cognitionis actualis, & melius dicitur inadvertentia, inconsideratio, vel oblivio.

Quæst. II. An ignorantia vincibilis est secundum se peccatum?

Ignorantia vincibilis alia est affectata, seu directe volita, & est ea, quam quis directe, & expresse vult ut liberius peccet: alia non affectata, & est solum indirecte volita, nempe in negligentia addiscendi. Hæc subdividitur in crassam, seu supinam, cum aut nulla adhibetur diligen-

---

cit opus voluntarium, defectu cognitionis non voluntariæ; nec involuntarium, cum opus sine ipsa adhuc fieret.

Hinc ille qui inimicum concomitanter ignoratum ejaculando occidit, non peccat peccato homicidii; quia, defectu cognitionis, voluntarie ipsum non occidit. Si tamen illa voluntatis affectio qua dispositus est eum occidere, si sciret ibi latere, foret actualis dum ejaculatur, ob talem affectum, reus esset homicidii interni, sed non externi. Et ideo ignorantia concomitans regulariter (cum in opus externum hic & nunc non influat) excusat a peccato, & a censuris ei annexis; sicut & ab irregularitate, & obligatione restituendi, titulo injustæ damnificationis, quia hæc emergunt ab effectu externo peccaminoso, ut bene Sylvius, Lezana, Vasquez, Tannerus, &c.

ligentia ad sciendum, aut nonnisi pro rei gravitate valde exigua adhibetur: & non crassam, cum ad sciendum adhibetur quidem aliqua diligentia, sed non adhibetur sufficiens.

Resp. Ignorantia vincibilis eorum, quæ quis scire tenetur, etsi non affectata, est secundum se peccatum imputabile. Est communis sententia, innixa S. Scripturæ, & rationi, Scripturæ: nam Eccli. 23. legitur: *Ne adincrescant ignorantiæ meæ & multiplicentur delicta mea*. Deinde rationi. Nam talis ignorantia est libera transgressio præcepti, seu omissio rei præceptæ. Rursus qui ignorat ea, quæ scire potest, ac debet, se exponit voluntarie morali periculo violandi præcepta, quoties urgent, ideoque peccandi.

Gravitas autem peccati ignorantiæ æstimanda est 1. Ex gravitate præcepti ignorati, & ex negligentia discendi. 2. Ut aliquid sit voluntarium interpretative, sufficit, ut tenearis illud vitare; nec facias, cum possis, id, quod est necessarium ad illud vitandum. 3. Ignorantia eorum, quorum cognitio ratione sui præcipitur, ut sunt mysteria fidei, est peccatum speciale oppositum virtuti fidei, quamvis fidei habitum non destruat. Ignorantia vero eorum, quorum cognitio requiritur solum in ordine ad opus, est peccatum ejusdem speciei, cujus est transgressio præcepti ignorati: nam eidem præcepto, & virtuti opponitur. 4. Peccatum ignorantiæ continuatur, & multiplicatur, sicut peccatum omissionis restitutionis debitæ.

Quæst. III. An quæ fiunt contra legem ex ignorantia vincibili, sint peccata imputabilia?

Resp. 1. Actio, vel omissio omnis contra legem posita ex ignorantia vincibili, etiam non affectata, vel cum ea, est peccatum imputabile, etiam secundum malitiam ignoratam, etiamsi putetur bona. Ita omnes. Et ratio est manifesta. Quia ea, quæ cum, vel ex ignorantia vincibili fiunt contra præceptum, sunt sufficienter libera, ac voluntaria saltem indirecte, & in causa, nempe in voluntaria negligentia addiscendi, & sic merito ad culpam imputatur voluntati, quæ potuit, ac debuit cognoscere præceptum, ac servare. Immo quæ contra legem fiunt ex, vel cum ignorantia vincibili, etiam non affectata, sunt moraliter, & æquivalenter voluntaria in se, etiam quoad malitiam moralem in ordine ad veram, & gravem, quamvis non tantam, imputabilitatem; cum ignorans culpabiliter perinde se habeat in æstimatione prudenti in ordine ad imputabilitatem, ac si actu sciret. Scriptura, & Patres multis in locis hanc doctrinam nitidissime tradunt: eaque habetur can. 16. dist. 37. & c. 2. de fortib.

Observa 1. Ignorantia præcepti est vincibilis, cum venit in mentem dubitatio de illo, vel aliquid, quo possit homo excitari ad inquirendam talis præcepti cognitionem, & omisit inquirere. 2. Ut quis sit reus mortalis culpæ non requiritur maxima negligentia, sed sufficit, si omittatur diligentia moralis pro rei qualitate, & gravitate necessaria. Ita omnes, teste Sanchez. 3. Quoties ex, vel cum ignorantia vincibili actio, vel omissio mala deliberate ponitur, toties fit novum peccatum distinctum numero a priori ignorantia, & negligentia discendi. Quia tunc libere fit denuo aliquid malum, cujus malitia imputatur voluntati ad culpam. Hinc homo ignorans ea, quæ necessaria sunt ad judicis munus recte subeundum, peccat graviter contra justitiam tunc suscipiendo tale munus, & postea toties peccat actu mortaliter quoties fert sententiam injustam. Immo cognoscit saltem confuse, aut saltem potest cognoscere, ex sua sententia secuturas multas sententias injustas, & ob eam adire periculum eas ferendi, quod sine culpa esse non potest, nisi abstineat. Idem dic de Advocato, Medico, Confessore &c.

Resp. 2. Peccata ex ignorantia qualibet vincibili, vel cum ea admissa, ejusdem sunt speciei cum peccatis scienter admissis circa idem objectum. Est sententia communis. Nam ignorantia, & negligentia, & peccatum, quod ex illa fit, adversantur eidem præcepto, & virtuti. Hinc qui ex ignorantia, vel inconsideratione vincibili juris, aut facti facit contractum injustum, peccat peccato injustitiæ, si omittat sacrum præceptum, peccat contra Religionem &c.

Quæst. IV. Quænam ignorantia minuit, vel auget peccatum?

Resp. 1. Ignorantia vincibilis non affectata minuit malitiam peccati. Est communis sententia, cum colligatur ex Lucæ 22. & 23. Ratio quoque est manifesta: quia talis ignorantia minuit voluntarium, cum impediat, ne mens peccatum in se apprehendat, & illud in se voluntas velit. Quando tamen negligentia discendi gravis est, ignorantia nunquam eo usque minuit peccatum, ut ex mortali fiat veniale: Quia non tollit sufficiens voluntarium ad malum. Legesis Augustinum l. de Gratia & lib. arbitrio cap. 3.

Resp. 2. Ignorantia affectata auget malitiam peccati. Ita communiter cum S. Thoma 1. 2. q. 76. art. 4. nam reddit illud magis voluntarium, cum per talem ignorantiam expresse, & directe sit volitum peccandi periculum: immo quodvis peccatum ex ipsa sequi natum, quod suf-

ficien-

ficienter cognitum est, saltem confuse, nempe in ejus periculo directe volito.

Quæst. V. An ignorantia invincibilis cujusvis legis, etiam naturalis excusat a peccato formali, seu imputabili?

Resp. Affirm. Constat enim ex S. Augustino lib. 3. de lib. arb. cap. 19. & ex S. Thom. 1. 2. quæst. 76. art. 3. Hinc Alexand. VIII. damnavit hanc propositionem: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali*. Ratio quoque est manifesta: quia omne peccatum imputabile, ut peccatum, est essentialiter voluntarium in ratione peccati. Porro actus ex ignorantia invincibili factus contra legem, nullatenus est voluntarius, prout oppositus legi, & ut peccatum, cum ejus malitia non cognoscatur, nec cognosci potuerit, vel in se, vel in ejus periculo. Tandem si hæc sententia vera non esset, homo teneretur ad impossibile.

De variis malitiæ speciebus diximus jam in Tract. de Actibus Humanis cap. 3. art. 3.

Quæst. VI. An datur ignorantia invincibilis juris naturalis?

Resp. 1. Non datur circa prima principia morum; quippe sunt per se nota, & cuilibet rationis compoti per se obvia. Neque etiam circa præcepta, quæ vel sunt per se nota, vel facile ex per se notis colliguntur, cujusmodi sunt præcepta Decalogi, & similia. Ex Apostolo ad Rom. 1. & 2. Et sane talia facili diligentia cognosci possunt, cum natura ipsa in eorum cognitionem nos ducat.

Resp. 2. Datur in aliquibus (14) ignorantia invincibilis circa quædam præcepta particularia juris naturalis valde

(14) Remedia ad tollendam, vincendamque invincibilem juris naturalis ignorantiam possunt esse, 1. Assidua ob continua errandi pericula ad Deum oratio cæci evangelici, Luc. 18. 11. Jesu Fili David miserere mei ... Domine ut videam. 2. Auferre exaudiendæ orationis impedimenta, præsertim infidelitatem in iis quæ justa esse quispiam jam novit, & solicite cavere quæ injusta esse evidenter cognoscuntur. 3. Adhibere adminicula inveniendæ veritatis, dando in primis operam ut ab omni cupiditate cor expurgetur. 4. Denique ex parte nostra non omittere media necessaria ad acquirendam veritatis notitiam; & in casu propriæ incapacitatis ad hoc, peritiores consulere, in quorum delectu tamen summa opus est prudentia proindeque nitendum ut consulantur sinceri veritatis amatores.

valde abstrusa, & remota a principiis: cum enim aliqua præcepta sine longo, ac difficili discursu a primis principiis deduci nequeant, facile ignorari possunt invincibiliter præsertim a rudioribus, qui non sunt moraliter capaces longioris discursus; & quibus etiam sine ipsorum culpa possunt deesse occasiones, & opportunitates ad comparandam notitiam veritatis. Id etiam evincit dissensio virorum sanctissimorum, ac doctissimorum, immo ipsorum Ecclesiæ Doctorum, ac præcipue SS. Thomæ & Bonaventuræ circa aliqua juris naturalis præcepta, qui certe dicendi non sunt studio, vigiliis, ac orationi pepercisse, ut veritatem invenirent. Hinc inter varios articulos hic ordine tertius, teste P. de la Croix confixus est Romæ ann. 1685. die 8. Augusti: *Nullam admittimus ignorantiam invincibilem juris naturæ in ullo homine, dum hic, & nunc contra jus naturæ agit.*

(*) Nota. Fallitur Lacroxius scribens Romæ ann. 1685. supra relatam propositionem fuisse proscriptam. Prohibitus fuit libellus anonymus plures continens theses, in quo etiam propositio illa continetur; sed quis inde inferat fuisse propositionem damnatam, quam deinceps tot gravissimi Theologi propugnarunt? Nullam enim admittendam esse juris naturæ ignorantiam invincibilem docuere Marius Diana, Palancus, Ginnet, ac alii bene multi Auctores Catholici etiam hac nostra ætate tuentur.

Quæst. VII. Quid dicendum de inadvertentia, inconsideratione, & oblivione?

Inadvertentia est privatio actualis attentionis. Inconsideratio est privatio debitæ inspectionis. Oblivio est privatio recordationis rei alias notæ.

Resp. Illæ eodem modo se habent ad peccatum, quo ipsa ignorantia habitualis, ita ut harum quælibet vincibilis sit peccatum secundum se; & actio, vel omissio mala, quæ ex illa sequitur, deputetur ad culpam, secus si sit invincibilis. Quia ad voluntarium, & involuntarium se habent inadvertentia, inconsideratio, & oblivio perinde ac ignorantia habitualis, quæ, perinde ac cognitio habitualis, quidquam non facit, nisi ratione ignorantiæ actualis, seu privationis cognitionis actualis. Præterea hæc conclusio colligitur ex his, quæ in præcedentibus quæstionibus determinata sunt. Jamvero inadvertentia, seu inconsideratio culpabilis potest esse voluntaria. 1. In seipsa, quando adest illa reflexio intellectus advertentis esse amplius considerandum, aut inquirendum, & voluntas vult agere sine majori consideratione. 2. In alio, nempe vel in actu positivo, quo quis vult aliud, quod adver-

advertentiam impediat, v. g. sequi passionem: vel in omissione diligentiæ, quæ posset, ac deberet adhiberi: vel in aliquo defectu habituali non ignoto v. g. in nimia præcipitatione in agendo, in negligentia ordinaria in attendendo, in prava consuetudine, quam quis emendare non curat.

CAPUT QUINTUM.

De Concupiscentia, & peccatis infirmitatis, malitiæ, & habitus.

Quæst. I. AN motus concupiscentiæ sunt peccata?

Resp. 1. Inordinati concupiscentiæ motus, si libera voluntate excitentur, sunt peccata mortalia in materia gravi, & venialia in materia levi: sunt enim plene voluntarii, ac liberi.

Resp. 2. Hujusmodi motus, quamvis a dæmone excitati, vel sua sponte necessario exurgentes, accedente aliqua advertentia imperfecta, & imperfecto voluntatis consensu sunt peccata venialia: quia homo non potest absque culpa ullatenus, etiam imperfecte admittere, vel approbare, quod ex se malum, ac inordinatum est. Non sunt tamen mortalia propter imperfectionem actus. Accedente vero perfecta advertentia, si voluntas eos velit, & approbet, sunt peccata mortalia ex Rom. 1. & insuper colligitur ex prædictis.

Resp. 3. Motus Indeliberati concupiscentiæ, rationem ac voluntatem prævenientes, licet graviter inordinati, non sunt peccata imputabilia, nullo accedente voluntatis consensu, etiam interpretativo, patet, & insuper habetur ex Tridentino sess. 5. c. 5. Hinc Pius V. & Greg. XIII. has confixere Baji propositiones nempe 50. *Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto*, Non concupisces: & 51. *Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia*. Quod de motibus concupiscentiæ hactenus diximus, dici etiam debet de omnibus pravis cogitationibus aliisque motibus internis graviter ex objecto malis.

Quæst. II. An passio, seu motus vehemens concupiscentiæ tollit peccatum, vel malitiam ejus minuit?

Resp. Est peccatum obsequi passioni, etiam antecedenti, hoc est, quam voluntas non excitat, seu imperat, quando non tollit usum rationis nec omnem deliberatio-

 nem.

nem. Est enim quid inordinatum, & tunc est liberum; nam voluntas potest ei non obsequi. Id etiam ex Daniel. 13. Rom. 7. aliisque Scripturæ locis manifeste deprehenditur. Nihilominus passio illa antecedens minuit malitiam peccati, quia minuit cognitionem, ac deliberationem requisitam ad libertatem, ideoque libertatem. Ita S. Thom. 1. 2. quæst. 77. art. 6. Sed non ita malitiam minuit, ut ex mortali veniale faciat in motibus deliberatis; quia tunc voluntas habet sufficientem ad non consentiendum deliberationem. Si vero talis passio tollat totaliter usum rationis, vel advertentiam omnem impediat, impedit peccatum; quia tunc quod ex illa fit, non est liberum, nec voluntarium in sua causa. Secus autem est, si motus illi sint voluntarii in causa.

Resp. 2. Passio consequens, seu libere excitata, vel voluntaria in prava consuetudine non retractata, non minuit, sed auget potius peccatum, quod ex illa fit: quia non minuit, sed auget voluntarium, & intensionem effectus. Ita S. Thomas art. 6.

Quæst. III. Quid, & quale peccatum est infirmitatis, & malitiæ?

Resp. 1. Peccatum ex infirmitate est illud, quod procedit ex passione antecedente. Peccatum ex malitia est illud, quod fit ex pura libertate, sive quod neque ex ignorantia indirecte tantum volita, neque ex passione antecedente committitur, sed ex mera electione voluntatis; & sic nihil habet, quod minuat malitiam.

Resp. 2. Peccatum ex infirmitate, seu passione ex genere suo gravius est quam peccatum ex ignorantia non affectata. Quia talis ignorantia minuit liberum, & voluntarium; at passio antecedens minuit quidem liberum, sed auget voluntarium. Omnium vero, cæteris paribus, ex genere suo gravissimum est peccatum ex malitia, quia omnium maxime voluntarium, & liberum est.

Quæst. IV. An peccata commissa ex prava consuetudine, quam quis emendare non curat, æquivalent peccatis malitiæ?

Resp. Affirm. Ex S. Thom. 1. 2. quæst. 78. art. 2. Ratio est manifesta: quia peccans ex habitu, peccat ex majore inclinatione, & intensione voluntatis. Nam, ut ait S. Doctor, habitus vertitur in naturam. Id etiam constat ex Later. III. cap. 7.

Quæst. V. Ad quid tenetur implicatus consuetudine peccandi mortaliter.

Resp. Tenetur sub mortali illam efficaciter retractare, & emendare. Est communis sententia. Quia mala consuetudo est occasio proxima, & periculum morale peccandi,

di, immo & necessitas quædam moralis, in quam homo voluntarie se conjecit. Immo talis toties peccat actu, quoties ad pravam illam consuetudinem advertens non proponit efficaciter illam corrigere, cum voluntarie retineat in se occasionem proximam peccandi, & velit, saltem interpretative, in morali periculo peccandi immorari. Hæc procedunt etiam de consuetudine circa actus quosdam malos externos, v. g. blasphemiam, juramentum falsum, licet absque advertentia, animo blasphemandi, aut jurandi prolata. Nam ex communi sententia, gravis est obligatio etiam ejusmodi consuetudinem tollendi: quia talia verba, etiam sic prolata, habent gravem deformitatem, & turpitudinem objectivam, ob quam graviter disconveniunt naturæ rationali; unde homo tenetur ea non velle, neque in se, neque in causa, quippe exterius sonant, aut juramentum, eumque sensum generant apud audientes. Idem dicendum de aliis motibus subitis graviter inordinatis, qui ex prava consuetudine, quasi inadvertenter accidunt.

CAPUT VI.

De Peccatis mere internis, quæ scilicet consistunt in solis actibus internis, absque ullo opere, & signo externo.

Actus voluntatis generatim dividitur in prosecutivum, & adversativum. Prosecutivus circa objectum illicitum triplex est. Primus est volitio efficax objecti, quia voluntas vult adhibere media, quæ sunt in ejus potestate ad illud objectum assequendum. Secundus est desiderium, sed inefficax. Tertius est simplex delectatio, seu mera complacentia de objecto, seu opere apprehenso absque proposito exequendi, & desiderio assequendi.

Quæst. I. An, & quale peccatum est desiderium operis, seu objecti mali?

Resp. Quodlibet desiderium rei, vel actionis malæ etiam inefficax, illicitum est, utpote prohibitum præcepto, *Non concupisces*, juxta sententiam Ecclesiæ; & habet malitiam mortalem, aut venialem, ac eamdem speciem, quam habet res, vel actio, in quam fertur. Ita omnes. Nam improbatur Prov. 15. Osee 9. & alibi. Et sane omnis affectus prosecutivus circa aliquid graviter malum disconvenit naturæ rationali, & legi divinæ prohibenti tale objectum, sumitque malitiam, ac speciem ab objecto ma-

lo, ratione cujus opponitur rectæ rationi, & legi. Ad mortale autem non requiritur consensus efficax; alioqui approbans crimen alterius, sine voluntate illud patrandi non peccaret, quod est contra cap. 1. ad Rom.

Quæst. II. An actus externus auget malitiam actus interni?

Resp. de hoc argumento nos satis egisse in Tract. de Actibus Human. cap. 3. art. 7. Ad ipsum proinde se conferat Lector.

Quæst. III. An desiderium conditionatum, seu consensus conditionatus in opus malum, vel delectationem illius est peccatum, & quale?

Resp. 1. Desiderium conditionatum rei vetitæ per se loquendo non est mortale, si conditio apposita aufert totam, vel saltem gravem operis malitiam. Est communis sententia. Quia talis affectus non est graviter inordinatus, neque secundum se, neque ex objecto, a quo per conditionem gravis malitia vere excluditur. Si tamen, ut sæpe fit, inducat periculum probabile consensus absoluti, erit mortale ratione talis periculi. Quia mortale est se exponere periculo probabili peccandi mortaliter. Quod si conditio non aufert malitiam, tale desiderium, vel delectatio in re gravi est culpa mortalis, in levi venialis. Quia talis affectus tendit in objectum malum, & quidem absolute. Conditio autem aufert malitiam objecti, quando vel ipsa subest, vel possibilis est, & ea posita, res, seu actio non est amplius mala, saltem graviter, ut contingit; 1. In iis, quæ solo jure positivo vetita sunt. Hinc non peccaret mortaliter, qui diceret: comederem carnes die Veneris, si Ecclesia non vetuisset. 2. In prohibitis quidem jure naturali sed licitis tamen in aliqua circumstantia, si hæc pro conditione apponatur: v. g. Si essem Judex, hunc homicidam morte mulctarem. Recte tamen tenent ejusmodi desideria esse periculosa, & vitanda, atque fatuas, ac diabolicas tentationes ob occasionem periculi, quod eis inesse potest. At malitiam non tollit conditio, quando, ea opposita, adhuc manet objectum graviter inordinatum, ut si dicas: Vellem fornicari, si non esset infernus. Item quando conditio per se impossibilis est, ut si ea, quæ intrinsece mala sunt, ponantur non esse vetita, ut si dicas: Vellem furari: si non esset peccatum: nam est vere consensus in objectum vetitum, & ut tale cognitum. Immo hoc optare est gravis culpa: nam est velle, ut id, quod est per se malum, sit licitum: nec a Deo prohibeatur: quod certe sine gravi inordinatione esse non potest.

Resp. 2.

Resp. 2. Delectatio appetitus sensitivi de objecto graviter malo, etiam sub conditione, sub qua est licitum, est mortalis: quia appetitus sensitivus semper fertur in objectum, ut est in se, & omni conditione destitutum. Immo juxta (15) varios quævis delectatio de objecto intrinsece malo perinde mala est, posita quacunque conditione, ac foret illa sublata, quia delectatio est affectus complacentiæ de objecto, ut præsenti, qui unice pendet ex delectabili, quod in objecto apprehenditur, & conditio quævis non tollit ejus malitiam, nisi tollat rationem, quæ delectat, seu ipsam delectabilitatem, quod ab appetitu sensitivo præsertim fieri non potest.

Quæst. IV. Quænam prohibentur præcepto isto?

Resp. Prohibentur, tum quodvis desiderium, & complacentia objecti, seu actus mali, & consensus pravis concupiscentiæ motibus: tum etiam desiderium habendi quodvis bonum proximi, sive uxorem, sive servum, sive fundum &c. juxta Deteron. 5. Ita ut sit mortale proximi bonum notabile expetere cum ejus damno &c. nam hoc graviter repugnat charitati vetanti, ne alteri fieri velis, quod tibi non vis fieri. Videatur Cath. Rom.

Quæst. V. Quale peccatum est simplex delectatio morosa, seu deliberata rei illicitæ.

Resp. Talis delectatio de (16) quolibet objecto, vel ope-

---

(15) Tria docet Sylvius de illo, qui delectatur de opere quod ei olim licitum erat, ut e. g. si vidua delectetur de actu conjugali prius exercito, vel de opere quod ei licebit, ut si sponsi delectentur de eodem actu exercendo cum legitimo matrimonio conjuncti erunt: 1. Eos peccare mortaliter, sive cum se periculo pollutionis aut mali consensus se exponunt; sive cum de actu illo delectantur tamquam præsenti. 2. Eos non peccare mortaliter, si de actu illo delectentur, non prout placet secundum carnalem concupiscentiam, sed propter emolumentum aliquod (hæreditatem e. g. aut sanitatem) inde subsecutum, vel subsecuturum. 3. Denique si solum delectetur viduus, aut sponsus de opere conjugali præterito vel futuro, gaudens quod eum exercuerit, vel exercebit quin ullam admittant corporis vel sensualitatis commotionem, vel non peccant, vel nonnisi venialiter peccant. Ita Sylvius, Navarrus a quibus non recedit Habert, qui tamen addit, hujusmodi cogitationes ob periculum venereæ delectationis vix ac ne vix quidem ab eis inseparabile statim esse abjiciendas.

(16) Ex Angelico 1. 2. q. 74. art. 6. „ delectatio dicitur morosa, non ex mora temporis, „ sed ex eo quod ratio deliberans circa eam immoratur, . . . „ tenens & volens libenter, quæ, „ statim ut attigerat animum, „ respui debuerat, ut Augustinus „ dicit “.

Sed ad uberiorem intelligentiam hujus quæstionis de morosa delectatione, notandum est diversis modis peccari posse, interno præsertim peccato luxuriæ.

1. Dum

opere mortaliter malo est peccatum mortale, etiam seclusso omni desiderio, proposito, conatu, & periculo illud efficiendi; sumitque speciem, & malitiam a tali objecto. Est communis sententia. Nam præterquamquod id constat ex Prov. 2. Sap. 1. ex S. Augustino lib. 12. de Trin. c. 12. & Thoma 1. 2. quæst. 74. art. 8. illud ratio suadet, in antecessum toties repetita. Quippe naturæ rationali, & legi divinæ disconvenit, ac repugnat, quod voluntas gratum, & acceptum habeat id, quod naturæ rationali dissentaneum est, Deo displicet, & ab eo prohibetur: talis est porro supradicta delectatio. Id autem verum est, quamvis delectatio sit propter finem bonum: quia finis, quantumvis bonus, non tollit malitiam objecti. Hinc mera complacentia e. g. de actu, seu objecto mortali contra justitiam, puta furto, vel homicidio a se, aut alio patrato est peccatum mortale contra justitiam, est tamen minus grave, quam consensus efficax in tale opus, ut docet Sanctus Augustinus loco citato propter minorem deliberationem. Delectatio vero de actu, vel objecto veniali est venialis.

Non est tamen mortale gaudere præcise de objecto ex se non

---

1. Dum homo absolute atque efficaciter in corde suo resolvit committere opus aliquod luxuriosum; v. g. fornicationem, mollitiem, &c. Et hoc omnium confessione peccatum est ejus speciei ac gravitatis cujus est opus ipsum externum, efficaciter & absolute volitum. 2. Dum homo opus illud externum non respuit secundum se, ut est offensa Dei; immo illud amat, absoluteque committere vellet, si aliud non obstaret nisi offensa Dei; sed illud hic & nunc absolute non vult, quia timet infamiam, vel parentum offensam, vel quidpiam aliud distinctum ab offensa Dei. 3. Dum consentit expresse in delectationem ortam ex rebus ipsis cogitatis, quarum cogitationes libenter retinentur in mente, libenterque amplectuntur. 4. Denique, dum obscœna delectatio admittitur interpretative, seu aliquo modo implicite, quatenus negligitur repulsa ejus, quæ negligentia quanto est major, tanto est culpabilior. Quartus hic modus contingit aliquando animabus timoratis, non autem tres modi priores.

Ad judicandum vero, an & quæ culpa ab eo perpetrata fuerit, sequentia attendenda sunt. 1. An obscœnas passus cogitationes ad eas reflecterit, & quamdiu. 2. Si conatus quidem sit rejicere, sed dubitet an non nimis languide. 3. Dum cogitatio per aliquod tempus duravit, videndum quid fecerit ut ab ea se liberaret? 4. Videndum, an obscœnas cogitationes passus sit homo timoratus, an homo liberior, iisque addictus? 5. Quasdam esse cogitationes secundum se absolute non obscœnas, sed obscœnis affines, a quibus cor custodiendum est, ne dæmon per eas in tentationem pertrahat, quemadmodum hac via animas timoratas tentare solet.

se non malo, sed sola lege positiva vetito, quatenus non est de se malum, v. g. de cogitato esu carnium die Veneris, non ut tali die posito, vel ponendo. Nam neque objectum est de se illicitum, neque ipse actus delectationis mere internæ est prohibitus ab Ecclesia. Hæc tamen delectatio est venialis, quia includit affectum quemdam intemperantiæ, etiam deformiorem, quam si alio tempore contingeret.

Deliberata tristitia, seu displicentia de bono opere est peccatum, cum opponatur virtuti, cujus est actus.

Resp. 2. Est mortale gaudere de actu ex se mortali, sed a culpa excusatur ratione ignorantiæ invincibilis, vel defectu libertatis, ut de homicidio in somno patrato, de violatione jejunii ex ignorantia, &c. Quia est delectatio voluntaria de objecto graviter illicito. Hæc autem regula: *Talis est delectatio, quale ejus objectum* intelligi debet, quando eadem causa excusans opus reperitur in delectatione.

Resp. 3. Ex communi (17) sententia delectatio deliberata de solo modo artificioso patrandi malum, qui ex se malus non est, vel de aliqua ejus circumstantia insolita, sed non mala, per se loquendo non est mortale tum ex parabola Luc. 16. tum ex communi sensu hominum, qui crimini non vertunt, quod quis delectetur de modo, quo ebrius tremule incedit; tum ex ratione, cum objectum talis delectationis non sit malum. Potest tamen consensus in ejusmodi delectationem esse culpa venialis ratione otiositatis, curiositatis &c. immo & mortalis ratione scandali, vel periculi consentiendi in delectationem de ipso actu malo. Quod si circumstantia, vel modus esset malus, non liceret de eo delectari.

Quæst. VI. An liceat delectari de effectu bono secuto ex peccato?

Resp. Per se loquendo licet, non tamen prout est a pecca-

---

(17) Discernere, an delectatio fuerit de re mala, an solum de ipsius modo artificioso plerumque est difficile. Dignosci tamen probabiliter potest ex occasione, unde orta est delectatio, e.g. an ex occasione studii, vel auditarum confessionum, an ex occasione prava, v. g. aspectu vel colloquio turpi, vel etiam ex curiositate, locutione inutili, vana lectione, &c. item an simile artificium in rebus piis æque delectet atque in rebus obscœnis & pravis. Denique contingit etiam plurimos a principio solum delectari de cogitatione, sed ex ea paulatim transire in delectationem de re ipsa, maxime in materia venerea, si nec ratio bene vigilet, nec bene custodiatur cor.

peccato: cum objectum talis gaudii non sit malum, nec proinde ipsum gaudium. Sic Ecclesia gaudet de Redemptione per Christum secuta ex peccato Adami.

Quæst. VII. An delectatio de sola cogitatione, seu cognitione rei graviter illicitæ est mortalis.

Resp. Nego, modo absit periculum consensus in objecto. Quia rei malæ cognitio, quæ est objectum talis delectationis, non est secundum se mala. Immo hæc cognitio sæpe est necessaria, vel utilis Confessario, aut Doctori. Potest tamen talis delectatio esse culpa venialis, si sit vana, & inutilis: Ita S. Thom. 1. 2. quæst. 74. artic. 8. Hinc licet gaudere de scientia rei obscœnæ ob bonum finem, puta ad fungendum officio Confessarii, Medici &c. At cognitio rei obscœnæ ex affectu veniali, puta curiositate, etiam absente delectatione, & periculo omni, est venialis: mortalis vero, cum aliquod eorum intervenit.

CAPUT VII.

De Peccatis Capitalibus.

PEccata Capitalia sunt ea, quæ non solum sunt per se peccata, sed etiam radix, & causa impulsiva multorum aliorum peccatorum. Septem numerantur a Theologis post S. Gregor. nimirum superbia, avaritia, gula, luxuria, ira, invidia, acedia.

ARTICULUS I.

De Superbia.

Quæst. I. QUid est superbia, & quale peccatum?

Resp. Est inordinata cupiditas propriæ excellentiæ, & celsitudinis. Ejus actus sunt. 1. Inordinata sui æstimatio. 2. Finem suum ultimum in propria excellentia constituere. 3. Ab aliis velle magnificari, honorari, laudari: si non faciant, dolere, irasci. 4. Judicio proprio pertinaciter adhærere. 5. Alios, & aliena parvipendere, se, & sua pluris æstimare, vel velle videri singulariter habere, quæ possidentur. 6. Si putes te habere bona, quæ non habes, vel majora, quam habeas, aut in eo ponas excellentiam, ubi non est, & inde te extollas. 7. Si bona tua æstimes quasi ex teipso habeas, & non a Deo. 8. Si bona accepta quidem a Deo cre-

credas, sed ea æstimes tanquam meritis propriis debita, vel ea ad Dei gloriam non referas. 9. Nolle se subjicere suis Superioribus, quasi id sit indignum. 10. Nolle etiam se Deo, ejusque præceptis submittere, id æstimans quasi contrarium dignitati suæ & volens suo arbitratu vivere, quasi Deo non indigeat, aut ab eo non dependeat.

Resp. 2. Superbia ex genere suo est peccatum mortale. Constat ex Rom. 1. & Prov. 8. Et sane superbia adversatur charitati Dei, ejus honori, majestati & excellentiæ. Insuper ex Eccli. 10. & ex August. l. 2. de peccat. merit. c. 17. est radix omnis peccati. Hinc superbia perfecta, cujusmodi (18) est 2. 7. 8. 9. & 10. ex supradictis actibus, est semper culpa mortalis. Imperfecta tamen superbia, qua quis sine Dei, & aliorum contemptu, nec subjici Superioribus renuens, solum plus justo se effert agnoscendo se omnia Deo debere, est venialis; quia non est gravis inordinatio, nec graviter repugnat charitati.

Quæst. II. Quænam sunt superbiæ remedia?

Resp. Generatim sunt eadem, quæ humilitatis adjumenta, speciatim vero hæc. Sæpe humilitatem a Deo petere: sæpe considerare suum nihilum, suam effrænatam ad malum propensionem, suas miserias tum corporis, tum animæ, infirmitatem, impotentiam sine Dei gratia actuali ad quemlibet actum salutarem; item infinitam Dei excellentiam, ad quam omnia sunt instar nihili; omnia quæ habemus esse a Deo, nostra merita esse illius dona: seipsum contemnere, meditari superbiæ pœnas, & humilitatis præmia, & potissimum Christi exempla. Omnia sua bona, ac opera ad Dei gloriam referre, & crebro exercere actus internos, & externos humilitatis, & id genus alia.

Quæst. III. Quænam sint filiæ superbiæ?

Resp. Tres sunt, scilicet præsumptio, ambitio, & vana glo-

(18) Similiter superbia est mortale peccatum, 1. Quando quis cum gravi proximi contemptu vel indignatione se extollit. 2. Quando quis propriam gloriam quærit per iniquam, eamque gravem proximi depressionem, detractionem v. g. calumniam, &c. aut de aliorum excellentia & bono notabiliter tristatur. 3. Dum quis, ne solito victus & vestitus splendori quidpiam detrahat, undequaque pecuniam congerit, & debita viribus suis majora non sine gravi proximi detrimento contrahit. 4. Dum quis se veluti peritissimum in aliqua scientia vel arte exhibendo, perniciosa consilia, scripta, præcepta suggerit. 5. Denique, dum quis fictitiis quas jactat qualitatibus officia vel beneficia quæ non meretur comparat; aut ementitis divitiis uxorem reipso longe ditiorem decipit & ducit.

gloria. 1. Præsumptio, & hæc est inordinata cupiditas faciendi aliquid facultatem suam excedens. Mortalis est. 1. Ratione gravis injuriæ Dei. 2. Ratione gravis damni proprii, vel alieni, aut periculi talis damni: ut si præsumas exercere sine sufficienti peritia officium Medici, Advocati &c. 3. Cum usurpatur dignitas, vel potestas, vel officium sæculare, vel Ecclesiasticum. 2. Ambitio, (19) & est inordinata cupiditas honoris, vel dignitatis, aut potentiæ. Est autem inordinata. 1. Si appetas honorem, quem non mereris, vel majorem, quam mereris, vel ob rem, qua cares. 2. Si appetas honorem propter se, non illum referendo ad Dei gloriam, vel proximi utilitatem. 3. Si appetas honorem ex re illicita v. g. duello. 4. Si nimio affectu honorem appetas. Ambitio sæpe mortalis est, nempe vel ratione materiæ graviter malæ, vel damni gravis, quod proximo infertur, vel periculi peccati gravis, vel medii graviter illiciti, quod adhibetur, vel finis mortalis, ad quem refertur, vel affectus graviter inordinati. 3. Vanagloria, & est inordinata cupiditas humanæ existimationis, & laudis. Proprius ejus actus est inordinata manifestatio propriæ excellentiæ, sive veræ, sive fictæ. Est autem inordinata ex iisdem fontibus ex quibus inordinata est ambitio. Item est (20) mortalis eodem modo, quo dixi de ambitione. Sæpe tamen est solum venialis, quia sæpe non graviter repugnat charitati, nec gravem continet inordinationem.

Cæterum debitum honorem, gloriam &c. non propter se, sed propter honorem Dei, & proximi utilitatem acceptare, aut moderate expetere, non est peccatum, sed actus charitatis ex S. Thom. 2. 2. quæst. 133. art. 1.

Quam-

---

(19) Quamvis honores & prælaturas quærere ambitio sit; tamen detrectare, dum vel manifesta necessitas, vel Superioris præceptum urget ad acceptandum, pusillanimitas est, „ propter duo „ (ait S. Thom. 2. 2. quæst. 131. „ art. 3.) 1. Quidem quia hoc „ repugnat charitati proximo- „ rum, quorum utilitati se ali- „ quis debet exponere pro loco „ & tempore .... Secundo quia „ hoc repugnat humilitati per „ quam aliquis Superiorum man- „ datis se subjicit “.

(20) Quatuor sunt casus juxta Div. Thomam, in quibus vana-gloria est lethale peccatum. 1. Cum quis gloriatur de falso aliquo quod contrariatur divinæ reverentiæ. Sive falsum illud sit contra Deum, sive contra fidei veritatem. 2. Cum quis bonum temporale de quo gloriatur præfert Deo. 3. Cum quis præfert testimonium hominum testimonio Dei. 4. Denique „ cum quis in- „ tentionem suam refert ad glo- „ riam, tamquam ad ultimum „ finem .... pro quo consequen- „ do non prætermittit facere etiam „ ea quæ sunt contra Deum “.

Quamvis vanagloria ſit filia ſuperbiæ tamen a S. Thoma poſt S. Gregor. numeratur inter capitalia, eo quod ex ea ſeptem alia oriantur immediate, nempe inobedientia, jactantia, hypocriſis, contentio, pertinacia, diſcordia, & inventio novitatum. 4. Inobedientia, formalis ſcilicet, & ſpecialis, eſt peccatum, quo violatur præceptum ſuperioris ex contemptu, ſive quia præceptum eſt. Ex ſententia (21) communi ſemper eſt mortalis, etiam in re minima, ut diximus in Tractat. de Legibus: Violatio autem præcepti non ex contemptu, ſed ex alio motivo, puta delectatione, utilitate, aut difficultate eſt ex S. Thom. inobedientia generalis pertinens ad aliam ſpeciem peccati. Eſtque mortalis, aut venialis prout præceptum ſub mortali, aut veniali obligat, atque etiam prout motivum graviter, vel leviter malum eſt. 5. Jactantia, qua quis verbis inordinate prædicat de ſe id, quod gloriam, ac laudem apud alios parit, vel falſo parere putat, vel gloriatur de peccato. Quandoque eſt peccatum veniale, quando ſcilicet aliquis de ſe talia prædicat, quæ neque ſunt contra Deum, neque contra proximum ait S. Thom. q. 112. art. 2. Eſt vero culpa mortalis. 1. Si quis proferat aliquid contra gloriam Dei. 2. Ratione gravis ſcandali, damni, contumeliæ, vel contemptus proximi. 3. Si ſit de actione graviter mala: quia includit approbationem actus mali, quæ eandem cum illo ſpeciem habet. Hinc glorians (22) de peccato aliquo, vel illud laudans contrahit ſpeciem talis peccati.

6. Hypocriſis eſt ſimulatio virtutis, hoc eſt factum, quo quis mentitur, ſe virtutem, ſeu ſanctitatem habere, quam non habet, vel majorem, quam habet. Unde ſemper eſt pecca-

(21) Inobedientia formalis eſt peccatum, utique mortale, tanto gravius quanto ſuperior eſt qui præcipit. Ita D. Thom. 2. 2. q. 105. art. 1. qui addit, „ non „ omnem inobedientiam eſſe pec- „ catum in Spiritum Sanctum, „ ſed ſolum illam cui obſtinatio „ adhibetur: quia .... bono- „ rum illorum contemptus facit „ peccatum in Spiritum Sanctum „ quæ directe ducunt ad pœni- „ tentiam, & remiſſionem pec- „ catorum “.

(22) Propterea in confeſſione exprimendum eſt in ſpecie peccatum de quo facta eſt jactantia, Ita Lopez, Rodriguez, &c. contra Palaum, Cardinalem de Lugo &c. qui tamen fatentur exprimendam eſſe ſpeciem peccati de quo eſt jactantia, quando conjuncta fuit cum interna complacentia de illo. Confitendum quoque eſt peccatum diffamationis proximi ſi cum eo fuerit conjuncta, ut ſi quis jactaverit ſe habuiſſe rem cum femina bonæ famæ. Confitendum denique peccatum ſcandali, ſi per jactantiam tuam cauſa fuiſti peccati proximi, vel complacentiæ ipſius in illo. Ita Cardinalis de Lugo, & alii paſſim.

peccatum, saltem veniale, cum sit mendacium facti. Sed mortale est, si habeat conjunctum, vel contemptum virtutis, vel damnum proximi grave: item si simuletur sanctitas ob finem graviter repugnantem charitati Dei, & proximi v. g. ad disseminandam falsam doctrinam. Secus, erit peccatum veniale. Ita S. Thom. quæst. 111. artic. 4.

7. Pertinacia est perseverantia in propria sententia contra veritatem cognitam, vel sufficienter propositam. 8. Inventio seu præsumptio novitatum est, cum quis ex inani gloria præsumit nova excogitare. Utraque mortalis est eodem modo, quo diximus de Hypocrisi, cæterisque. De contentione, & discordia agemus in Tract. de Charit. Vanægloriæ remedia eadem sunt, quæ superbiæ, quibus adde actus oppositos vitiis, quæ ab illa oriuntur.

ARTICULUS II.

De Avaritia.

Quæst. I. QUid est avaritia, & quale peccatum?

Resp. 1. Avaritia est (23) inordinata cupiditas pecuniæ, rerumque pecunia æstimabilium, ut sunt agri, domus &c. Mortalis est 1. Cum in divitiis finis ultimus ponitur ex Ephes. 5. 2. Cum quis ad divitias acquirendas, augendas, vel conservandas adhibet media graviter illicita v. g. injuste alienum accipiendo, retinendo, eleemosynas debitas omittendo &c. ex Eccl. 10. Est peccatum capitale, quia est fons, & origo mul-

(23) Avaritia est inordinata cupiditas divitiarum quæ vel habentur, vel haberi cupiuntur. Est autem inordinata, sive relate ad proximam, cum vel nimis ab eo accipitur; vel ei satis non datur; sive relate ad nosmetipsos, cum ardentius bonis terrenis inhæremus, vel ea prosequendo, vel in iisdem complacendo.

Avaritia, seu peccatum avaritiæ, christianis omnibus, præsertim vero clericis, est pertimescendum. Ratio generalis est, quia radix malorum omnium est cupiditas. Ratio vero specialis, quia clerici arctius tenentur Christi paupertatem imitari, aliosque ab avaritiæ vitio retrahere.

Ex his infert Merbesius, eorum avaritiam esse mortalem qui tam cupide retinent sua, etiam legitime parta, ut eorum jacturam vel imminutionem neque propter Deum, neque propter proximum pati velint. 2. Qui ita opes congerunt ut nullum in iis congerendis modum statuant. 3. Qui emunt frumenta, recondunt, nec reserant horrea quin annona ad summum quo pervenire possit pretium pervenerit. 4. Qui eam quam habent scientiam salutarem proximis communicare abnuunt, cum desunt alii per quos id recte fiat.

multorum aliorum ex 1. ad Timoth. 6. Si avaritia sit absque prælatione creaturæ Deo creatori, & damno proximi est peccatum veniale: secus mortale est ex Div. Thom. 2. 2. quæst. 118. art. 4. Præcipua avaritiæ remedia sunt oratio, meditatio bonorum cælestium, periculi, ac vanitatis bonorum terrestrium, paupertatis Christi, mortis, &c. larga eleemosynarum largitio &c.

Quæst. II. Quænam sunt filiæ avaritiæ?

Ex S. Greg. sunt hæ. 1. Obduratio cordis contra misericordiam. Mortalis est, quoties ex ea præceptum eleemosynæ, vel charitatis graviter violatur. 2. Inquietudo cordis, quæ est inordinata, & anxia applicatio mentis ad acquirendas, & conservandas divitias cum inani timore, ne non acquirantur, aut ne amittantur. Mortalis est, quando retrahit a spiritualibus, vel aliis officiis, ad quæ graviter obligamur, vel cum quis divinæ providentiæ diffidit. 3. Violentia, qua res aliena per vim injustam usurpatur, Mortalis est ex genere suo contra justitiam. 4. Fallacia, sive dolus, qui est alterius deceptio sive verbis, sive factis. Et fraus, quæ est astuta deceptio proximi per sola facta. Utraque est ex genere suo mortalis contra justitiam. 5. Perfidia, qua fides in promissis, pactis, & rebus creditis violatur. Mortalis est in re gravi contra justitiam. 6. Proditio, quæ est manifestatio rei alicujus, vel personæ, in proximi damnum contra fidem ei debitam. Mortalis est ex genere suo contra charitatem, & justitiam; & contingit tripliciter. 1. Circa personam, 2. Circa res, 3. Circa secretum tuæ fidei ab alio commissum.

ARTICULUS III.

De Gula.

Quæst. I. Quid est gula, & quale peccatum?

Resp. 1. Gula est inordinatus appetitus vel usus cibi, aut potus. Sumitur aliquando strictius, pro inordinatione dumtaxat in cibo, & potu non ebriante. Ex Sanct. Gregor. 5. modis committitur. 1. Si edas ante tempus. 2. Si pretiosiora, quam conveniat tuo statui, vel necessitati. 3. Si plus justo. 4. Si voraciter. 5. Si nimis exquisite præparata.

Resp. 2. Peccatum gulæ est mortale in multis casibus. 1. Si ultimum finem in ea constituas. Idque, quamvis solum interpretative, ut cum quis ex affectu gulæ paratus est peccare mortaliter. Item cum quis nil quærit aliud, quam edendi, & bibendi voluptatem. (*) Huc spectat propositio 8. ex damnatis ab Innocent. XI. „ Comedere, „ & bi-

„ & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non „ est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite „ potest appetitus naturalis suis actibus frui. " 2. Si quis bibat ad ebrietatem. 3. Si quis ob solam voluptatem cibo, & potu usque ad vomitum scienter se ingurgitet, etiam seclusis scandalo, & ebrietate. Idem dic, si quis postquam multum comedit, ad vomitum se excitet, ut iterum ob solam voluptatem edat. 4. Ratione gravis nocumenti, quo quis ob gulam sibi, aut familiæ suæ, aut creditoribus infert. 5. Si quis, saltem extra necessitatem extremam, carne humana vescatur. Ita communiter. Nam hoc est contra honorem defunctis debitum, & contra ordinem, ac institutum rectum naturæ. Licet tamen uti carne humana in medicamentis, quia tunc sic alterata est, ut dici nequeat carnis humanæ sumptio. 6. Ratione gravis scandali, vel periculi peccandi graviter. Extra hos casus peccatum gulæ est solum veniale. S. Thom. 2. 2. quæst. 148. artic. 2.

Quæst. III. Quid est ebrietas, & quale peccatum?

Resp. Ebrietas excessus est in potu usque ad violentam privationem rationis. Est (24) peccatum mortale, ut inter omnes constat. Etenim gravis inordinatio, & difformitas est, adimere sibi potestatem proximam utendi ratione, exercendi opera virtutum, obeundi sua munera, vitandi malum, faciendi bonum, &c. Quare non licet se inebriare sive ad vitandam mortem ab altero intentatam (ita August. serm. 232. vel S. Cæsarius). Ebrietas quippe, sicut fornicatio, non est medium ex se ordinatum ad vitandam mortem. Sive in medicamentum; quod tamen raro, & fere nunquam esse potest, cum, teste Hypocrate, ebrietas sit valde periculosa corporis sanitati. Ita S. Anton. part. 2. tit. 6. cap. 3. Ebrietas enim quovis modo intentata, ac procurata semper disconvenit naturæ rationali, qua rationalis, ut patet. Neque dicas ebrietatem consistere in excessu vini, voluptatis causa. Nam quamvis voluptas in nimio potu non intendatur, tamen effectus superius

(24) Etiam illi peccant mortaliter qui semel se inebriant: quod addo, quia nonnulli putant, ebrietatem non esse mortalem, nisi sit assidua vel frequens, decepti verbis Augustini, seu potius Cæsarei hom. 8. Ubi dicit, ebrietatem esse mortalem si sit *assidua*: nam horumce verborum sensus est, ebrietatem semel commissam aliquando excusari posse a peccato mortali ob ignoratam vini fortitudinem, numquam vero posse excusari si quis in eam frequenter inciderit, ut explicat Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 150. artic. 2. ad 1.

rius recensiti semper eveniunt, & temperantia violatur, cum ad violandam aliquam virtutem necesse non sit agere ex voluptate. Et ideo SS. Patres excessum vini sine ulla exceptione semper damnarunt. Ut autem ebrietas sit mortalis, sufficit, quod sit voluntaria indirecte, vel interpretative. Quare peccat mortaliter. 1. Qui expresse non vult se inebriare, sed tamen tantum bibit quantum potest, non satis attendens, an sequatur privatio rationis, necne. 2. Qui probabiliter putans, vel suspiciens secuturam privationem rationis, si pergat bibere, vel de hoc dubitans, adhuc bibit. Item si hoc periculum advertere possit, & negligat. 3. Qui ex amicitia, vel urbanitate alium invitat ad haustus, quibus probabiliter prævidet inebriandum. Idem dic de iis, qui alios ad æquales haustus incitant, vel cogunt, aut sese invicem obligant, ex cap. 24. *de vita, & honestat. Cleric.* ex Concil. Gener. Lat. Similiter de iis, qui ebriosis, vel ebrietati proximis vinum subministrant, & de iis, qui non (25) impediunt, ne alius inebrietur, cum commode impedire possunt.

Porro ebrietas sic est peccatum grave respectu omnium, ut sit gravius in quibusdam personis, scilicet 1. In mulieribus ob turpitudinis, & luxuriæ periculum tum in se, tum in aliis. 2. In iis, qui debent ex officio alios regere, ut sunt Paterfamilias, Magistratus &c. 3. In Clericis, præsertim sacro Ordine initiatis, & maxime Curatis, tum propter scandalum majus, tum propter damna, quæ aliis oriri possunt, cum Sacerdos ebrius fungi nequeat officio in necessitate occurrente: unde a multis Conciliis

(25) Mortaliter peccant etiam illi qui ex longa multum bibendi consuetudine, vel ex pharmaci cujusdam aut pulveris usu sic constituti sunt, ut rationis usum vel nullatenus amittant, vel intra brevissimum tempus recuperent; nam sicut gravis excessus in cibo mortalis est, etsi rationem non perimat, sic & in vino.

Similiter ille quoque mortaliter peccat qui, civitatis proditionem aliter avertere non valens, proditorem inebriat, aut cooperatur ut præter intentionem se inebriet, sicut in eum finem non licet cooperari ut fatuus occidat proditorem.

Absolvendi non sunt ebriosi, nisi, contra consuetudinem istam viriliter pugnando, se emendent: idem dicendum de assuetis popinas frequentare, ob pericula in quæ se conjiciunt multipliciter peccandi, quorum occasio ut plurimum est consuetudo ista, sin in singulis qui popinas frequentant, saltem in plerisque illorum. Cum igitur existentes in proxima peccati mortalis occasione absolvendi non sint, nisi ea dimissa; consequens est popinarum frequentatores, seu frequentandi consuetudinem habentes, absolutione donandos non esse, nisi occasione illa abjecta.

ciliis sub gravibus pœnis ebrietas illis speciatim prohibita est.

Ebrietas autem perfecta cognoscitur: quando quis non novit discernere inter licitum, & illicitum, vel non potest solita officia exequi. Quando quis postridie non meminit quod dixerit, egerit, quando domum redierit &c. Si ea fecerit, quæ nunquam integra mente solet.

Quæst. IV. An mala, & peccata in ebrietate commissa imputantur ad culpam, ut cædes, vulnera, blasphemiæ &c.

Resp. Affirm. Si prævisa fuerint, ut verisimiliter secutura, vel prævideri potuerint. Est communis sententia. Et constat ex cap. 3. quæst. 4. resp. 2. Videatur S. Thom. 1. 2. quæst. 77. art. 7. Immo peccata, quæ probabiliter secutura novit ebrius, vel prævidere potuit, ei imputantur coram Deo, etiamsi reipsa post non sequantur, quia istud est per accidens defectu objecti. His adde rationem periculi probabilis peccandi mortaliter in præcedentibus quæstionibus toties decantatam.

Quæst. V. Quænam sunt filiæ gulæ.

Resp. ex S. Greg. hæ sunt ex parte animæ. 1. Stupiditas mentis orta ex crapula. Est mortalis, quando quis ex intemperantia fit ineptus ad intelligenda, vel præstanda ea, quæ ad salutem ei sunt necessaria, aut ad quæ graviter obligatur, ex Luc. 21. 11. 2. Inepta lætitia, quæ movet ad cantiones obscœnas, choreas inhonestas &c. Mortalis est quando est inductiva ad consensum, vel actum, vel delectationem mortalem, aut ad aliquid scandalum pariens. 3. Multiloquium, in quo invenitur stultitia, nec deerit peccatum. Prov. 10. 4. Scurrilitas, quæ excitat ad indecora, vel turpia agenda, aut dicenda, risus movendi causa.

CAPUT QUARTUM.

De Luxuria.

Quæst. I. Quid est luxuria?

Resp. Est inordinatus appetitus, vel usus venereorum, aut voluptatis venereæ. Esse peccatum mortale ex genere suo inter omnes constat; ita aperte declarante Apost. ad Gal. 5. Et sane cum usus rei venereæ ex natura sua sit institutus, ac necessarius ad conservationem, ac propagationem generis humani, censetur res gravis: unde inordinatio in hac materia est in

re gra-

re gravi, ideoque mortalis. Luxuria dividitur in perfectam, seu consummatam, quæ consistit in voluntaria seminis effusione; & in non consummatam, in qua non intervenit talis effusio. Consummata duplex est: alia naturalis, quæ est voluntaria seminis effusio, in qua conservantur conditiones, quas postulat natura actus ad hominis generationem requisiti: alia innaturalis, seu contra naturam, in qua conditiones illæ non servantur.

Quæst. II. Quæ sunt species luxuriæ consummatæ naturalis?

Resp. Sex, nempe simplex fornicatio, stuprum, raptus, adulterium, incestus, & sacrilegium. Simplex fornicatio est copula soluti cum soluta non virgine ex mutuo consensu extra matrimonium. Solutos voco, qui nullo vinculo, seu impedimento ab ineundo inter se conjugio prohibentur. Fornicationem esse semper per se peccatum mortale fide constat ex Ephes. 5. 1. ad Cor. 6. &c. Esse vero intrinsece malam graviter, patet ex eo quod per se graviter repugnet bonæ, ac debitæ educationi proli. Unde ejusmodi inordinatio est gravis, utpote in re magni momenti, qualis est bona prolis institutio. Unde Innoc. XI. damnavit hanc propositionem: „ Tam clarum videtur, „ fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, „ & solum esse malam, quia interdictam, ut contrarium „ omnino rationi dissonum videatur. " Cæterum (26) fornicatio cum concubina est cæteris gravior, quia concubinatu homo non solum peccat, sed etiam manet in statu peccati, & continua voluntate, saltem virtuali, peccandi. Quare concubinarius, etiamsi mors immineat, absolvi non debet, quin prius concubinam ejecerit, nisi ejiciendi tempus desit, tunc enim sufficit verum ejiciendi propositum. Immo etiamsi eam domi non retineat, extra mortis articulum non est absolvendus, antequam habeatur experientia de ejus continentia.

Item fornicatio fidelis cum infideli est secundum omnes gravior, quam cum catholica ob periculum religionis catholicæ amittendæ ob nimium amorem erga infidelem: proindeque talis fornicatio est non solum contra castitatem, sed etiam contra virtutem Religionis, & cultus veri Dei.

---

(26) Fornicatio cum concubina est gravior etiam fornicatione quæ fit cum meretrice, licet fornicatio ista sit gravior illa quæ committitur cum alia femina soluta. Ratio est quia maris & feminæ commixtio ex naturali institutione ordinatur in primis ad prolis generationem quæ impeditur per fornicationem cum meretrice.

ri Dei. Item fornicatio in Christianis habet peculiarem deformitatem. Nam corpora nostra per Baptismum, & Eucharistiam facta sunt membra Christi, & templa Spiritus Sancti, 1. Cor. 6. Copula vero cum alterius sponsa, præter luxuriam, continet malitiam mortalem injustitiæ, positam in eo, quod fides data violetur, & res alteri promissa, & ex justitia debita notabiliter corrumpatur: idemque ob eamdem rationem multi affirmant de sponso.

Stuprum (27) est concubitus, quo mulier vigo extra matrimonium defloratur, seu corrumpitur. Qui si fiat virgine coacta, vel per dolum, seu fraudem seducta præter malitiam fornicationis continet duplicem injuriam mortalem, unam factam virgini, cui honor virginitatis per fraudem adimitur; alteram ejus patri, in cujus custodia manet. Quodsi nec invita, sed seducta fuerit, tamen ejus defloratio præter malitiam fornicationis, continet tum injuriam illatam parentibus, qui jus habent tuendi integritatem corporalem suæ virginis, donec nuptui collocetur ex Eccli. 7. Tum malitiam contra pietatem illis debitam, præbendo iis gravissimam mœstitiæ, & ignominiæ causam, & ob periculum augendi dotem, vel innuptam retinendi filiam. Item constituit feminam in gravi periculo deinceps peccandi, & aufert signaculum virginitatis, cui multiplici malitiæ cooperatur stuprator. Quare circumstantia defloratæ virginitatis feminæ, etiam absque vi, & dolo, debet in confessione exprimi, ex S. Thom. 2. 2. quæst. 354. art. 6. Porro (28) est etiam stupri species, cum

(27) Stuprum dicitur 1. *Defloratio*, seu virginalis claustri per primam carnalem copulam corruptio extra matrimonium. 2. *Virginis*, quo nomine intelligitur persona omnis quæ necdum ullam cum altera copulam habuit; atque etiam ea quæ jam se per mollitiem polluisset, aut turpibus desideriis consensisset. 3. *Virginis præsertim invitæ*, triplex enim a quibusdam distinguitur stuprum. Simplex quod fit consentiente virgine ad id blanditiis, promissis, datisve muneribus inducta. *Qualificatum*, cui accedit circumstantia malitiam criminis aggravans, ut si tutor pupillam defloret. *Violentum*, cum virgo per vim opprimitur: atque istud stuprum civili jure & omni fere locorum usu plectitur pœna capitali.

(28) Quapropter circumstantia vis illatæ in confessione est aperienda. Sed Theologorum vulgus cum Sylvio in 1. 2. q. 77. art. 7. negat, mulierem, quæ cum aliquo hactenus virgine rem habuit, sollicitata potius quam sollicitans, teneri circumstantiam hanc aperire: quia vir primam fornicationem committens nihil amittit quod paternæ custodiæ sit specialiter commissum. Sed ambigit Petrus Collet, assignatamque rationem refellit.

Denique stupri quadantenus rei sunt nebulones illi qui condiscipulos adhuc nescios mali alliciunt ad mollitiem quasi ad actum

cum adolescens virgo a muliere vi, aut dolo pertrahitur. Nam tunc est illicita, ac violenta virginis defloratio.

Raptus (29) est, cum persona aliqua per vim abducitur ab uno loco in alium, concubitus illiciti, vel alterius libidinis, aut etiam matrimonii causa, sive sit mas, sive femina, nupta, aut innupta, virgo, aut corrupta, sive vis inferatur soli personæ abductæ, sive parentibus solis, sive utrisque. Unde (30) duplicem continet malitiam mortalem, unam contra castitatem, alteram contra justitiam, ob injuriam illatam personæ abductæ invitæ, vel saltem ejus parentibus, aut tutoribus. Gravissimæ pœnæ in utroque jure contra raptores constituuntur.

Adulterium est concubitus personarum, quarum alterutra, vel utraque conjuncta est matrimonio cum alia tertia. Præter malitiam gravem luxuriæ continet gravem injuriam, tum contra conjugem: nam vir non habet potestatem corporis sui, sed uxor, & vice versa, 1. ad Cor. 7, tum contra matrimonii statum, & sanctitatem. Unde speciali-

---

actum indifferentem: quia virginitatis decus excutiunt incautæ ætati, & ad luxuriam eos excitant.

(29) Raptus idem est aliquando quod stuprum violentum; aliquando vero est diversum. Est idem, cum persona aliqua carnaliter cognoscitur per vim illatam ipsi, vel parentibus aut tutoribus sub quorum est potestate, vel utrisque; vel cum ad eum finem alio abducitur. Est vero diversus, cum persona quæ rapitur est vidua, vel puella corrupta. Ita S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 7. ex quo apparet; ad contrahendam malitiam specialem raptus, a S. Doctore solum requiri violentiam, sive virgini, sive corruptæ illatam, non vero abductionem de loco in locum; quam certe nec ad raptum universim requirunt Canones, etiam in foro externo, & in ordine ad incurrendas pœnas raptoribus impositas; cap. 3. *De Raptor.* 36. quæst. 1.

Quapropter etsi ad raptum specialiter dictum requiratur abductio de loco ad locum; ad raptum tamen, ut constituit speciem luxuriæ, solum requiritur quod per vim femina cognoscatur.

(30) Et hæc malitia in confessione aperienda est, ut patet. Porro inter feminarum raptus gravissimum peccatum est raptus sanctimonialis, deinde ejus quæ per simplex castitatis votum dicata est Deo, postea consanguineæ vel affinis; demum conjugatæ, virginis, viduæ, & meretricis. Ita Sylvius qui addit multo plus peccatum iri, si masculus masculum, feminam femina nefariæ libidinis intuitu raperet.

Denique raptor censendus est sponsus qui uxorem suam primo bimestri de amplectenda religione deliberantem vi abducit ad consummandum matrimonium: quia vi abducere eam, quæ jure suo utitur habet rationem raptus: quæ tamen sic rapta est, poterit adhuc religionem amplecti, invito marito, qui aliam, vivente illa, uxorem ducere non poterit.

cialiter prohibetur a Deo. Quod si conjux adulterantis consentiat, adhuc concubitus erit contra justitiam: Quia est semper contra jus conjugii, & conjugis, ut conjux est, cui cedere valide non potest, cum ei competat non ad bonum privatum, sed ratione status, qui communis est. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propositionem: " Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum." Triplex est adulterium. Nam vel est copula conjugati cum soluta, vel soluti cum conjugata, vel conjugati cum conjugata. Si femina sit conjugata gravius est peccatum, quam si vir tantum propter incertitudinem prolis, suppositionem prolis alienæ cum damno mariti, & veri hæredis, & sæpe impedimentum generationis. Unde hæc circumstantia declarari debet etiam ab adultero, quia ipse cooperatur ad dicta incommoda. Si vero uterque est conjugatus, adhuc gravius est, quia est duplex adulterium, & duæ injuriæ mortales in utriusque conjugem exprimendæ in confessione.

Incestus est (31) copula personarum consanguinearum, vel affinium intra gradum prohibitum. Opponitur castitati, & pietati, quemadmodum de stupro dictum est. Eo gravius scelus est, quo gradus est propinquior, qui proinde in confessione exprimi debet. Item multo gravior est incestus cum consanguinea, quam affine v. g. cum sorore propria, quam cum sorore uxoris: nam consanguinitatis propinquitas, utpote immediata, & naturalis major est propinquitate affinitatis, quæ est dumtaxat mediata, & voluntaria. Immo (32) incestus in consanguinitate differt spe-

(31) Non solum copula, verum etiam tactus impudici, oscula, & aspectus inter personas consanguineas vel affines participant rationem incestus quasi qui inducunt malitiam actus principalis ad quem ordinantur. Rursus quia etiam adoptio parit quamdam cognationem, ideo tales actus etiam inter personas hac cognatione conjunctas incestuosi sunt. Quapropter hæc incestus definitio, cum comprehendat omnia quæ sub incestu continentur, melior videtur: " incestus est peccatum luxuriæ cum persona cognata vel affine inter gradus prohibitos".

(32) Non solum incestus in consanguinitate differt specie ab incestu in affinitate: verum etiam intra eamdem lineam ejusdem incestus, v. g. intra eamdem lineam incestus in consanguinitate distingui videntur plures incestus specie diversi. Nam incestus cum matre esse videtur diversæ rationis ab incestu cum filia, ob specialem reverentiam parentibus debitam tamquam principiis nostræ vitæ. Quam ob causam incestus descendentium cum iis a quibus descendunt diversæ rationis esse videntur ab incestu descendentis cum descendente. Denique quo proximior est gradus consanguinitatis

ſpecie ab inceſtu in affinitate: nam reverentia debita conſanguineis, quæ violatur, eſt notabiliter diverſa a reverentia affinibus debita, cum habeat motivum notabiliter diverſum, nempe communionem ſanguinis, & originem ab eodem ſtipite. Inceſtus vero ſpiritualis, qui eſt copula illicita inter perſonas impeditas ob cognationem ſpiritualem ortam ex baptiſmo, vel confirmatione, continet tum malitiam propriam inceſtus, tum malitiam ſacrilegii, cum tale impedimentum poſitum ſit ab Eccleſia propter reverentiam debitam Sacramento. Unde debet explicari cognatio ſpiritualis in ſpecie, ut innoteſcat utraque malitia.

Sacrilegium venereum eſt violatio rei ſacræ per actum luxuriæ. Unde duplicem continet malitiam mortalem; unam contra caſtitatem, & alteram contra religionem. Res autem ſacræ, quæ ſic violari ſolent, ſunt perſona (33) voto caſtitatis etiam ſimplici obſtricta, & locus ſacer. Quare ſacrilegium eſt omnis actus tum externus, tum etiam internus luxuriæ, ſive conſummatæ, ſive non conſummatæ a perſona caſtitatis voto obſtricta, vel ab alia cum illa, aut circa illam commiſſus. Quod ſi utraque perſona ſit ſacra, erit duplex ſacrilegium. Item (34) omnis actus

---

tis vel affinitatis tanto gravior eſt inceſtus, ideoque in confeſſione explicandus eſt ſaltem primus vel ſecundus gradus, licet nonnullis idem non videatur de tertio & quarto.

(33) Ratione hujus circumſtantiæ ſacrilegium eſt gravius quo magis Deo dicata eſt perſona quæ caſtitatem lædit: unde gravius ſacrilegium eſt violatio voti ſolemnis quam ſimplicis: gravius, luxuria Sacerdotis, Diaconi, vel Subdiaconi Religioſi, quam Sacerdotis, &c. non Religioſi; quia per priorem ſaltem duplex conſecratio violatur, altera in profeſſione ſolemni, altera in receptione Ordinis ſacri; per poſteriorem vero una tantum.

Similiter ſacrilegium committit homo ligatus voto caſtitatis qui alium non ligatum conſilio vel auxilio inducit ad peccandum contra caſtitatem: quia caſtitas interdicit ipſi ſollicitare alium ad luxuriam, perinde ac ſeipſum.

(34) Item etiam aſpectus impudici, & verba turpia in loco ſacro prolata, & carnalia deſideria actus venerei etiam extra locum ſacrum exercendi videntur eſſe ſacrilegia: quia ab omnibus iſtis, utpote vere ad impudicitiam pertinentibus, prohibet loci ſacri reverentia.

Etiam circumſtantiæ, *quibus auxiliis & quando* actionem veneream ſacrilegam reddere poſſunt: illa quidem, ut ſi Confeſſarius abutatur adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ ad negotium ſuæ libidinis, aut verbis & ſententiis S. Scripturæ ad provocandum pœnitentem ut ſuæ libidini conſentiat; ex iſta vero, peccata venerea, præſertim graviora, diebus dominicis, ac feſtis perpetrata ſacrilegii malitiam contrahunt, ratione temporis ſacri per ea violati. Quod & dicendum videtur de fornicatione & pollutione commiſſa ipſo die ſumpti ſacratiſſimi Corporis Chriſti.

actus venereus illicitus exterior, etiam occultus in loco sacro, nempe in Ecclesia, vel Cœmeterio. Item copula conjugalis, etiam occulta, quam non permittit sanctitas loci, & quæ in ejus reverentiam ab Ecclesia prohibetur. Porro tanto gravius est sacrilegium, quanto fœdior est luxuria; quia tanto magis repugnat reverentiæ debitæ rebus sacris. Peccatum luxuriæ Confessarii cum pœnitente continet malitiam duplicis sacrilegii, tum contra votum castitatis, tum contra reverentiam Sacramenti. Immo licet tale peccatum non sit proprie incestus, quia non contrahitur cognatio spiritualis, nisi ex Baptismo, & Confirmatione, cap. 3. *de cognat. spirit. in 6.* tamen habet etiam malitiam tamquam incestus spiritualis: nam est incestus quidam similitudinarius, ex cap. *Non debet* 30. q. 1. & ex cap. *Omnes* eod. nec non ex D. Thom. in 4. dist. 42. quæst. 1. art. 2. ad 8. Hinc circumstantia hæc in confessione exprimi debet.

Quæst. III. Quænam sunt species luxuriæ consummatæ contra naturam?

Resp. Sunt sequentes, 1. Mollities, seu pollutio proprie sumpta, quæ est voluntaria seminis effusio sine ullo concubitu; sive illud foras effundatur, ut in maribus, sive intus diffluat in matricem, ut in feminis. 2. Inordinatus concumbendi modus, quo semen extra vas effunditur, aut effundendi periculum infertur, est peccatum mortale, cum repugnet generationi, & quidem gravius pollutione, cum ei superaddat inordinatum congressum. Quod si debitus modus non servetur, sed vir succumbat, vel averse accedat more pecorum, vel a latere stet, aut sedeat, tunc, modo diligenter avertatur dictum periculum, juxta communem sententiam non est peccatum per se mortale, sed veniale grave, nec contra, sed præter naturam. Dico *per se*, quia potest esse plerumque signum concupiscentiæ mortalis, cum fit ex sola libidine sine causa, ut dicit S. Thom. Sed nullum erit peccatum, si hoc fiat ex necessitate, cum scilicet ob indispositionem alterutrius corporis conjuges non possunt servare modum ordinarium, modo diligenter avertatur periculum effusionis extra vas.

III. Sodomia imperfecta, quæ est commixtio maris cum femina, non servatis debitis organis, seu instrumentis naturalibus.

IV. Sodomia perfecta, quæ est commixtio duorum ejusdem sexus, ut maris cum mare, & feminæ cum femina. Præter malitiam mortalem graviorem pollutione potest habere alias adjunctas, ut adulterii, si fiat ex persona conjugata, vel cum illa, sacrilegii si cum sacra, in-

cestus si cum consanguinea, aut affini &c. Debet (35) autem pœnitens explicare in confessione, an fuerit agens, vel patiens, quia ex parte agentis intervenit pollutio propria, quæ forte non intervenit ex parte patientis (quamvis plerumque interveniat utrimque: & cum hic intervenisse noscitur, exprimi debet.) Nam diversa sunt peccata voluntarie pollui, & solum cooperari pollutioni alterius. Hæc sodomia est diversæ speciei ab imperfecta, ut patet.

V. Bestialitas, (36) quæ est coitus cum bestia, sive ejusdem, sive diversi sexus, est scelus cæteris gravius, ut per se constat. Ad hoc revocatur congressus cum dæmone in forma hominis, vel bruti, qui præter malitiam luxuriæ contra naturam, est etiam contra virtutem Religionis propter commercium, & societatem cum capitali hoste Dei. Porro hæc omnia peccata inter se specie differunt, ut constat ex dictis. Hinc Alexand. VII. damnavit hanc propositionem: „ Mollities, sodomia, & bestia-„ litas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque „ sufficit dicere in Confessione se procurasse pollutio-„ nem. "

Quæst. IV. An pollutio voluntaria est per se semper peccatum mortale?

Resp. Affirm. Ita omnes ex 1. ad Cor. 6. Ephes. 5. & alibi. Et sane talis pollutio graviter repugnat generationi, & propagationi generis humani, ad quam ex natura sua ordinatum est semen humanum. Hinc Innocent. XI. damna-

(35) Dum persona conjugata peccatum illud committit, in confessione conjugii sui statum exprimere debet, ob injuriam magnam per illud suo conjugio & conjugi illatam: & idem est proportionaliter dum consanguinei, vel affines illud inter se committunt; dum etiam femina virgo cum femina illud committere non erubescit. Item in confessione exprimendum quoque est, an fuerit sodomia perfecta, idest inter personas ejusdem sexus, an imperfecta, ob differentiam specificam utriusque, ut ab Auctore dicitur.

(36) In bestialitatis confessione, quæ locorum Ordinariis communiter reservatur, necesse non est dicere cum qua bestia: sed omnino exprimendum, si cum dæmone, ob nimis horribilem immanitatem & irreligiositatem quæ (præter bestialitatem) est in ista horribili societate.

Concubitus cum femina mortua est plusquam mollities; cum ei super addat malitiam contra pietatem & reverentiam corporibus christianorum mortuorum debitam. Forte participat aliquid de bestialitate, licet non totam rationem illius. Ut plurimum participare videtur malitiam affectus ad corpus repræsentatum ut vivum, adeoque malitiam incestus, si sit corpus cognatæ, sacrilegii, si sit corpus monialis, &c.

damnavit hanc propositionem : „ Mollities jure naturæ „ prohibita non est : unde si Deus eam non interdixisset, „ sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali : " Quare secundum communem Doctorum sententiam nullo casu, etsi non voluptatis, sed solius mortis vitandæ causa, licet in se, vel in alio quovis modo pollutionem voluntarie procurare, admittere, vel intendere, aut aliquid sumere ea intentione, ut etiam in somno accidat ob dictam paulo ante rationem. Porro de distillatione, quæ est fluxus humoris, quasi medii inter urinam, & semen idem sentiendum, quod de pollutione, si fiat cum sensu delectationis venereæ. Secus est, si sine tali delectatione fiat. Dixi *voluntaria*, quia si voluntaria non sit nec in se, nec in causa, ut sæpe fit in somno, vel quando ex causis naturalibus licitis oritur, non est peccatum, secluso consensu in delectationem. At si ante directe procurata est, vel si post somnum in evigilatione cum plena advertentia placuit ob delectationem veneream, mortalis est. Alias non est peccatum, nisi indirecte procurata fuerit in excessu cibi, vel potus. Ita S. Thom. in 4. dist. 9. art. 4. Quod si (ut multi docent) licet evigilanti non impedire, sed permittere absolvi pollutionem jam in somno cœptam (modo absit periculum consensus in delectationem veneream, ad quod opus est oratione) quia, inquiunt, est mere pati ex necessitate, non autem procurare seminis effusionem; tunc saltem est obligatio reprimendi delectationem per positivam displicentiam internam, nam non licet se habere indifferenter ad illam. Certo autem peccat, qui expergefactus promovet pollutionem in somno cœptam, addendo conatum. Immo dum pollutio naturaliter fluere sentitur, quovis tempore tenemur eam cohibere; alioqui displicentia interna, quam tenemur de venerea delectatione elicere, non est efficax.

Sed pollutio præter propriam malitiam, habet aliam in confessione exprimendam, petitam vel ex qualitate personæ se polluentis, si est sacra, vel conjugata: vel ex affectu ad aliam, cum qua desideratur concubitus, quæ si sit soluta, malitiam habet fornicationis, si sacra &c. vel ex modo, quo se polluit, si nempe fiat per tactus mutuos cum illa persona: nam hæc circumstantia pertinet ad speciem sodomiæ si ambo sint ejusdem sexus; idemque dic de aliis luxuriæ peccatis.

Sed an licet desiderare pollutionem in somno contingentem, ut natura levetur, seu sanetur; non intendendo pollutionem ipsam, nec delectationem veneream, nec aliquid adhibendo, ut pollutio in somno sequatur?

Resp. Azor cum aliis negat, quia pollutio est mala ex obje-

objecto suo, & natura. Affirmant alii cum S. Antonino 2. p. tit. 6. cap. 5. Ratio, quam affert Sanchez est, quia talis pollutio non procurata, sed via naturali proveniens, nullatenus est actus hominis, nec ejus voluntati subjectus, sed actus quidam, & evacuatio naturalis, sicut sudor. Secus de homicidio, & fornicatione. Item controversia est, utrum liceat de pollutione in somno inculpabiliter eveniente gaudere, præcise ob levamen naturæ, & salutem corporis: quamvis consentiant omnes licitum esse gaudere de bono effectu illo ex ea orto. Partem affirmantem citat S. Thom. in 5. distinct. 9. artic. 4. q. 1. ad 5.

Quæst. V. An est peccatum ponere actionem, ex qua prævidetur secutura pollutio, vel delectatio venerea?

Resp. 1. Est mortale ponere sine urgenti necessitate actionem, ex qua, tamquam causa proxima, prævidetur secutura pollutio, vel delectatio venerea, quamvis neutra aliunde intendatur, immo adsit propositum illos motus comprimendi, cum insurgunt. Nam lex naturalis obligans ad non procurandam pollutionem simul obligat graviter ad vitandas, & auferendas causas horum motuum proxime excitativas, & per se in illos notabiliter influentes, ubi abest necessitas tales causas honestans. Causæ autem, seu dispositiones proximæ sunt actiones, quæ per se sunt turpes, & natæ excitare motus venereos, & turpitudinis speciem habent, nisi propriæ, vel alienæ necessitatis titulo honestentur, ut aspectus, & tactus partium pudendarum proprii, vel alieni corporis, præsertim diversi sexus; lectio, auditio, locutio rerum valde obscœnarum &c. quamvis ex sola curiositate fiat. Dixi *sine necessitate*: nam aspectus, tactus partium pudendarum alterius corporis ob necessitatem medendi non est peccatum, secluso affectu pravo, & periculoso consensus in delectationem veneream. Unde in tali casu pollutio secuta non censetur voluntaria in causa, sed solum permissa, quia adest justa ratio ponendi illam; & prosequenti jus suum non imputatur effectus præter intentionem.

Resp. 2. Ex communi sententia non est mortale contra castitatem ponere actionem, ex qua tamquam causa, seu dispositione remota, & per accidens prævidetur secutura pollutio, vel delectatio venerea, modo neutra intendatur, & absit periculum consensus. Quia cum illi motus facillime, & frequenter insurgant naturaliter, in æstimatione prudenti non censentur sufficienter voluntarii in causa remota, ut imputentur illam ponenti ex alio fine, sed a sola natura oriri censentur: alioqui homo teneretur abstinere a multis actionibus liberis, & necessariis, ne illos

motus

motus experiretur. Nec causæ illæ remotæ censentur moraliter illorum causæ. Sanchez tamen ex communi docet tales causas sine justa ratione ponere esse veniale, etiam contra castitatem, quod sine utilitate honesta cogente ponatur causa remota, & per accidens motuum castitati inimicorum. Causæ autem remotæ, & per accidens horum motuum eæ, quæ vel per se honestæ sunt, ut auditio Confessionum; vel indifferentes, ut equitatio, esus calidorum, studium medicinæ &c. Quod si esset periculum probabile consentiendi in delectationem veneream (ut si pluries quis in tali occasione consenserit) tunc is ex communi sententia tenetur ab illa actione quantumvis honesta, & utili abstinere.

Quæst. VI. An est semper peccatum non expellere cogitationes de rebus venereis, sed in illis immorari?

Resp. Qui immoratur cum plena advertentia in cogitatione de rebus venereis, si adsit delactatio venerea, quæ non reprimatur, vel periculum consensus in illam, aut in rem cogitatam, peccat mortaliter ratione talis delectationis, vel periculi: venialiter vero, si advertentia sit solum imperfecta, ac semiplena, qualis est in semidormiente. Qui autem de talibus rebus cogitat ex justa causa, puta confessionis, aut medicinæ recte exercendæ, non peccat, secluso periculo consensus. Patet ex prædictis. Erit autem venialis culpa, si hoc ex mera curiositate fiat, seclusis jam delectatione venerea, aut consensus periculo.

Quæst. VII. Quænam sunt peccata luxuriæ non consummatæ?

Delectatio morosa est delectatio post sufficientem advertentiam admissa, seu approbata, etiamsi unico instanti. Dicitur enim morosa, non a mora temporis, quo durat; sed voluntatis post sufficientem advertentiam eam acceptantis, aut non repellentis. Porro triplex est delectatio, spiritualis scilicet, quæ in sola voluntate residet, quæ si sit de actu mortali, est mortalis, & speciem sumit ab illo, ut ab objecto: mere sensibilis, quæ oritur ex proportione, & conformitate rei sensibilis cum organo sensus sine ulla commotione spirituum genitalium circa partes venereas: qualis est ex. gr. quæ percipitur ex tactu rei blandæ, ex gustu, musica &c. & venerea, quæ sumitur circa partes venereas ex commotione spirituum genitalium.

Resp. Omnis delectatio deliberata venerea, vel minima, extra conjugium quæsita, vel admissa est mortale peccatum. Est communis sententia Doctorum huic fundamento innixa, quod omnis actus ad voluntariam seminis effu-

effusionem tendens extra conjugium, aut inductiva periculi talis effusionis est peccatum mortale: cum dispositio sumat speciem, ac malitiam moralem a forma, ad quam disponit, motus a termino ad quem tendit, medium a fine, causa a suo effectu, & periculum proximum mortale sit culpa mortalis. Talis est omnis prædicta delectatio, ut testantur Arist. Galenus, & Hypocrat. & medici ex una parte, ex altera omnes omnino Doctores.

Quæst. IX. An peccat mortaliter, qui post sufficientem advertentiam negative se habet ad delectationem veneream, eam neque approbando, neque reprimendo?

Resp. Affirm. Nam tales motus sunt ex objecto graviter inordinati, cum juxta omnes sit mortale illis positive consentire: item sunt ex natura sua dispositiones proximæ ad mortale opus, ad quod valde pertrahunt, & alliciunt appetitum, quod sine mortali culpa esse non potest. Mitto fundamenta superius adducta. Legatur S. Thom. 1. 2. quæst. 74. art. 6. cui Theologi reliqui communiter consentiunt. Concludamus ergo voluntatem teneri ad positive reprimendos motus illicitos delectationis, & sensualitatis, saltem per actum displicentiæ. Immo sola displicentia non sufficit, sed illi motus prorsus expellendi sunt, præsertim deserendo actionem, quæ eos excitat, nisi justa obest causa, videlicet, nisi sit probabilis timor, ne ex majore resistentia augeantur, aut illis depulsis graviores insurgant, vel si ad illos motus expellendos dimittenda esset actio honesta necessaria, vel utilis v. g. auditio confessionum: & ratio est, quia tunc sola displicentia non videtur satis sincera, cum vix discerni possit, utrum sit vera displicentia, an fallacia voluntatis sibi imponentis, & illis motibus frui volentis. Porro medium aptissimum compescendi motus illos est mentem statim alio avertere, & si perseverent, orare, signo Crucis se munire, cogitare de passione Christi, de igne æterno, morte, &c. interdum de re indifferenti, quod animum a tali objecto avocet.

Quæst. X. An delectatio morosa de actu luxuriæ v. g. copula cogitata, contrahit non solum malitiam substantiæ operis, sed etiam circumstantiarum ei annexarum, & speciem mutantium?

Resp. Affirm. Quia talis delectatio versatur circa opus, ut cogitatum: unde illius objectum est id omne, quod cognoscitur. Actus autem sumunt speciem, ac malitiam a toto objecto suo. Hinc simplex delectatio deliberata de copula cogitata cum conjugata, vel consanguinea pertinet ad speciem adulterii, vel incestus.

Quæst. XI.

Quæſt. XI. An oſcula, aſpectus, tactus impudici ſunt culpa mortalis in non conjugatis.

Reſp. 1. Affirm. Si hæc omnia extra conjugium fiant ob delectationem veneream, quæ poteſt ex illis ſequi, etiam ibi ſiſtendo. Idem dic de amplexibus, oſculis tactibus partium etiam honeſtarum, ut faciei, manus, & de tactu partium proprii corporis. Eſt communis ſententia, cum delectatio venerea, vel minima parvitatem materiæ non admittat, & ex ſe tendat ad ſeminis effuſionem. Hinc (ut docet S. Antoninus) eſt etiam mortale permittere ſe tangi, etiam in facie, vel manu, ab eo, qui noſcitur ad id moveri amore libidinoſo, quia eſt cooperari, & conſentire alterius culpæ mortali.

Reſp. 2. Tactus partium pudendarum, aut pudendis proximarum corporis ejuſdem, vel diverſi ſexus, ſunt mortales, ſi fiant, vel admittantur ſine neceſſitate medendi, etſi non ob delectationem veneream, ſed ex ſola curioſitate, vel joco. Ita communiter. Quia hi tactus ex ſe ſunt cauſa proxima delectationis venereæ, immo ſuapte natura ad effuſionem ſeminis referuntur, atque ſub nomine impudicitiæ comprehenduntur. Hinc tenetur quiſque, quantum poteſt omnino talia impedire in ſe, & illis reſiſtere, cum ſint intrinſece mala. Item mortale eſt propria pudenda ſine neceſſitate tangere, ſi delectatio venerea ex eo tactu ſequatur, & prævideatur: ſecus, ſi tactus ille ex curioſitate, & levitate fiat abſque libidine, ac delectationis, vel pollutionis periculo. Hoc tamen non omnino vacat periculo, & peccato. Ita Sanchez.

Reſp. 3. Aſpectus partium pudendarum alterius ſexus, item concubitus viri cum femina, quamvis non animo libidinoſo, ſed ex ſola curioſitate, vel levitate eſt mortalis. Patet. Aſpectus vero pudendarum ejuſdem ſexus, vel proprii corporis, aut coitus (37) animalium ex ſola curioſitate, vel levitate, ſecluſis affectu venereo, ſcandalo, & periculo pollutionis, & delectationis venereæ juxta multos eſt ſolum venialis; quia nec graviter honeſtati adverſatur, nec adeo ad luxuriam per ſe incitat.

Reſp. 4. Amplexus, tactus, & oſcula etiam in partibus honeſtis ob ſolam delectationem mere ſenſibilem, & nondum actu veneream ſunt culpa mortalis inter perſonas diverſi

(37) Excuſari non poteſt a mortali qui canem aut felem agitaret uſque ad effuſionem ſeminis, ob grave perverſionis periculum. At ſecus eſſet de illo, qui ex vera neceſſitate animalia vitæ neceſſaria mere ad propagationem conjungeret, modo quidquid inde oriretur commotionis aut delectationis compeſcere niteretur.

versi sexus libidinis capaces, saltem si fiant cum mora, & repetitione, quamvis non intendatur expresse delectatio venerea. Patet ex prædictis. Hinc Alexand. VII. damnavit hanc propositionem: „ Est probabilis opinio, „ quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob de„ lectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo ori„ tur, secluso consensus ulterioris, & pollutionis peri„ culo. “

Resp. 5. Amplexus, (38) contactus manuum, oscula in facie, si juxta morem patriæ fiant urbanitatis, ac benevolentiæ honestæ causa, non sunt peccata per se, quia non sunt impudica. Ita communiter cum S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 4. Si vero fiant ex aliqua vanitate, joco, levitate, petulantia veniali juxta multos sunt solum venialia, supposita jam dicta exclusione periculi &c. Si autem sine causa exercita longiora sint, aut crebro fiant inter personas libidinis capaces, sunt mortalia, ut patet ex præcedentibus.

Oscula, amplexus ob delectationem veneream, tactus, & aspectus impudici mortales supradicti ex communi sententia sunt ejusdem speciei mortalis, ac actus consummatus, seu concubitus, ad quem suapte natura referuntur, quamvis hic non intendatur. Patet ex resp. ad q. VIII. cæterisque præcedentibus.

Quæst. XII. Quare peccatum est loqui, canere, legere, vel audire turpia, & obscœna? Est mortale, si fiat extra conjugium ob delectationem veneream, aut cum probabili periculo illius vel in se, vel in aliis, aut cum animo se oblectandi rebus illis. Constat ex q. VIII.

Resp. 1. &c. Secluso autem omni affectu venereo, & peri-

(38) Oscula juxta morem patriæ urbanitatis, aut benevolentiæ honestæ causa facta licita sunt, etiamsi, dum dantur & recipiuntur, sentiantur motus sensualitatis & delectationis venereæ, dummodo subsit causa, & voluntas in hujusmodi motus & delectationem non consentiat. Si vero femina advertat, eum a quo tangitur & osculatur secundum loci consuetudinem & sub honestatis titulo, reipsa libidinoso erga eam affectu moveri; tunc, si tactus sit de se impudicus, tenetur se retrahere, & impedire tactum, quin & clamare, deficiente ei alia via, si in occulto id fiat; ne cooperetur ad actum per se malum, sibique maxime periculosum. Si vero tactus nihil habeat impudici de se, tunc, si aliqui sint præsentes, dissimulare potest, cum subest periculum ne pravam adstantium animis ingerat de proximo suspicionem. Si nulli adsint, aut si adsint aliqui, sed citra periculum scandali possit declinare contactum, tunc amplexum, etsi de se honestum, declinare debet. Ita post Cajetanum, Azorium & alios, Sylvius.

 (39) Im-

periculo delectationis venereæ, aut scandali, turpia loqui, vel canere solum ex levitate, vel legere, & audire ex sola curiositate, est saltem veniale. Nam hæc adversantur castitati ex 4. & 6. Ephes. Tamen juxta S. Antoninum & alios non est mortale, quia non est per se gravis inordinatio, p. 2. tit. 5. cap. 1. §. 8. Sed quia in praxi raro abest periculum turpis desiderii, aut complacentiæ, sive in proferente, ac legente sive audientibus prædicta, sive coram juvenibus, aliisque infirmis, raro vacant culpa mortali ex 1. ad Cor. 15. & ex S. Athan. Hinc obscœna proferens tenetur in confessione (39) exprimere numerum eorum, quibus fuit causa turpis desiderii, vel delectationis. Qui vero alteri præbet occasionem sermonis turpis continuandi cum aliorum periculo, vel præstat auctoritatem verbis turpibus, peccat mortaliter, etiamsi rem narratam interius non approbet: nam complacentia, vel approbatio exterior rei mortalis est mortalis. Idem est de gestibus turpibus, & de turpiloquiis. Qui autem (40) libros turpes, aut amatorios habent, non sunt absolvendi, nisi illos comburant.

Quæst. III.

(39) Immo (& hoc semel & in perpetuum intelligatur in paribus materiis) si adstantium alii sint conjugati, alii ligati voto castitatis, tenebitur turpium narrator circumstantiam hanc aperire: quia aliud est soluto, aliud conjugato, aliud ministro in sacris luxuriæ periculum propinare.

(40) Qui turpia componunt, puta comœdias, poeses, aut cantilenas, aut citra necessitatem, vel utilitatem tractatus edunt de rebus obscœnis peccant mortaliter; etiamsi, quod vix supponi potest, mentem habeant a turpi cogitatione liberam: quia sciunt, aut scire possunt ac debent, se eorum plerisque a quibus perleguntur peccati & ruinæ spiritualis occasionem futuros esse. Similiter Libri Romanenses, vulgo *Romanzi*, nec legi nec scribi possunt sine gravi culpa, si, ut moris est, profanos amores delineant, & amantium colloquia, litterulas, artes, milleque casus libidine, invidia, tremore, periculosa constantia clandestinis doli consiliis intricatos referant.

Ex his colliges pro praxi, Sacramentis indignos esse, 1. Typographos, & bibliopolas qui hujusmodi libros imprimunt, aut obvio cuique, ut solent, venales exponunt: immo eorum quidam sunt qui flammis immisericorditer debeant aboleri. 2. Patres familias qui, ut bene dicendi artem filios filiasve edoceant, lectiones amatorias & similia iisdem propinant; 3. Viri graves & pudici, dictionis lepores, gravitatem sententiarum, elegantem sermonis texturam solum & unice inquirentes, cavere debent, ne juvenibus, aut etiam viris maturioribus ætate quam animo, libros suos commodent; aut ne post eorum mortem incidant in manus illorum quibus exitiales esse possunt. Ex his apparet quid dicendum sit de litteris amatoriis, aliisque similibus. His porro qui tales receperint injunget Confessarius ut

statim

Quæst. III. An licent oscula, amplexus tactus &c. in sponsis, & viduis?

Resp. 1. Negative. Ita communiter. Patet ex Resp. quæst. VIII. Itaque solum licent sponsis amplexus, & oscula honesta juxta morem patriæ, amoris honesti significandi, & fovendi causa. Hinc sponsi non debent relinqui soli, ob periculum actuum impudicorum, vel etiam copulæ, ut S. Carolus, & Doctores passim monent. Nam sponsalia sunt solum promissio futuri matrimonii, non traditio corporum.

Resp. 2. In sponsis, ac viduis mortalis est voluntaria delectatio carnalis, seu delectatio appetitus sensitivi de copula futura, aut præterita, vel de copula apprehensa sub conditione, si adesset matrimonium. Ita communiter: nam carnalis illa delectatio est delectatio venerea præsens, & voluntaria, quæ ex se ordinatur ad copulam præsentem, adeoque semper mortalis est in non conjugatis. Porro sunt, qui docent posse excusari a mortali eos, qui absque commotione venerea apprehendunt actum conjugalem, ut præteritum, vel futurum approbantes, quod illum exercuerint, aut exercituri sunt; eo quod non approbent illud opus, nisi quatenus fuit, vel erit iis licitum, sed monent talem mentis apprehensionem, cum vix possit esse sine delectatione venerea, esse statim rejiciendam, & nunquam acceptandam. Neque enim est in nostra potestate sistere in delectatione mere spirituali, dum certa objecta apprehendimus.

Quæst. XIV. Quænam sunt filiæ luxuriæ?

Resp. Ex S. Greg. & Thoma sunt octo, quatuor ex parte intellectus, nempe cæcitas mentis, præcipitatio, inconsideratio, & inconstantia: quæ sunt mortales, cum ideo præceptum aliquod in re gravi violetur. Et quatuor ex parte voluntatis. 1. Amor sui inordinatus, quo luxuriosus in sua carne, carnisque voluptatibus ultimum finem ponit. 2. Odium Dei. 3. Affectus præsentis sæculi, hoc est vitæ præsentis, & rerum hanc oblectantium, quo ita istis inhæret, ut contentus esset in hoc mundo semper manere. 4. Horror, quia scit se post mortem impuris voluptа-

statim eas comburant. Idem de acceptis ab amasio vel amasia muneribus dicendum.

Denique absolutionem negandam censeo, 1. Auctoribus qui fabulas componunt in theatro recitandas. 2. Actoribus qui ludos scenicos exhibent, 3. Artificibus qui ad theatrum proxime spectantia concinnant; nisi hi omnes sufficienter moniti resipiscere velint. Idem a fortiori dicendum de scenis musicis, italice *Opera*.

luptatibus privatum iri, earumque loco supplicia acerbissima subiturum: & desperatio, quia obscœnas voluptates deserere quasi impossibile reputat. Hæc quatuor sunt mortalia.

Quæst. XV. Quænam sunt remedia contra luxuriam?

Resp. ista. Oratio humilis, & frequens. Sap. 8. Mortificatio, & custodia sensuum, 9. Eccli. & ep. 109. Augustini. Usus moderatus vini, quod non solum modicum, sed etiam aqua permixtum sit, præsertim in juvenibus. Item moderatus esus ciborum. Prov. 20. & Ezech. 16. Vitatio occasionum, quales sunt familiaritates, & colloquia inter personas diversi sexus, frequentatio improborum, lectio librorum obscœnorum &c. Hoc enim vitium vincitur fugiendo. Quocirca monendi sunt parentes, ne unquam lectum communem permittant pueris diversi sexus, etiam fratribus, & sororibus, nec patiantur secum liberos decumbere in eodem lecto, nec, si grandiores sint, in eodem cubiculo: hoc enim perniciosum est eorum castitati, ut experientia constat. Fuga otii, frequens confessio, & communio cum dispositionibus, carnis maceratio, jejunium, eleemosyna, librorum piorum lectio, assidua meditatio Passionis Christi, & æternorum, & id genus alia. Juvabit quoque plurimum habere stabilem Confessarium, pium, ac prudentem, ejusque pia consilia sequi.

ARTICULUS V.

De Ira.

Quæst. I. Quid est ira?

Resp. Est inordinatus appetitus vindictæ. Ira autem est inordinata dupliciter. Ex parte objecti, cum quis vindictam optat ei, qui non meruit, vel majorem, quam meruit, vel inferendam sine legitima auctoritate; vel licet sit justa, non tamen eam appetit, ut justam, sed ut satiativam animi sui malevoli. Ira sic inordinata est peccatum mortale ex suo genere, cum sit contra charitatem, & justitiam. Potest tamen esse venialis ob defectum sufficientis advertentiæ, vel ob levitatem materiæ. 2. In modo irascendi, ut si quis nimis ardenter irascatur interius, vel si nimis exterius manifestet signa iræ. Et sic ira secundum se non habet ex suo genere rationem peccati mortalis ait S. Thom. q. 158. art. 3. Potest tamen esse mortalis ratione scandali, blasphemiæ, injuriæ &c. quæ ex nimia iræ commotione oriuntur.

Quæst. II. Quænam sunt filiæ iræ?

Resp. Sunt indignatio, quæ est animi commotio contra alium ob malum ab alio acceptum, quia hoc indignum reputat. Sæpe venialis est: mortalis vero ratione eadem, qua dictum est de modo irascendi. Tumor mentis, qui est æstus quidam excandescentis animi, & excogitantis diversas vindictæ vias. Mortalis, vel venialis est pro qualitate vindictæ excogitatæ, & expetitæ. Clamor, qui est inordinata, & confusa locutio. Potest esse mortalis ratione convicii, maledicti &c. Denique blasphemia, contumelia, maledictio, rixa, pugnæ, seditiones, vulnera, homicidium. Quæ omnia sunt ex genere suo mortalia, utpote contra charitatem, & justitiam.

Quæst. III. Quænam sunt iræ remedia?

Resp. Præcipua sunt considerare, quam sit injusta, & perniciosa, omni cura impedire motum iræ, & excitatum reprimere; exercere frequenter actus charitatis, mansuetudinis imitando mansuetudinem Christi, patientiæ, humilitatis &c.

ARTICULUS VI.

De Invidia.

Quæst. I. Quid est invidia?

Resp. Est tristitia de bono proximi, quatenus videtur imminuere gloriam, vel excellentiam nostram, quia nempe in eo bono ab eo æquamur, vel superamur. Ad eam revocatur gaudium de malo alieno, quatenus id bonum invidentis æstimatur. Mortalis est ex genere suo: nam directe opponitur charitati, cujus est de bono proximi gaudere, & de illius malo dolere, ad Galat. 5. & Sap. 2. Invidia autem sumpta pro habitu est vitium inclinans ad talem tristitiam, & gaudium perfectum. Ex S. Thoma 2. 2. q. 36. art. 2. tristitia de bono alieno potest contingere quatuor modis. 1. Cum quis dolet de bono alicujus, v. g. potestate, in quantum ex eo sibi, vel aliis damnum timet. Talis tristitia est licita, si inde timeas malum certo injuste inferendum, secus est illicita. 2. Potest quis dolere de bono alterius non ex eo quod ipse habet bonum, sed ex eo, quod sibi deest bonum illud, quod alter habet, ita ut minime cupiat alterum illo carere. Et hoc non est invidia, sed æmulatio: quæ si sit circa bona spiritualia, & honesta, est laudabilis; si autem sit de bonis temporalibus, potest esse cum culpa, prout bonum est dolenti proportionatum, & necessarium, aut vice versa. 3. Cum

quis dolet de bono alterius, quia is eo indignus est. Quæ tristitia mortalis est, si sit de bonis spiritualibus, aut contra Dei providentiam. 4. Cum quis dolet de bonis alicujus, in quantum alter æquat, aut superat ipsum illis. Hoc est proprie invidia, & est semper malum juxta D. Thomam, *Quia dolet de eo, de quo gaudendum est, scilicet de bono proximi*.

Quæst. II. Quænam sunt filiæ invidiæ.

Resp. Sunt odium, delectatio, gaudium in malis proximi, susurratio, quæ est sermo, quo sine causa justa refertur alicui de alio aliquid aptum ad dissolvendam ejus amicitiam cum illo. Mortalis est contra justitiam, quia per illam grave damnum proximo injuste infertur. Eccli. 21. & 28. immo ex Prov. 6. susurratio est gravissimum peccatum. Ad susurrationem mortalem sufficit, quod sine justa causa referatur alicui de alio aliquid aptum ad dissolvendam ejus amicitiam cum illo, licet referatur sine intentione eam dissolvendi; quia tunc ponitur injuste, & voluntarie causa dissolutionis amicitiæ. Quare susurro tenetur restituere, in quantum potest, amicitiam ab ipso injuste ablatam, & alia damna inde secuta. Alia sunt etiam mortalia ex genere suo ex Rom. 1.

Quæst. III. Quænam sunt invidiæ remedia?

Resp. considerare te non ideo minus habere, invidiam invidenti nil prodesse; quinimmo gravissimum inferre damnum, privando te ipsum gratia, & amicitia Dei, & beatitudine æterna. Sæpe gaudere de bono proximi; gratificari ei, cui invides, illum laudare, orare Deum pro ejus bono, contemnere humanam gloriam, & honorem. Ad Galat. 5.

ARTICULUS VII.

De Acedia.

Quæst. I. QUid est Acedia, & quale peccatum?

Resp. Acedia late sumpta est quævis animi remissio in exercitio virtutum ob laborem, seu molestiam, & difficultatem adjunctam. Est autem peccatum mortale, aut veniale, prout ex illa violatur præceptum grave, aut leve. Acedia stricte sumpta est tristitia, seu tædium de divina amicitia apprehensa ut mala propter adjunctam difficultatem illius obtinendæ, & conservandæ. Sic sumpta est vitium speciale, & per se mortale; nam specialiter, & graviter charitati Dei repugnat.

Quæst. II. Quænam sunt filiæ Acediæ.

Resp.

Resp. Sunt malitia, qua quis odit bona spiritualia, aut qua poenitet bonum fecisse, aut qua cupit e. g. non agnovisse Christum, non fuisse religionem professum &c. ob difficultates, quæ in Dei obsequio superandæ sunt. Est mortale ex genere suo. Pusillanimitas, desperatio, rancor, qui est indignatio, & fastidium adversus eos, qui ad virtutum opera, & fervorem inducunt. Torpor, qui est animi languor, quo bonum vel omittitur, vel negligenter fit. Est mortalis, si bonum sit graviter præceptum: & semper valde periculosus est, disponitque ad mortale. Evagatio mentis in oratione, aliisve exercitiis spiritualibus. Mortalis est in oratione, vel exercitio spirituali graviter præcepto, si in parte notabili voluntaria sit. Secus est venialis.

Quæst. III. Quænam sunt Acediæ remedia.

Resp. Sunt omnia Religionis, & pietatis exercitia.

TRACTATUS
DE VIRTUTIBUS
THEOLOGICIS.

Virtus generatim recte definitur, habitus inclinans ad rectam operationem; & consequenter perficiens, ac recte disponens subjectum, cui inest, ex Aug. lib. 83. qq. q. 31. Virtutes dividuntur in intellectuales, & in virtutes voluntatis, in theologicas, & morales. Virtutes theologicæ sunt eæ quæ habent Deum pro objecto materiali immediato, saltem primario, & aliquam ejus perfectionem pro formali, seu motivo saltem principali. Tres sunt, nempe Fides, Spes, & Charitas. Item virtutum actus alii sunt eliciti, qui ab illis immediate procedunt: alii imperati, qui pertinent ad unam virtutem, sed ex motu, ac imperio alterius virtutis fiunt, & ab ea assumuntur tamquam medium ad proprium finem assequendum.

PARS PRIMA.

De Fide.

CAPUT PRIMUM.

De natura, & necessitate Fidei.

Quæst. I. QUid est Fides?

Resp. Fides actualis est assensus supernaturalis, & firmissimus, datus rebus a Deo revelatis propter Dei revelantis auctoritatem, seu veracitatem. Hinc objectum ejus materiale sunt res omnes a Deo revelatæ; formale vero est auctoritas Dei revelantis, per quam summe pugnat Deum falli, & fallere. Fides habitualis est habitus per se infusus, elicitivus actuum fidei cum auxilio gratiæ. Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: „ Assensus fidei supernaturalis, & utilis „ ad salutem, stat cum notitia solum probabili revelatio„ nis: immo cum formidine, qua quis formidat, ne sit „ locutus Deus. "

(*) Hæc propositio est 21. ex proscriptis ab Innoc. XI. at ad id comprobandum, quod auctor asserit, opus est etiam duas antecedentes, ac sequentem recensere: 19. „ Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso „ sit magis firmus, quam meretur pondus rationum ad „ assensum impellentium. 20. Hinc potest quis prudenter „ repudiare assensum, quem habebat, supernaturalem. „ Et 22. Fides latæ dicta ex testimonio creaturarum simi„ live motivo ad justificationem sufficit ".

Quæst. II. An, & qualis actus fidei est necessarius necessitate medii?

Illud est necessarium necessitate medii ad salutem, sine quo salus obtineri non potest, etiamsi illius omissio sit inculpabilis. Illud est necessarium necessitate præcepti, quod est præceptum, & sine quo proinde salus obtineri non potest, si culpabiliter omittatur, nisi hæc omissio per pœnitentiam remittatur. Si tamen sit necessarium hac sola necessitate, ejus omissio inculpabilis non impedit salutem. Porro quidquid est necessarium necessitate medii est etiam necessarium necessitate præcepti, si sit in nostra potestate. Certum est autem habitus fidei, spei, & charitatis esse omnibus, etiam infantibus necessarios necessitate medii ex Concil. Trid. sess. 6. c. 7. Sed nullus actus virtutis infantibus est necessarius ad salutem, cum nullius

lius sint capaces, & tamen salvari possunt. Aliquid credi potest, vel expresse, hoc est distincte, & secundum se, ac proprium conceptum; vel implicite, hoc est confuse, & in alio, in quo continetur; ut cum creditur, quidquid Ecclesia credit, tunc credantur implicite omnia dogmata fidei.

Resp. 1. Omnibus adultis est necessarium necessitate medii credere explicite actu supernaturali Deum existere, providere saluti hominum, & justos remunerari vita æterna. Constat ex Hebr. 11. ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. Hinc Innocent. IX. damnavit hanc propositionem: „ Non„ nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate me„ dii, non autem explicita remuneratoris. "

Resp. 2. Nunc ab Evangelii promulgatione omnibus adultis necessaria est necessitate medii fides explicita Incarnationis quoad Divinitatem, Humanitatem, Passionem, Mortem, & Resurrectionem Christi Salvatoris Nostri. Ex Joann. 17. & ad Galat. 2. ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 6. & August. l. de correpṭ. & grat. c. 7. Ratio quoque *manifesta* est. Nam homines debent nosse viam salutis pro ratione status, in quo versantur: Christus autem *est via* salutis ipso testante Joann. 14.

Resp. 3. Nunc etiam sic necessaria est fides explicita SS. Trinitatis. Quia est objectum fidei nostræ primarium, & fundamentum salutis nostræ. Quod autem est salutis fundamentum, id certe, & explicite, & secundum se requiritur. Adde fidem explicitam incarnationis esse non posse sine fide explicita Trinitatis, auctore Div. Thoma 2. 2. quæst. 2. artic. 8. Id etiam constat ex Symbolo Athanas. ab Ecclesiæ usu recepto, & approbato.

(*) Hinc Innocent. XI. damnavit hanc propositionem, quæst. 64. „ Absolutionis capax est homo, quantumvis „ laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per ne„ gligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Tri„ nitatis, & Incarnationis D. N. J. C. "

Resp. 4. Necesse est necessitate medii, ut adulti credant generatim vera esse omnia, quæ a Deo revelata, & promissa sunt, quæque per Ecclesiam credenda proposuit: ideoque credant implicite omnia fidei dogmata ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 5. præcit.

Quæst. III. An, & quarum rerum fides explicita præcepta sit?

Resp. 1. Extat præceptum speciale fidei. Constat ex Marc. 1. *Credite Evangelio*; & ex cap. ult. Hinc Innoc. X. damnavit hanc propositionem: „ Fides non censetur ca„ dere sub præceptum speciale, & secundum se ". Hoc præceptum obligat tum ad credendum, & confitendum, tum

tum ad discendum, quæ credenda sunt; prohibetque omnem infidelitatem internam, ac externam, & ignorantiam credendorum. 2. Ex communi (1) sententia omnes adulti tenentur sub mortali, ob materiæ gravitatem credere explicite 1. Mysteria Trinitatis, & Incarnationis: quia quisque tenetur omnia media ad salutem necessaria assumere, cum ex lege divina, & charitate sui teneatur salutem suam procurare: & insuper quia illa mysteria sunt primarium fidei objectum. 2. Omnes articulos symboli, saltem quoad substantiam, & sensum, ita ut de singulis interrogati sciant respondere. Constat tum ex Marc. cap. ult. tum ex canon. 58. 59. 105. distinct. 4. *de consecrat.* & Catech. Rom. tum ex praxi perpetua Ecclesiæ, quæ semper symboli notitiam exegit, nec ullum adultum sine illa ad baptismum admisit: tum quia præceptum fidei obligat per se ad præcipua saltem fidei christianæ capita, seu articulos agnoscendum, & credendum. 3. Sacramenta saltem ea, quæ debent, aut volunt suscipere: nam sine tali cognitione non possunt illa religiose, ac digne suscipere: item sacrificium Missæ ob similem rationem. 4. Tenentur scire omnia Dei, & Ecclesiæ præcepta, & omnes obligationes ad suum statum, munus, & officium pertinentes. Nam singula præcepta obligant ad sui cognitionem, cum sine ea observari nequeant. 5. Orationem Dominicalem, nam datur præceptum orandi: & hæc oratio præscripta est a Christo, Matth. 6. Ex præcepto autem Ecclesiæ, & consuetudine vim legis habente, tenentur omnes scire memoriter Symbolum Apostolorum, Decalogum, Orationem Dominicalem, & quidem lingua, qua intel-

(1) Circa fidem explicitam articulorum fidei sequentia notanda sunt: 1. Articulorum fidei substantiam scire censetur qui, etsi nec ipsa præcise verba, nec verborum ordinem memoriæ mandaverit; de quolibet tamen articulo interrogatus respondere valet quantum exigit fundus & substantia articuli. 2. Eorumdem articulorum substantiam vere ignorat, qui totum v. g. symbolum memoriter tenet, sed idiomate sibi ignoto. 3. Non omnes articuli symboli ejusdem sunt necessitatis: e. g. passio Christi longe majoris est momenti quam circumstantia ejusdem, *sub Pontio Pilato*: unde ignorantia ipsius ob materiæ parvitatem culpa saltem gravi excusari potest, ut communiter tenent Doctores. 4. Explicite credi etiam debent ab omnibus adultis illa quæ spectant ad Sanctorum venerationem, cultum Reliquiarum, usum Indulgentiarum, existentiam Purgatorii, modum juvandi animas ibidem detentas. Ita Sylvius & Natalis Alex. tom. 2. ex S. Thoma q. 2. art. 7. cum omnia prædicta in Ecclesia solemnizentur. Tandem omnes tenentur scire, Ecclesiæ parendum esse, extra illam neminem salvari. Qui autem hæc scire negligit, reus est peccati lethalis, ait idem Natalis Alex.

intelligunt, atque etiam modum formandæ crucis. Debent autem horum omnium sensum percipere, cum debeant ista scire, ut res fidei credant serventque præcepta. Idem videtur de Oratione Angelica. Hinc peccant mortaliter 1. Omnes, qui ista culpabiliter ignorant, vel discere negligunt. 2. Parentes, Domini, & Superiores, qui non curant, ut liberi, cum primum lumen rationis assecuti fuerint, & subditi hæc omnia pro captu suo calleant. 3. Parochi, qui oves suas in iis diligenter non erudiunt.

Nota 1. Parochi, Confessarii, & Concionatores tenentur eam scientiam rerum fidei, & præceptorum habere, ut & aliis explicare, & difficultates saltem communes intelligere, ac diluere possint; alioqui non possunt alios instruere ex Malach. cap. 2. Episcopi vero longe ampliorem, & perfectiorem cognitionem habere debent ratione officii, ac muneris sui, teste Apost. c. 1. ad Tit. & 1. ad Timoth.

(*) Nota 2. Quamquam ea, quæ sunt ab auctore explicata, satis indicare videantur, quæ sit Missionarii obligatio in iis circa fidem instruendis, qui sunt ejus curæ commissi; tamen tum ob laxas, quæ hac de re circumferuntur, opiniones, tum ut ea exponamus, quæ Apostolica Sedes Missionariis inculcat, pauca addere necessarium putamus. Primo itaque monemus, graviter peccare Missionarios, si non curant, ut ii, quos erudiendos suscipiunt, sciant ea, quæ ex Ecclesiæ præcepto, & consuetudine vim legis habente fidelium quisque scire tenetur; idque contra Verricellum, qui sic, de Fide sect. 10. asserit Missionarios muneri suo satisfacere, si *Mengrellenses fideles instruant in Mysterio Trinitatis, & Incarnationis*. Nam si Parochi, qui curam animarum penes Orthodoxos exercent, graviter peccant, si solliciti non sint, ut eorum curæ concrediti fideles ea sciant, quæ Ecclesia non sciri tantum, sed etiam, quoad fieri possit, memoriæ mandari præcipit; multo magis peccabunt Missionarii, si in iis Orientales non instruant; quippe ii majorem instructionem exigunt, tum ob maximam, in qua gens illa versatur, ignorantiam, tum ob periculum, quod iis imminet perversionis, ex Infidelibus, Schismaticisque inter quos vivunt; tum denique quod experientia edocti sumus, parum instructos facile a Christiana, vel orthodoxa fide deficere. Immo Missionarii monere tenentur fideles de obligatione, quam habent, hæc omnia sciendi. Concilium Moguntinum tempore Caroli M. celebratum c. 40. Forumjuliense eodem ferme tempore coactum, &, ut alia prætercam Sanctissim. D. N. Benedictus XIV. Const.

inci-

incipiente: *Etsi minime* tom. I. Bull. pag. 110. hoc sedulo præcipiunt.

Secundo a gravi culpa excusari nequeunt, si eos, qui ex hæresi, & schismate ad Orthodoxam fidem venire velint, vel illos, qui ex hæreticis, vel schismaticis trahentes originem fidem jam susceperunt, eamque inter gentes hujusmodi erroribus infectas profitentur, non doceant errores, quos habent contra fidem, & mores. Non solum enim curare debent, ut ii sciant, quæ necessario scire debent necessitate medii, & præcepti, sed præterea, ut exuant omnino errores, & ita sint instructi, ut eos præcavere valeant. Ideo enim Apostolica Sedes ad infidelium, hæreticorumque regiones Missionarios mittit, ut ex errorum tenebris ad veritatis lucem, & a via perditionis ad æternæ salutis viam gentes illæ revocentur. At hæc præstare non poterunt, si errores ignorent illæ gentes. Ergo &c. Atque hinc patet, quam a sana doctrina sit dissona Verricelli opinio, quam sect. 4. cit. q. exponit: ut Missionarios moneat non opus esse, ut Mengrellenses, qui rudes sunt, instruantur, *circa processionem Spiritus Sancti, quia articulus captu difficilis est*; nec etiam circa errorem, quo Mengrellensium nonnulli putant infideles nec privatum, nec universale in fine mundi subituros esse judicium, quia jam judicati sunt: *quia hujusmodi error penes omnes vulgatus non est*.

Tertio, quoad infideles, qui christianam Religionem amplecti velint, tenentur Missionarii curare, ut ii, antequam sacro baptismate initientur, ita sint instructi, ut gentilitios errores omnino exuerint, & ea, quæ christianis scitu sint necessaria, apprime norint, id enim præceptum est ab Alexand. VII. Const. incipiente, *Sacrosancta*, & a Bened. XIV. inculcatum sub gravissimis pœnis, in ea, quæ incipit. *Omnium sollicitudinem* tom. I. Bull. pag. 397. sequentibus verbis. Atque hinc patet non licere Missionariis differre post baptismum doctrinam Passionis Christi quocunque ex prætextu, id, quod anno 1645. definitum fuit amplissimo Decreto Supremæ Inquisitionis: quod sane Decretum approbavit Sac. Congreg. de Propag. Fide, eademque Sac. Congreg. supplicante Innocentius X. illud servari præcepit a Missionariis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ sibi, & Apostolicæ Sedi specialiter reservatæ.

Quæst. IV. Quandonam (2) præceptum internæ fidei obligat?

Præ-

(2) Fides actualis interna omnibus ratione utentibus, etiam in infantia baptizatis, necessitate medii simpliciter necessaria est ad

Præceptum aliud est affirmativum, quod aliquem actum positivum præcipit primario, & ratione sui, obligatque semper, sed non pro omni tempore. D. Thom. 2. 2. q. 3. art. 2. Aliud negativum, quod vetat aliquem actum, obligatque semper, & pro omni tempore. In quolibet autem præcepto affirmativo divino, quo præcipitur actus virtutis, includitur præceptum negativum, quo prohibetur peccatum oppositum, nam ex affirmatione alicujus recte infertur negatio contrarii illius.

Resp. 1. Duplex est fidei divinæ præceptum; aliud affirmativum, quod nos obligat ad credendum certo tempore explicite certas veritates revelatas; implicite vero cæteras omnes, & ad addiscendas res Fidei. Aliud negativum, quod obligat ad nunquam dissentiendum ulli rei revelatæ, nec de ulla dubitandum.

Resp. 2. Præceptum fidei obligat per se ad eliciendum actum fidei initio usus rationis, ubi res credendæ propositæ (3) sunt sufficienter, ut a Deo revelatæ: tunc enim assen-

---

est ad salutem. Dico, *etiam in infantia baptizatis*: quia fidem actualem esse taliter necessariam omnibus ratione utentibus, non baptizatis in infantia extra controversiam positum est; nam inter alios actus quos Concilium Tridentinum in illis requirit qui ad fidem convertuntur, etiam actus fidei aperte commemoratur.

Sed controversia est de adultis in infantia baptizatis, quos sine fide actuali salvari posse docent Altisiodorensis in 4. tr. 4. q. 3. Meratius disp. 19. de fide sect. 1. assert. 2. aliique nonnulli.

At pro assertione nostra communis est Ecclesiæ sensus, communis doctrina SS. Patrum, communis sententia Theologorum, cui tantam certitudinem conciliant documenta sacra, & Ecclesiæ decreta; ut eam non elidat auctoritas Doctorum prædictorum in contrarium, utpote nullius ideo ponderis, quia sola humana ratione contradicunt oraculis Scripturarum, documentisque Ecclesiæ, & Sanctorum. Quod profecto non licet, præsertim hac in re, quæ decidenda non est ratione pure humana, cum pendeat a voluntate Dei, quam, non ratio pure humana, sed sacra illa oracula & documenta nobis manifestant, quæ innuisse tantum nobis sufficit, cum ea videri possint apud Henricum a S. Ignatio tom. 2. lib. 2. de Fide cap. iv. aliosque insignes Theologos.

(3) Pueris fidelibus sufficienter fides proposita censetur, tamquam revelata a Deo, quando, ut talis, &, ut miraculis, atque innumerabilium Sanctorum & Sanctarum professione illustrata, eis proponitur ab ipsorum Parocho, seu alio viro quem prudenter existimant ita doctum & pium, ut sine formidine judicent verum esse quod dicit, scilicet veritatem illam a Deo revelatam esse. Infidelibus vero sufficienter proposita censetur, quando vel rationibus, vel miraculis, vel aliis signis credibilitatis moraliter certificati sunt, eam a Deo revelatam esse, ut de hoc nulla ipsis superfit rationabilis formido. Nam non requiritur pondus rationum quibus divina revelatio redditur ipsis

assensus omitti, aut suspendi nequit sine injuria gravi auctoritatis divinæ. Præterea tenentur adulti, ubi primum possunt, debitum mentis obsequium Deo præstare, atque se, & omnia sua in Deum, ut ultimum finem dirigere: ad quod necessaria est fides actualis. 2. In quolibet probabili mortis periculo. Quia tunc maxime urget obligatio tendendi in Deum, eumque colendi per actus præcipuos virtutum. 3. Sæpe in vita, cum Deus actibus fidei maxime colatur, & vita justi per illos alatur, ex 3. ad Gal. Hinc Innocent. XI. damnavit has propositiones; 17. „ Satis est actum fidei semel in vita elicere. 65. Sufficit „ ista mysteria (Trinitatis, & Incarnationis) semel cre„ didisse. " 4. Cum gravis tentatio contra fidem ingruit, quæ superari non posse videatur, nisi per contrarium actum fidei.. 5. Quando facienda est professio exterior fidei. 6. Quoties quis in hæresim, vel dubitationem voluntariam lapsus est. Quia actus fidei explicitus, ac formalis necessarius est ad justificationem in adulto, qui fidei habitu caret.

Obligat autem per accidens, quando urget gravis tentatio contra aliquam virtutem, quæ sine illo vinci non posse videatur. 2. Quoties ex præcepto eliciendus est actus alia-

---

ipsis credibilis esse tam firmum, inquam assensus ipse fidei; cum assensus iste nitatur solo Dei testimonio, omnibus rationibus humanis firmiore. Unde merito ab Innocentio XI. damnata fuit hæc propositio: „ Voluntas non „ potest efficere, ut assensus fidei „ in seipso sit magis firmus, quam „ mereatur pondus rationum ad „ assensum impellentium ".

Nihilominus ad assensum fidei vere divinæ & supernaturalis non sufficit notitia solum probabilis divinæ revelationis cum formidine, qua quis formidet ne non sit locutus Deus; sed oportet moraliter certum esse conscientiæ dictamen, quod fidei veritas sit revelata a Deo. Quia ad assensum fidei vere divinæ necesse est, divinam revelationem nobis applicari, & innotescere per signa, seu motiva credibilitatis, moralem omnem formidinem excludentia, adeoque moraliter plusquam probabilia. Hinc Innocentius XI. damnavit sequentem propositionem: „ Assensus „ fidei supernaturalis & utilis „ ad salutem stat cum notitia „ solum probabili revelationis, „ immo cum formidine, ne non „ locutus sit Deus ".

His non obstantibus, infidelis qui post serium examen judicat fidem nostram esse probabiliorem, & credibiliorem, licet sectam suam credat adhuc probabilem, tenetur sectam suam deserere, & sic fidem nostram amplecti. Ita determinavit Ecclesia per Innocentium XI. damnando hanc propositionem n. 17. „ Ab „ infidelitate excusabitur infide„ lis non credens, ductus opi„ nione minus probabili. Et „ ratio est, quia a peccato non „ magis excusatur qui in cre„ dendo sequitur opinionem mi„ nus probabilem, quam qui in „ agendo ".

aliarum virtutum, puta spei, charitatis ex qua præsupponunt actum fidei saltem implicitum. 3. Actus fidei requiritur ad justificationem peccatoris adulti.

CAPUT TERTIUM.

De actu externo, seu confessione fidei.

Quæst. I. AN extat præceptum confitendi exterius fidem suo tempore?

Resp. Affirm. Constat ex Rom. 10. ex Luc. 9. ex SS. Patribus, & ex perpetuo usu, ac sensu Ecclesiæ. Et vero honor auctoritati Dei revelantis debitus exigit, ut non solum assensu interno, sed etiam professione externa ei adhæreamus, & nos subjiciamus. Hoc præceptum, quatenus est negativum, prohibet pro quolibet tempore negationem fidei etiam mere externam; & quatenus affirmativum, præcipit confessionem externam pro certo tempore.

Quæst. II. Quandonam obligat præceptum fidem exterius confitendi?

Resp. Ex communi sententia obligat etiam cum vitæ damno, quoties per ejus omissionem subtraheretur honor Deo debitus, vel utilitas proximo impendenda; ut cum prudenter speratur ex confessione fidei conversio infidelium, vel confirmatio fidelium infirmorum, qui alias vacillaturi, aut fidem negaturi essent: aut quando ex taciturnitate sequeretur contemptus religionis, vel scandalum, vel confirmatio in errore, perversio aliquorum; aut minueretur apud infideles existimatio de Deo, vel religione christiana, aut omissio confessionis censeretur implicita Fidei negatio. Ita S. Thom. 2. 2. quæst. 3. artic. 2. Et ratio est, quia actus cujuslibet virtutis, sive internus, sive externus præceptus est, cum necessarius est ad finem præcepti, qui est charitas juxta Apost. 1. ad Tim. 1. At in prædictis casibus professio fidei necessaria est ad charitatem Dei, & proximi. Lege 9. Lucæ caput. Porro confessio fidei in casibus prædictis debet esse clara, & aperta: nam qui utitur verbis ambiguis, quæ ab interrogante accipiantur pro negatione, erubescit sine professionem doctrinæ christianæ, quod est contra laud. cap. Luc.

Quisque etiam tenetur impedire, si potest, peccata contra fidem, & religionem, etiam cum periculo vitæ. Nam quælibet virtus obligat ad impedienda, quæ illi adversantur; alioqui Deus afficeretur injuria; ut si videat Dei nomen blasphemari, dogmata fidei impugnari &c. Secus,

cus, si prudenter judices oppositionem tuam magis obfuturam, quam profuturam: item tenetur veritates practicas, non minus quam speculativas a Christo traditas facto, & dicto profiteri, & tueri, non solum coram infidelibus, sed etiam coram mundanis hominibus, cum honor Christi, vel ædificatio proximi id exigit.

Quæst. III. An licet aliquando fidem exterius tantum negare ad vitandam mortem, & dira supplicia?

Resp. Nunquam licet, ut colligitur ex Matth. 10. & ex perpetua traditione, ac praxi Ecclesiæ, quæ id, ut gravissimum crimen semper habuit; & recte quidem, cum negatio exterior sit mendacium perniciosum in re gravissima, & gravem injuriam Deo inferat, exterius protestando eum non esse summe veracem.

Quæst. IV. An licet aliquando falsam religionem simulare verbis, aut factis?

Resp. Nunquam licet, nec proinde exercere actiones, quæ ex se, vel ex lege, vel ex communi usu sunt professio exterior falsæ religionis; ut genuflexio, vel thurificatio coram idolo &c. Quamvis fiant simulate, & ad vitandam diram mortem. Constat ex perpetuo sensu, & usu Ecclesiæ, quæ semper abhorruit a ritibus externis infidelium, & simulatores etiam externos semper gravissime punivit. Et sane: sicut eodem præcepto affirmativo fidei præcipitur veræ fidei internus assensus, & externa confessio; sic eodem præcepto negativo prohibetur falsæ fidei internus assensus, & externa professio, quæ intrinsece mala est, utpote mendacium facti perniciosum in re maximi momenti. Hinc nunquam licet cœnam hæreticam sumere, aut cum hæreticis in propriis eorum cæremoniis, aut precibus communicare. 2. Interesse concionibus, vel conventibus hæreticorum, non solum cum adest periculum subversionis, vel scandali: sed etiam quoties id censetur e vera fide defectio, aut simulatio defectionis. Non peccat tamen, qui extra has scandali, ac periculi perversionis, vel id genus alias circumstantias ob aliquam causam justam templa hæreticorum ingreditur, ibique eorum conciones audit, non ut cum illis communicet, sed ut observet quid ibi agatur, vel prædicetur. Sed mera curiositas non sufficit, ut licite quis ejusmodi conciones audiat, sed requiritur gravis causa. 3. Serio uti vestibus, vel aliis signis, quæ solum adhibentur ad professionem, vel exercitium falsæ religionis. Secus de vestibus, & signis, quæ distinguunt nationem ab alia. De signis autem, & vestibus, quæ distinguunt infideles a fidelibus, qualis est Tobalia propria Turcarum, vel Romæ pileus flavus Judæorum, controvertitur. Certe nemo negare potest, iis vestibus

bus uti non licere, si nulla adest causa fidem occultandi: nam tunc merito censeris negasse fidem, aut velle illius desertorem videri, quod est intrinsece malum.

Quæst. V. An licet aliquando fidem veram occultare?

Resp. 1. Non licet, quoties præceptum confitendi fidem exterius obligat, & urget: nam violaretur. 2. Si quis a potestate publica, puta Principe, judice, magistratu, vel tyranno interrogaretur etiam privatim, tenetur clare, & aperte confiteri fidem etiam cum periculo vitæ. Nam talis judicaret se parvi facere fidem catholicam, & sic Fidei Catholicæ grave dedecus inferret, si in his casibus eam occultaret, aut sileret: cum in hac circumstantia silentium per se, & regulariter censeatur signum vel negatæ fidei, vel erubescentiæ vel timoris pœnæ, ob quam silens non vult fidem confiteri, aut saltem det grave scandalum. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propositionem: „ Si a potestate publica quis interrogetur, Fidem inge„ nue confiteri, ut Deo, & Fidei gloriosum consulo; ta„ cere ut peccaminosum per se, non damno. " Quod si a persona privata quis interrogetur publice, tenetur etiam confiteri fidem, quia alioqui subtraheretur magnus honor Deo, ac religioni debitus, vel daretur scandalum proximo.

Multi docent eum, qui privatim a privato interrogatur, posse tamen aut interrogationem eludere dicendo v. g. Quid ad te? Modo inde nullum sequatur detrimentum honoris Deo debiti, aut scandalum proximi. Sed hoc alii negant putantes id repugnare præcepto absoluto confitendi fidem. Porro aliquando silentium ex circumstantiis scandali, vel dedecoris religionis æquivalet negationi, vel erubescentiæ, ut si te tacente alius respondeat te fidem negare, cui tamen ob verecundiam, vel malum imminens non contradicas.

Resp. 3. Licet Christiano fugere, vel se occultare tempore persecutionis, si ex ejus fuga nullum fidei detrimentum in aliis, vel scandalum oriatur: ex Matth. 10. ex Apostolorum, S. Athanasii, aliorumque Sanctorum exemplo: tum quia præceptum confitendi fidem, utpote affirmativum, non obligat pro omni tempore; tum quia fugiens extra casum necessitatis divini honoris, & utilitatis proximi fidem non negat; immo quodam modo profitetur; non enim fugeret, si fidem non retineret. Hæc tamen fuga illicita est ei, cujus præsentia necessaria est ad confirmandos alios in fide: nam talis ex charitate, vel etiam ex officio, si sit pastor, tenetur ad manendum etiam cum periculo vitæ. Secus si suis subditis, vel communi bono utilius sit, ut ad tempus se subducat, provi-

dendo eis necessaria, vel per se occulte, vel per alium. Seclusa necessitate, vel utilitate fidei & proximi confessio fidei publica est illicita in his casibus. 1. Si quis temere se exponat periculo suppliciorum, quæ forte tolerare non poterit. 2. Si per eam detur infidelibus occasio peccandi, fidemque persequendi. Matth. 7. Videatur S. Thom. 2. 2. quæst. 3. art. 2. ad 3.

APPENDIX.

Ad usum Missionariorum.

UT facilius dubia solvi, & explicari queant, quæ orthodoxæ fidei ministris in infidelium partibus solent passim occurrere circa particularia facta, & casus nonnullos, quibus vel *facto*, vel *implicite* Catholica fides violari videtur, brevem hanc instructionem addendam esse existimavimus. Primo itaque fidem facto suo negare dicitur, qui ea faciat, quæ ad falsi numinis, hæreticique hominis obsequium, & cultum deferantur. Is enim facto suo falsam religionem profitetur. Atque hanc ob rem suprem. Inquit. Decreto anno 1626. & anno 1660. definitum est, *nullo modo licere christianis, nec ulla causa, aut motivo posse permitti, aut tolerari*, ut operam suam navent ædificandis, instaurandisque templis falsis numinibus, vel auctoribus falsarum sectarum dicatis, aut aliis id genus præstandis. Atque hinc sequitur rei de se malæ operam dare, & facto negare fidem, qui idola, quæ infideles colant construant, vel falsi numinis imagines pingant; quippe falsis numinibus famulatum præbent, iisque si non per se, per alios saltem obsequium, cultumque exhibent.

Secundo *facto* fidem negat, qui ea faciat, quæ ritum falsum, sacrilegumque cultum comprobant, ratumque habent. Ratum vero habent ritum, falsumque cultum, qui in Schismaticorum, Hæreticorumque templis organa, vel alia instrumenta pulsent, metros canant, aut concinendos componant, vel artem musicam alio modo exerceant. Hinc Const. quæ incipit, *Omnium sollicitudinum*, qua Prædecessorum decreta confirmantur circa ritus Madurenses &c. SS. D. N. Benedictus XIV. approbat, & mandat observari Decretum Cardinalis Thournon, quo hæc prohibentur fidelibus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ; Missionariis vero mandatur, ut eos moneant de hac prohibitione, & contrafacientes ab Ecclesia expellant, usque dum vere resipiscant, publicamque pœnitentiam egerint. Hoc modo fidem negant etiam hi, qui in infi-

infidelium, & hæreticorum scholis eorumdem ritus, & profana a catholica fide aliena dogmata docent, ex Decr. supr. Inquis. 2. Maii 1711.

Tertio qui facto aliquo Orthodoxam religionem in odium fidei contemnat: ut qui, imperante infidele Principe in catholicæ fidei contemptum, sacros ritus spernat, carnes, quo prohibentur tempore, comedat, &c. ex Decret. sup. Inquis; ann. 1674. Is & fidei professionem omittit, quam vigente illo principis imperio, quod vim interrogationis habet, palam facere debet, & fidem ipsam exteriori contemptu negat.

Quarto, qui vestem induat, quæ ex instituto hominum usu recepto, & approbato, falsæ sectæ professorem, sive falsæ religionis ministrum designet, ut lineam vestem talarem, quæ Mahumetanis sacerdotibus est propria. Ex Decr. ejusd. Inquis. 8. Julii 1630.

Quinto, qui nominibus turcicis utuntur, infidelium templa frequentant diebus ab Ecclesia vetitis carnes manducant, ut Mahumetani habeantur, *quæ mendacium in re gravissima continent, & virtualem fidei negationem, maxima cum Dei injuria proximique scandalo, includunt*: quemadmodum legitur Constit. quæ incipit, *Inter omnigenas* tom. 1. Bull. pag. 32. in qua Sanctiss. D. N. Bened. XIV. abusus nonnullos fidei puritati contrarios, qui in regno Serviæ finitimisque regionibus irrepserant, damnat, privatque in illis perseverare volentes sacramentorum beneficio in vita, & suffragiis post mortem, ad quæ a nullo sacerdote admittatur sub pœnis canonicis a proprio Episcopo ei infligendis.

Sexto, qui ritus usurpent falsæ religionis protestativos, cujusmodi usu errores contra Christianam fidem, quos indicant, sese approbare demonstrant, ac falsæ sectæ professores exterius manifestantur. Hinc in cit. Const. *inter Omnigenas*, circumcisionis usus Mahumetanorum more damnatur: & in Const. *Omnium sollicitudinum* nec non in Const. *Ex quo singulari*, quæ est de ritibus sinensibus tom. 1. pag. 188. damnantur ritus omnes tam virorum, quam mulierum, in regno Madurensi, & ei finitimis regionibus obtinentes, eorumque observantia fidelibus severissime prohibetur.

Nota. Si ritus indifferentes occurrant, tutius est, ut catholici, quoad fieri possit, ab illis abstineant, ne cultu peregrino, & Ecclesiæ Catholicæ ignoto verum venerentur. Nunquam vero licet, *Gentilium ritus adoptare, eosque in Christianos usus convertere inconsulta Apostolica Sede*, ut Const. decernitur antea laud. *Omnium sollicitudinum*.

Implicite contra orthodoxæ fidei confessionem peccat, qui dum debitus Deo honor id postulet, libere eam non profitetur, sed tacet, atque silentio suo alios in suspicionem ducit, se vel negare fidem, vel eam profiteri erubescere. Primo ita peccat, qui interrogatus a publica potestate de sua religione taceat. 1. Si interrogatio sit in odium fidei. 2. Si silentium attentis circunstantiis non appareat omnibus implicita orthodoxæ fidei confessio. Secundo, quamquam persecutio in odium fidei adversus orthodoxos excitata in Deum injuriosa sit, & interrogationem, quæ ad fidem confitendam cogit, involvit tamen ut optime Auctor demonstravit, qui eam fuga declinare studeat, non modo non negat, sed ipso facto fidem quodammodo fatetur. Fuga autem non modo licita, sed quandoque necessaria est. 1. Quoties fideles timent, prævidentque periculum succumbendi tormentorum atrocitati, fidemque negandi. 2. Quando persona necessaria, ac maxime utilis sit communi Ecclesiæ bono, ex August. tract. 46. in Joann. 3. Declinandum martyrium est, dum prævidetur nemini profuturum, sed tyrannum magis irritandum fore, & crudelius in christianos sæviturum. 4. Licite etiam Episcopi, Parochi, & Missionarii fugiunt, ac quandoque sævientem tyrannum declinare debent, si in ipsos solos sæviat, ac alii ministri adsint, qui relictis ibi Christianis subsidia suppeditare possunt, ex S. Thom. lect. 3. in c. 10. Joann. immo expedit aliquando hæc fuga, si ea impediri possit, ne tyrannus in alios quoque Christianos sæviat: vel si redire posse sperent majori cum fructu; at si res aliter se habeat, Pastoribus, sacrisque ministris fugere non licet, idque nedum ex charitatis, verum etiam ex justitiæ debito. Hinc proposito dubio, *An ad evitandum periculum liceat Missionariis a missione discedere absque licentia Sacræ Congreg.* Sac. Congreg. respondit negative ann. 1646.

Tertio, dum infideles, vel hæretici sacras imagines conterant, & Crucifixum contumeliis afficiant, tenentur fideles palam orthodoxam fidem profiteri. Secluso vero periculo contemptus, licet missionariis sacras imagines donare infidelibus, qui iis delectentur, tum amicitiæ, pacisque fovendæ gratia, tum ad eos alliciendum ad amplectendam fidem. Ex Decr. Supr. Inquis. 1674. Nefas vero est, ex eodem Decr. iis sacros libros, ac vasa sacra tradere, qui in religionis contemptum uti possint.

Quarto, dum infideli, vel hæretico magistratu imperante, Christianorum Ecclesiis, aliisque locis libelli assignantur, orthodoxæ religioni detrahentes orthodoxi in ea necessitate constituuntur, ut schedas auferre, libellis respondere,

dere, ac ad judices delati palam orthodoxam fidem profiteri debeant. At scripturis, quæ privata auctoritate fiunt ministri sacri contraria opponere non prohibentur, dum tamen inde imminere non videant gravioris persecutionis periculum. Satius tamen erit negative se habere. Supremæ Inquis. Decreto 1674.

CAPUT TERTIUM.

De Peccatis Fidei oppositis.

Tria vulgo numerantur, nempe infidelitas specifice sumpta, Hæresis, & Apostasia.

Quæst. I. QUid, & quotuplex est infidelitas?

Resp. Infidelitas est carentia fidei. Triplex est, negativa, privativa, & positiva. Infidelitas pure negativa est carentia fidei in eo, qui de fide nihil unquam audivit. Hæc non est peccatum, sed tantum pœna peccati, ex Joannis 15. Ratio est, quia omne peccatum est voluntarium, vel in se, vel in alio. At hæc infidelitas non est voluntaria in se, utpote in se non cognita, neque in alio, quia nil faciunt infideles illi, unde cognoscant, aut cognoscere possint, sequi infidelitatem illam. Hinc damnata fuit hæc Baji propositio: „ Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non „ est prædicatus, peccatum est. " Infidelitas privativa est carentia fidei in eo, qui vel fidem non vult audire, vel sufficienter propositæ non assentitur, vel non inquirit, quando est sufficienter proposita, ut tenetur inquirere, quamvis nec positive dissentiat: nec errorem fidei contrarium asserat. Est mortale peccatum ex Joann. 3. Nam est omissio voluntaria medii ad salutem necessarii, & a Deo præcepti. Infidelitas positiva, seu contraria est carentia fidei in eo, qui fidei sufficienter propositæ dissentit, vel negando veritatem fidei, vel errorem fidei contrarium asserendo. Est mortale peccatum contra fidem, ut patet. Hæc triplex est, Paganismus, Judaismus, & Hæresis. Paganismus est infidelitas, qua doctrina fidei totaliter rejicitur. Ad hanc reducitur Atheismus, & Mahumetismus. Judaismus est infidelitas, qua doctrina fidei in novo Testamento contenta rejicitur. Hæresis est infidelitas, qua doctrina novi Testamenti non ex toto, sed solum ex parte rejicitur. Porro in hac etiam infidelitate non datur

parvitas materiæ, cum nulla possit esse infidelitas positiva sine contemptu Dei revelantis.

Quæst. II. An infideles possint cogi ad fidem suscipiendam?

Resp. 1. Certum est infideles baptizatos posse cogi ad fidem catholicam suscipiendam, & servandas leges Ecclesiasticas, quamvis baptizati sint in infantia, vel in adulta ætate ex metu compulsi. Quia omnis baptizatus est subditus Ecclesiæ quoad ea, quæ ad salutem, & religionem spectant.

Resp. 2. Infideles non baptizati, sive sint subditi principibus christianis, sive non, compelli directe non possunt ad amplectendam religionem Christianam. Nam id constat ex cap. 3. *de bapt.* & 9. *de judæis*, & ex praxi Ecclesiæ. Et sane Ecclesia nullum jus habet in non baptizatos, ex 1. Corinth. 5. & ex Trid. sess. 14. cap. 2. Potestas vero sæcularis, utpote mere politica, & temporalis, non extenditur ad supernaturalia, ut est fidei susceptio. Dixi *directe*. Nam Principes possunt vetare infidelibus cultum idololatriæ: quia possunt prohibere id, quod legi naturali repugnat, & cogere ad illius observantiam, & præsertim ad ea, quæ ad publicam morum honestatem spectant. 2. Cogere illos ad audiendam fidei doctrinam, negando illis jus habitandi in suis provinciis, vel exigendo majus tributum, justum tamen, quam ab aliis, ni audiant; vel negando privilegia, & gratias aliis concessas.

Resp. 3. Juxta S. Thom. 2. 2. quæst. 10. art. 8. Ecclesia potest per principes christianos compellere infideles, ut non impediant prædicationem, & propagationem fidei: quia habet jus, & potestatem prædicandi fidem per totum orbem.

Quæst. III. An licet cum infidelibus communicare?

Resp. Non licet in eorum ritibus, sacrificiis, orationibus &c. Quia talis communicatio est exterior quædam professio, & approbatio falsæ religionis, proindeque virtualis negatio veræ. At in civilibus, secluso periculo perversionis, & scandali, licet ex 1. Ad Cor. 10. Jure tamen Canonico vetitum est omnibus Christianis, ne cum Judæis habitent, comedant, in balneo laventur, ipsis famulentur, & ab eis medicinam accipiant. Item ne officia publica iis committantur, tit. *de Judæis*. Ex Concil. Lat. Idque ob causas toties recensitas.

Quæst. IV. An licita est disputatio de rebus fidei cum hæreticis?

Resp. Prohibita est omnibus laicis, cap. 2. *de hæretic.* in 5. Circa quod nota 1. Ibi comprehenduntur etiam

laici

laici docti, nam nullus excipitur. 2. Hæc prohibitio locum non habet in casu necessitatis, si laicus sit doctus. Immo tunc lege divina teneretur, ut saluti proximi consuleret, & fidem despectam defenderet. 3. Dicitur hæc prohibitio in locis, ubi hæretici grassantur, per contrariam consuetudinem esse abrogata, scientibus, & non contradicentibus Prælatis.

Resp. 2. Jure naturali prohibita est cuilibet indocto, etsi Clerico ob causas jam dictas.

Resp. 3. Omnibus illicita est disputatio de rebus fidei coram catholicis indoctis, & simplicioribus ex 2. ad Timoth. 2. Excipe, nisi simpliciores ab hæreticis sollicitarentur.

(*) Nota. Disputare de fide est ad examen revocare religionis dogmata, atque argumentis demonstrare a Deo esse revelata. Id autem duplici modo fieri potest, privatim scilicet, & publice. Privata disputatio est, quæ in privato loco inter privatos fit. Publica vero disputatio dicitur, quæ fit publico in loco, spectante populo, ac quandoque etiam arbitris constitutis. Illa cuique viro docto ab hæreticis provocato licita est, ac etiam expediens; primo si prudenter judicat hæreticum desiderio cognoscendæ veritatis, vitandique erroris ad disputationem provocare; secundo si prudenter speret disputatione illa privata ad orthodoxam fidem hæreticum provocantem conversum iri; tertio, si silere non possit, quin audientes in fide vacillent, hæretici magis in errore confirmentur, ac orthodoxa fides contemptui exponatur. Remotis hujusmodi circumstantiis talis disputatio prohibita est laico, ac etiam sacerdoti indocto, atque imperito, ex Decr. Sacr. Congreg. de Propag. Fide 26. Febr. 1630. Sed licet periti sint sacerdotes, sive Missionarii, cavere omnino debent, ne hæreticos ad disputandum provocent; in causa enim essent, ut hæretici actus hæreseos exercerent, & catholicam fidem contemnerent; quæ duæ res grave præ se peccatum ferunt; & ne hæreticos moveant ad catholicorum persecutionem, ex August. l. 15. contr. Faustum cap. 22. & ex Bernard. serm. 66. in Cant.

A publicis autem disputationibus cum hæreticis Missionarii abstinere debent ex Sacr. Congreg. de Propag. Fide 8. Martii 1625. & die 19. Jan. 1644. quamobrem hujusmodi disputationes prohibitæ fuerunt a Summo Pontif. anno 1635. Missionariis Peræ commorantibus, *Sub pænis arbitrio Sacr. Congregat. Supr. Inquisit.*

Multo minus licitum est Missionariis sine expressa Rom. Pontificis licentia conventum indicere Ecclesiast. in quo cum hæreticis de religione disputent, ex ead. Congreg.

die 27. Martii 1644. Porro si Romanus Pont. hujusmodi conventum permittat, quinque sunt necessariæ conditiones, ut rite fiat. 1. Ut hæretici, non ut judices, & cum jure suffragii conveniant, sed ut instruantur, convincantur erroris, & corrigantur. 2. Ut non definiantur fidei dogmata, sed definita a Conciliis, vel Apostolica Sede a Deo revelata esse demonstrentur. 3. Ne fiant coram plebe, sed coram doctis. 4. Ne sedeant tanquam judices laici etiam Principes. 5. Non debent Catholici Prælati a laico Principe cogi ad conventum, sed tantum invitari; & peti debet a Summ. Pontif. licentia, ut possint ea de causa a propriis Ecclesiis abesse: hæreticos autem, & schismaticos poterit Princeps cogere, ut vocati a Prælatis Catholicis veniant ad reddendam rationem sui erroris, ut ita corrigi possint.

Quæst. V. Quid est hæresis?

Resp. Est voluntarius error contra aliquam fidei veritatem cum pertinacia in eo, qui Christianismum profitetur. Unde ad hæresim tria requiruntur. 1. Ex parte intellectus judicium directe oppositum alicui veritati revelatæ, & ut tali sufficienter propositæ: hinc qui exterius solum negat fidem absque judicio interno fidei contrario, non est vere hæreticus, nec incurrit pœnas contra hæreticos latas, quamvis graviter peccet; & in foro externo præsumatur hæreticus. 2. Ex parte voluntatis requiritur pertinacia: quæ consistit in deliberata voluntate dissentiendi alicui doctrinæ, quam quis scit ab Ecclesia Cath. teneri, ut fide certam, vel quæ ei sufficienter proponitur, ut a Deo revelata, quamvis id faciat non ut contradicat Ecclesiæ, sed ex quovis alio motivo: nam hoc ipso resistit auctoritati Ecclesiæ infallibili, & testimonio Dei sufficienter proposito. Ita omnes post S. August. Epist. 162. & lib. 4. contr. Donat. cap. 16. Hinc errans in fide ex ignorantia, etiam culpabili, non affectata, sed animo parato ad credendum id omne, quod Ecclesia credit, ubi primum ejus doctrina ei proponatur, non est hæreticus, quamvis peccet contra præceptum sciendi res fidei, quia deest pertinacia. Secus, si error ex ignorantia affectata procedat. 3. Ex parte subjecti requiritur professio christianismi, seu fidei in Christum, ex S. August. l. 18. de Civit. Dei cap. 51. Non tamen requiritur baptismus, ut quis sit hæreticus in foro Dei, ex Innoc. I. Epist. 22. & S. Hieron. Dial. cont. Lucif. & ex Concil. Nicæn. I. can. 19. Requiritur tamen baptismus in foro Ecclesiæ, & ad subeundas pœnas hær. ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 2.

Porro hæresis est unum ex gravissimis peccatis, ut consen-

sentiunt omnes: nam est contemptus auctoritatis divinæ, seu veracitatis divinæ revelantis; & sic est immediate, & directe contra Deum. Quare hæresis, cum sit infidelitas commissionis, est maximum peccatum in specie infidelitatis, ex cap. 3. ad Tit.

Quæst. VI. An dubius in fide est hæreticus?

Resp. Qui de veritate (4) aliqua ab Ecclesia proposita, & revelata dubitat deliberate, judicando eam esse incertam, & posse esse falsam, est formaliter hæreticus. Ita communiter cum S. Thom. quæst. 10. art. 1. Constat ex cap. 1. de Hæret. ex Conc. Later. V. sess. 8. Ratio est quia sic dubitans judicat veritatem fidei ab Ecclesia propositam, ut revelatam, non esse certam, & auctoritatem Ecclesiæ in proponendis rebus fidei non esse infallibilem. Idem dic de dubitante (5) per meram suspensionem assensus, a voluntate imperatam propter motiva contraria, quia is idem æquivalenter judicium efformat de certitudine, ac infallibilitate Ecclesiæ. Dixi *per suspensionem imperatam a voluntate*. Nam qui cogitans de rebus fidei intellectum ad alia averteret, & ita assensum suspenderet non ex metu errandi, sed præcise ut intellectum aliis

---

(4) Hæretici formaliter sunt etiam illi qui existimant aliquid esse ab Ecclesia definitum quod non est, & interim pertinaciter tenent contrarium: quia Ecclesiæ definitionem parvipendunt, vel Ecclesiam fallibilem credunt, vel censent se non debere credere ea quæ Ecclesia proponit credenda: tametsi in particulari articulo quem tenent (putantes esse contra Ecclesiæ definitionem) sint quidem Ecclesiæ contumaces & affectu hæretici; non tamen effectu & consummate, cum non habeant errorem in intellectu circa particularem illum articulum, sed solum contumaciam in voluntate. Idem est de illis qui Ecclesiæ definitioni judicium suum submittere nolunt, nisi prius argumentis convincantur.

(5) De negative dubitantibus, idest judicium suspendentibus; aliud est, si propterea judicium suspendant, quia Ecclesiæ definitio non est illis sufficienter proposita. Nam non sunt pertinaces, nec peccant contra fidem, nisi dum defectus sufficientis propositionis provenit ex culpabili negligentia eorum. Certum pariter est, hæreticos non esse illos qui vel scrupulis, vel tentationibus velut obruti, sic negative dubitant, seu judicium suspendunt, ut tamen tentationibus illis non consentiant, sed mori mallent, quam Ecclesiæ judicio contradicere, vel Ecclesiæ definitionem voluntarie in dubium revocare. Nec importunas hujusmodi tentationes contra eas disputando refellere debent, sed contemnere. At si tentatio animum pulset, fidem etiam concutiat, & dubitationes veluti semivoluntarias ob infirmi animi debilitatem extorqueat; imitari eum debent, qui Marci 9. dicebat, „ Credo, Domine, adjuva incredulitatem „ meam “.

aliis rebus applicaret, non esset dubius in fide, ut patet.

Quæst. VII. Quænam sunt pœnæ contra hæreticos latæ?

Resp. Sunt 1. Excommunicatio (6) major ipso facto lata, can. *Achatius* 24. quæst. 1. & cap. 9. & cap. 13. de hæret. Ex consensu doctorum sufficit hæresis occulta, modo sit externa, hoc est verbo, signo, vel facto, quamvis nemine præsente, declarata; nam tunc est per se exterius cognoscibilis. 2. Irregularitas. 3. Infamia juris, si hæresis sit notoria. 4. Privatio beneficiorum, & dignitatum cap. 12. de hæret. in 6. Item jurisdictionis spiritualis, cap. *Audivimus* 24. quæst. 1. & cap. *Aperte* ibi. 5. Bonorum confiscatio, cap. 10. de hæret. Sed hoc non ubique viget. 6. Privatio sepulturæ Eccles. capit. 2. de hæret. in 6.

Nota. Credentes, receptatores, defensores, & fautores hæreticorum ipso facto excommunicationem incurrunt, & privantur sepultura Ecclesiastica, capit. 13. *de hæret.* ex Conc. Gen. Lat. IV.

(*) Nota. Ab excommunicatione, in quam quis incidit ob hæresim occultam potest Episcopus absolvere juxta Concilii Trident. Decr. sess. 14. cap. 6. At ejusmodi facultatem fuisse sublatam a Bulla in cœna Dom. innumeri Doctores tradunt, quibus accedunt Declarationes, tum Supr. Inquisitionis, tum Summ. Pontific. Gregorii XIII. Clementis VIII. & Pauli V. teste Card. Albitio *de inconst. in fide* cap. 25. num. 9. Ab hæresi externa non occulta, si ad forum contentiosum deducta non est, solus Pontifex absolvit: si ad forum contentiosum sit deducta, absolvendi facultas competit Episcopo per Textum in cap. *ut officium de hæret.* in 6. in illis verbis: *Absolutionis beneficium impendatis. Missionarii in foro conscientiæ tantum possunt juxta suas facultates, & in locis suarum Missionum absolvere hæreticos. In foro vero exteriori, post instructionem debent remittere conversos pro absolutione ad Epi-*

(6) Pœnæ latæ contra hæreticos, aliæ temporales sunt, nempe 1. Pœna mortis 2. Confiscatio bonorum; 3. Incapacitas ad publica officia obeunda. 4. Privatio jurisdictionis temporalis. Pœnæ spirituales recensentur ab Auctore. Porro sicut ab hæresi, sic a censuris, aliisque pœnis spiritualibus solus Pontifex, & quibus ipse facultatem impertivit absolvere possunt; excepto casu moralis impossibilitatis adeundi Pontificem, in quo ex rationabiliter præsumpta Pontificis voluntate per accidens competit Episcopis.

Episcopos locorum, vel inquisitores, & eorumdem Vicarios. Congreg. Supr. Inquisit. die 18. Sept. 1672.

Contra illorum opinionem Theologorum, qui censent fas esse Parochis, hæreticum, ut vocant materialem absolvere, pugnat Decretum Supr. Inquisit. die 19. Aprilis 1645. quod decernit, hujusmodi hæreticos *ad S. Officium mittendos* esse, ab eoque obsolvendos.

Quæres. An sublata ab Episcopo vigore Bullæ cœnæ facultate absolvendi ab hæresi occulta, sublata etiam censeatur facultas dispensandi ab irregularitate?

Resp. Albitius negative loco cit. num. 43. Nam laudatis multis doctoribus pro sua sententia ita in Pœnitentiaria servari ait, quæ dispensare potest hæreticum occultum ab irregularitate, etiamsi eumdem absolvere nequeat ab excommunicatione (*si habeat complices*) (a)

Additio novissima.

(*a*) Hæretici formales, qui hæresim animo conceptam externa voce, aliave actione mortaliter mala asserunt, aut profitentur, excommunicationem incurrunt hodie Papæ reservatam. Habetur in prima excomm. Bullæ Cœnæ Dom. Vide Bonac. in Bull. Cœnæ disp. 1. quæst. 2.

Nota 1. Ad hanc excommunicationem incurrendam quatuor conditiones requiri, uti recte notat Layman l. 11. tract. 1. cap. 14. 1. Ut aliquis sit verus, & formalis hæreticus, non materialis, & objective tantum. 2. Ut aliquis hæresim animo conceptam exterius significet. 3. Ut actio externa, per quam hæresis interna significatur, & profitetur, mortaliter mala sit; sicuti notat Becanus c. 15. quæst. 1. num. 8. 4. Ut aliquis hæresim suam exterius manifestet animo eam asserendi, vel profitendi; sicut recte notavit Azor lib. 8. c. 10. quæst. 47.

Nota 2. In eadem Bulla Cœnæ excommunicantur hæreticorum *credentes*, qui hæresim implicite profitentur, v. g. dicendo vera esse dogmata Lutheri, aut Calvini, licet in particulari nesciant, quænam ea dogmata sint; ne quis autem de eorum excommunicatione dubitare posset, eorum specifica mentio in Bulla facta est. Vide Suarez tom. 1. disp. 21. sect. 2. num. 6.

Nota 3. In eod. parag. Bullæ Cœnæ excommunicantur hæreticorum ut hæretici sunt, receptatores, fautores, & quilibet defensores. Sotus in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 3. post 5. Concil. Quamvis ad hoc non requiratur formalis; atque directa intentio propagandi hæresim, sed sufficiat indirecta, seu imputativa.

Quæst.

Quæst. VIII. An licita est lectio libri prohibiti?

Resp. Jure naturali prohibita est iis, quibus ex tali lectione imminet periculum perversionis. Nam quisque ex charitate Dei, ac sui tenetur periculum mortale peccati, & salutis amittendæ vitare. Immo secluso periculo perversionis est graviter illicita etiam doctis, & firmis in fide, quia Ecclesia eam prohibet etiam in odium, & pœnam hæresis, ac auctoris hæretici. Præterea lex fundata in præsumptione periculi obligat omnes, qui non excipiuntur.

Lectio autem, & retentio librorum quorumque hæreticorum prohibita est sub excommunicatione in Indice a Pio IV. & aliis Pontificibus edito, & in Bulla Cœnæ.

Jamvero nomine libri hæretici prohibiti, ex usu Patrum, & stylo curiæ Rom. comprehenduntur brevis scriptura, oratio, concio, disputatio, epistola de Religione tractans. 2. Ex communi sententia datur in tali lectione parvitas materiæ; sed hæc difficile designari potest. Attendenda est diligenter linearum quantitas, quæ leguntur, & etiam doctrina, quæ etiam in paucis lineis occurrere potest. Item ex communi datur parvitas materiæ excusans a mortali in tempore, quo retinetur liber prohibitus, nisi retineatur animo retinendi diutius. 3. Prohibito libro censetur quælibet illius pars prohiberi, quamvis nullum forte errorem contineat. 4. Peccat, & contrahit censuram, qui licet ipse non legat, tamen curat alium legere, ut ipse audiat: nam moraliter censetur ipse legere per alterius ministerium, reg. 72. Jur. in 6. (a)

Additio Novissima.

(*a*) Excommunicationem Summo Pontif. reservatam incurrunt, qui hæretici librum hæresim continentem, vel de religione tractantem, sine Apostol. Sedis auctoritate scienter legunt, retinent, imprimunt, vel quomodolibet defendunt. Ita habetur in prima excommunicatione Bullæ Cœnæ: unde colligitur, quatuor conditiones requiri, ut excommunicatio ex hoc capite contrahatur. 1. Ut liber ab hæretico scriptus sit, sive uno ex recentioribus, sive ex veteribus ab Ecclesia damnatis; nisi quod scripta Tertulliani, & Origenis, licet errores contra fidem contineant, propter eruditionem, & quia nullum jam periculum in fide timetur, ab Ecclesia permittuntur: qua de re vide Azor lib. 8. cap. 16. quæst. 16. Deinde nihil refert, utrum liber sit typis excusus necne, dummodo ab hæretico scriptus. Altera conditio est, ut liber vel hæresim in se contineat, vel de religione tractet. Tertia conditio est, ut ali-

ut aliquis ejusmodi librum *scienter* legat, imprimat &c. Quare ab ista censura immunes sunt, qui ignorant, quamvis ignorantia crassa, librum hæretici esse, aut de religione tractare. Quarta conditio est, ut id, quod legitur, materia notabilis sit, atque sufficiens ad peccatum mortale.

Ulterius, quod attinet ad *retinentes* libros hæreticorum, quædam addenda sunt. 1. Nihil referre, utrum quis in sua, an aliena domo; item num suo, an alieno nomine; denique utrum causa legendi, nec ne talem librum retineat, sive asservet: quia Pontifex simpliciter prohibet libros asservari, volens eos penitus exterminari. 2. Requiri temporis spatium notabile, quo aliquis librum hæretici retineat. 3. Ex Constitut. Gregorii XV. ann. 1623. apud Dianam libri prohibiti propria auctoritate neque comburi, neque corrigi possunt, sed tradendi sunt Inquisitoribus. Quamvis Fill. tit. 2. tract. 2. cap. 7. num. 207. excuset comburentem, aut dantem alteri, qui habet facultatem legendi illos.

Quod attinet ad *imprimentes*, sciendum est, hoc nomine omnes comprehendi, qui ad libri impressionem cooperantur. Denique quod attinet ad *quomodolibet defendentes*, eo nomine comprehenduntur ii, qui librum hæretici, quatenus hæretici opus est, commendant, ab incendio, vel manu Inquisitoris vindicant. Tolet.

Postremo operæ pretium erit pauca adnotare ex Indice librorum prohibitorum, auctoritate Pii IV. Sixti V. & Clementis VIII. edito 1. duplicem esse librorum prohibitorum classem: in prima ponuntur auctorum omnium hæreticorum, vel de hæresi publice suspectorum libri, tum editi, tum imposterum edendi: & ex reg. &c. & ex reg. 2. libri hæresiarcharum, idest, qui hæreticorum capita, aut duces sunt, cujuscunque nominis, tituli, vel argumenti sint. Ad alteram vero classem pertinent libri, qui doctrinam non sanam, suspectam, vel moribus fidelium repugnantem continere judicantur, tametsi a catholicis auctoribus prodierunt.

Inter has duas librorum classes duo discrimina sunt. Primum quod primæ classis libri prohibitio sit propter auctores hæreticos, quorum proinde libri omnes de materia religionis prohibentur; tametsi eorum aliqui fortasse nullum manifestum errorem contineant, arg. cap. *Fraternitatis* de hæret. ubi hanc regulam Abbas tradit. Alterius autem classis prohibitio est propter doctrinas falsas, quæ in quibusdam libris, etiam catholicorum auctorum fuere deprehensæ, cujusmodi tamen libri non ante prohibiti censentur, quam speciatim in Indicem relati fuerint. Alterum

rum discrimen est, quod libri primæ classis prohibentur sub excomm. Papæ reservata per Bullam Cœnæ: libri autem secundæ classis sub excomm. non reservata.

II. Libri cujuscunque auctoris res obscœnas, seu lascivas ex professo tractantes penitus prohibentur, reg. 7. Indicis; iis exceptis, qui ab ethnicis v. g. Poetis conscripti sunt, atque ob sermonis elegantiam, & verborum proprietatem permittuntur: sed pueris prælegendi non sunt, nisi expurgati. III. Libri omnes, & scripta magica plane rejiciuntur, reg. 8. Indicis. Verum ob lectionem Magicorum, sicuti & obscœnorum, vel similium excommunicationis censura non contrahitur, sed solum peccatum mortale, si materia gravis adsit. Vid. reg. 10. Indicis in fine.

Animadvertendum. Exceptis libris primæ classis, alii libri passim solent prohiberi sub hac clausula, *donec expurgentur*. De his itaque libris aliqui apud Dianam docuerunt posse absque licentia retineri, donec correctio indulta sit: Hanc opinionem damnavit Alex. VII. prop. 45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

IV. Regula quarta indicis prohibetur, ne fideles sacra Biblia vulgari idiomate sine Episcopi, aut inquisitoris licentia legant, aut habeant. Hæc facultas Episcopis, & Inquisitoribus sublata fuit, observatione in hanc 4. reg. Ind.

V. Non licet bibliopolæ libros prohibitos emere, & vendere: & quamvis deceptus sit emendo, non ideo licet revendere: nam est merx substantialiter vitiosa, & prohibita.

APPENDIX.

De Librorum prohibitione.

TRia in hac appendice tribus distincta capitibus tractantur, non solum ad retundendam hæreticorum, præsertim novatorum audaciam, negantium habere Ecclesiam libros prohibendi copiam, atque facultatem; verum etiam ad refrenendam quorundam Theologorum licentiam, eandem Ecclesiæ auctoritatem, aut certis limitibus pro arbitrio circumscribentium, aut etiam contemnentium, saltem quoad modum, quem in librorum examine, proscriptioneve tenet. In primo itaque capite de concessa Ecclesiæ circa libros improbatæ lectionis potestate, deque disciplina, quam usque ad inventionem artis typographicæ servavit. In altero de nova Ecclesiæ disci-

plina, deque Apostolicæ Sedis sollicitudine in examinandis, proscribendisque libris post illius artis inventionem, & postquam ob hæreses, quæ in Europa sunt, tam immaniter crevit eorum numerus: ac de regulis in iis examinandis, deque modo. In tertio denique de pœnis in transgressores latis, deque decretorum vi, & auctoritate sermo instituetur.

CAPUT PRIMUM.

De Ecclesiæ circa libros improbatæ lectionis potestate, deque disciplina, quam circa eosdem servavit, cum nondum ars typographica inventa esset.

IMprobatæ lectionis libri sunt, qui religioni, bonis moribus, pietatique obsint. Hos vero libros proscribendi fecisse Christum Dominum Ecclesiæ suæ potestatem, tum ex munere Pastoribus concredito, tum etiam ex usu, quem ejusdem potestatis semper fecit, est omnino exploratum. Voluit enim, ut in ea essent pastores, qui eandem regerent usque ad consummationem sæculi; atque hos Episcopos vocat Lucas in Actis Apostolorum. Iisdem Christus pascendi oves suas onus, potestatemque clavium indidit, quæ passim in Scripturis ad supremam designandam potestatem adhibetur. At hæc omnia perperam Christus instituisset, si potestatem Ecclesiæ suæ non dedisset eripiendi ab hominum manibus noxios libros, qui maximo obstaculo sunt æternæ saluti hominum, quam omni studio, omnique conatu procurare debent pastores, & ad certam perniciem homines trahunt. Quis ergo dubitet, quin auctoritatem ei fecerit proscribendi perniciosos libros, ac opportunis etiam pœnis ab eorum lectione homines avocandi? Ex solo pastoris munere intelligi id facile posset; sed ut inexcusabiles omnino novatores essent, hanc potestatem notissimis ætate illa phrasibus, & luculentissimis verbis in Scripturis novi Testamenti explicavit: Extant autem illæ phrases, eaque verba Luc. 10. vers. 16. ad Hebr. 13. vers. 17. & alibi: Unde concludendum est Christum Ecclesiam suam instar Reipublicæ stabilivisse, in qua pastores præessent auctoritate freti ea prohibendi, præcipiendi, ac etiam certis pœnis interdicendi, quæ commune Ecclesiæ bonum postularent.

Fac vero hæc ambigua fore, atque in alienum sensum detorqueri posse. Si constet, hanc Apostolos, & Episcopos deinde eorundem successores exercuisse potestatem, eam-

natum Bibliothecæ, immo & qui apud alios quoque retineant, qui facultatem habeant, retento Dominio, nisi id per breve sit temporis spatium, quod aliquantulum extendi potest, dum justa causa adsit spei obtinendæ facultatis. Extenditur quoque excommunicatio illa ad eos, qui operam ad horum librorum editionem conferunt, ut sunt typographus, qui sumptus suppeditat, qui æneas litteras jungunt, & componunt, qui prælo excudunt, qui typos perlegunt, & corrigunt. Ac demum ad eos, qui hujusmodi libros defendunt, nimirum, qui eorum prohibitionem impediunt, quia eosdem utiles, bonosque esse, non vero damnandos prædicent, aliaque id genus agunt. Ii omnes in duplicem excommunicationem incidunt, alteram Bullæ, cujus absolutio Summo Pontifici reservata est, alteram Indicis, quæ non est reservata.

Dum vero libri sint ab hæretico homine conscripti, de Religione vero non tractent, sed Philosophiam, aliamque inferiorem facultatem exponant, si a Theologis, aliisque jussu Episcoporum, vel Inquisitorum examinati, approbatique sint, omnino permittuntur. Quia vero quotquot editi sunt ex hæreticorum officinis juxta præscriptam regulam Indicis editi non sunt, omnes cujusque argumenti per regulam XI. proscripti esse videntur. Sed ad Catholicorum loca delati universim veluti permissi haberi solent, donec Ecclesiæ judicio in damnatorum catalogum referantur: quia per Revisores deputatos ad idem examen librorum, qui in catholicorum civitates introducuntur, veluti examinati, probatique habentur. Quamobrem graviter peccant Revisores, si suspectos hujusmodi libros examinare negligant, ac mercatores etiam librorum, aliique qui scientes illos e suspectis typographiis prodiisse, eosdem de industria deputatis Revisoribus occultare studeant. Peccant itidem, & quidem graviter, qui hujusmodi libros legentes, in iisque vel hæreses, aut errores alios Religioni, pietatique contrarios offendentes Sacræ Congreg. vel Episcopis, aut Inquisitoribus, ut in catalogum prohibitorum referantur, eos denuntiare negligunt. Immo si libri alieni a Religione argumenti de Philosophia v. g. vel Jure civili, tales sint, ut hæreses plures sæpius inculcent; vel unam, eamdemque crebro inserant, ac persuadere conentur, sicuti passim usuvenire solet Novatoribus, si habentur pro libris de religione tractantibus, inquit doctissimus D. Gretserus, ac jam damnati sunt per generalem legem, tum Bullæ in cœna Domini, tum Indicis, illosque tenentes, ac legentes scienter sine necessaria licentia, hi in pœnas incidunt illis le-

gibus

gibus contentas. Addit etiam Gretserus lectionem libri, qui de religione non agat, sed aliquam hæresim tantum obiter contineat, excommunicationem secum ferre Indicis tantum, *ob materiæ parvitatem*.

Si liber, qui de religione non tractat, aut catholici auctoris, sub excommunicatione prohibeatur, reservationis vero, ac Bullæ Cœnæ mentio non fiat, excommunicatio illi reservata non est. Quapropter libri nonnulli sub excommunicatione vetantur, quæ Bulla Cœnæ continetur, quæque est Rom. Pontifici reservata. Alii vero sub pœna excommunicationis, quæ in regulis Indicis exprimitur, quæ tamen excommunicatio nulli reservatur: sed & aliqui sunt, qui prohibentur sub pœna tantum peccati mortalis, aliisque pœnis arbitrio Episcopi contumacibus infligendis, ut constat ex Constit. Pii Papæ IV. incip. *Dominici gregis*.

Nota 1. In Bulla Cœnæ non prohibentur libri Ethnicorum, Judæorum, & Mahumetanorum. Libri de Astrologia judiciaria, ac divinatione de rebus contingenter futuris prohibentur a Sixto V. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Summo Pontifici reservatæ. Celebriores Theologi censent, nomine librorum hæreticorum venire etiam libros Photianorum, Armenorum, Jacobitarum, & recentiorum Nestorianorum. Hæc quantum ad pœnas, nunc de Decretorum vi, & auctoritate agendum est. Id vero nonnullorum dubiorum solutione præstabimus. 2. Const. pluries cit. *Omnium sollicitudinum* Christifidelibus in Regno Madurienſi, aliisque finitimis Regionibus interdicitur „ Gentilium libros legere, & retinere „ sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, nisi prius „ habita licentia Parochi, sive Missionarii curam anima- „ rum exercentis, quorum prudentiæ committitur facul- „ tas super hoc dispensandi, libros (qui forte sunt) no- „ xia superstitione vacuos, nihil contra bonos mores tra- „ ctantes, pro Christianorum usu seligendi, eorumque le- „ cturam permittendi. “

Quæst. I. Utrum in prohibitione libri etiam manuscripta prohibita censeantur.

Resp. Affirm. Nam de manuscriptis eadem ratio viget, ac de libris: unde ex istorum prohibitione, etiam illorum prohibitio deprehenditur. Vetantur autem manuscripta eo prohibitionis genere, quo libri prohibentur; ita si manuscripta sint hominis hæretici, qui tractet de religione, prohibita censeantur sub iisdem pœnis, sub quibus hujusmodi libri ab Ecclesia prohibentur. Si vero sint auctoris Catholici, aut de religione non tractent, prohibeantur sub pœnis, sub quibus hujusmodi libri interdi-

terdicuntur. Ita sane omnes doctiores, & qui sunt in hisce rebus magis versati, sentiunt.

Quæst. II. Utrum libri Catholicorum prohibiti in uno, sint etiam in alio idiomate vetiti?

Resp. Affirm. Ita enim eruitur ex regula præscripta a Clemente VIII. parag. 6.

Quæst. III. Quinam concedere debeat legendi libros prohibitos facultatem?

Resp. Jus concessum Episcopis, & Inquisitoribus sublatum esse per Const. Gregorii XV. incip. *Apostolatus Officium*. Deinde istud idem jus concessum fuit Sacræ Congreg. Indicis, habetque Magister Sacri Palatii pro Roma, ejusque districtu. Hoc autem notatum volui, ut Lectores intelligant non posse Locorum Ordinarios hanc licentiam concedere, nisi illius concedendæ facultatem habuerint ab Apostolica Sede, Navarr. l. 1. consil. tit. 2. consil. 1. quæst. 36.

Quæst. IV. Utrum Decreta, quibus Romæ prohibentur libri, obligent omnes omnino Fideles?

Resp. Affirmat. Ex reg. Clem. VIII. supra cit. Nam *hujusmodi* Decreta de re sunt, quæ ad omnes fideles pertinet, cujusmodi est fidei, & morum doctrina. Quapropter ead. Sacra Congreg. id definivit die 4. Decembr. anni 1674. in solutione dubiorum ab Episcopo Malacensi propositorum.

Nota. Si alicubi ex Sedis Apostolicæ indulgentia, vel tolerantia usu receptæ non sint regulæ Indicis, ac Bullæ Cœnæ id unice inferri poterit, legentes libros prohibitos non incurrere in censuras in illis expressas. At certum est graviter peccare contra Ecclesiæ præceptum, quæ semper vetuit horum librorum lectionem, quæque eamdem per Romanum Pontificem inculcat, ac renovat.

Quæst. IX. Quid est Apostasia a fide?

Resp. Est totalis defectio, seu recessus a fide Christiana per Baptismum suscepta. Iisdem omnino pœnis, quibus hæresis, subjicitur; nam est vere hæresis, cum discedatur a fide. Præter illam triplex est alia apostasia, ab obedientia, quæ si late sumatur, reperitur in omni peccato mortali; si stricte, consistit in eo, quod quis justis præceptis Superiorum suorum se opponit, & obedire recusat: ab ordine clericali, quæ consistit in eo, quod quis sacro Ordine initiatus deserit habitum clericalem, ut more laici vivat: & a religione, estque recessus a statu religioso ad statum vitæ sæcularis, dimisso habitu Religionis, vel cum animo non redeundi.

(*) Nota. Qui a Turcis capti sunt in puerili ætate, nec de rebus fidei ad salutem necessario credendis unquam

quam edocti, putaverunt sectam Mahumetanam esse bonam, & secundum eam viventes salvari; si redeunt ad fidem catholicam non abjurant, sed expediuntur cum professione fidei, absolutione a censuris ad cautelam, & cum instructione. Congreg. S. Officii 12. Maji 1604. Si autem in apostasiam inciderunt adulti, aut scienter ratum habuerunt Apostasiæ delictum, recipiendi sunt tamquam apostatæ formales, cum comminatione pœnarum in casu relapsus. Eadem Congregatio die 18. Septembris 1577. Nunquam tamen apostatæ a fide catholica capti a Christianis super naves Turcarum permittuntur redimi a Turcis. Eadem Congregatio die 29. Martii 1591. & die 15. Novemb. 1607.

Quæres, An apostatæ a fide, si deinde capiantur a Christianis super navigiis Turcarum, libertate donandi sint, vel remaneant servi?

Resp. Si capti sunt in puerili ætate, & apostatarunt, remaneant liberi. Ead. Congregatio die 8. Februarii 1624. Si adulti, distinguo: si quidem piraticam exercentes contra Christianos sunt captivi: secus, si capiantur super navigio mercatore non apto ad pugnandum contra Christianos. Eadem Congregatio die 7. Martii 1649. & 15. Junii 1653. Rursus cum capiuntur pugnantes contra Christianos, inspiciendum an coacte pugnaverint: & si quidem ita eos pugnasse deprehendatur, navemque conscendisse, ut facilius catholicæ fidei se restituerent, reconciliandi essent, & libertate donandi. Eadem Congregatio die 1. Februarii 1629.

Adulti, qui a christiana fide abscesserunt, si deinde ad eamdem revertantur, non tenentur apostasiam suam coram infidelibus publice cum periculo vitæ retractare: sed satis est, ut coram fidelibus expresse id faciant: implicite vero apud infideles deponendo habitum, qui sit protestativus falsæ sectæ, & abstinendo ab actibus infidelitatis. Ita respondit Sac. Congreg. S. Officii ad 1. ex dubiis propositis a P. Francisco Longobardo Ordinis Min. Missionario Tuneti in Africa.

Ad dubium autem, quo idem P. Longobardus ab eadem Congregatione petiit quomodo se gerere debeat Confessarius erga Apostatas pœnitentes in articulo mortis constitutos, cum ab illis secreto accersitur, ut secreto absolvat, ne si morituri suam pœnitentiam aperiant, ad actus falsæ religionis inducantur ab infidelibus, quin abnuere possint absque mortis periculo? Sacra Congregatio censuit Confessarium debere absolvere pœnitentem apostatam in articulo mortis constitutum, abjurata prius verbo apostasia in foro conscientiæ. Et si per aliquod temporis spa-

tium supervixerit, & poterit, relinquat chirographum suæ detestationis declarativum, saltem signo crucis conscriptum. Quod si neque hoc posset, committat Confessario, ut suam abjurationem fidelibus manifestet. Non autem teneri tunc apostatam pœnitentem in articulo mortis constitutum, & suadentibus Turcis, cum periculo vitæ fidem catholicam, quam tunc, abjurata infidelitate, amplexus est, confiteri, sed eorum suasiones eludere, vel non respondendo, vel æquivocis verbis utendo. Ad hanc quæstionem iterum motam ann. 1725. de Neophytis Tunkinensibus apostatis ad christianam religionem redeuntibus, Congregatio S. Officii die 29. Novembris ejusdem anni confirmato Decreto mox allato in eamdem sententiam respondit. Videatur etiam Decretum ejusdem Congreg. die 5. Septemb. 1636.

APPENDIX.

De communicatione in Divinis cum Hæreticis, & Schismaticis.

DUo in hac appendice a nobis præstanda sunt, primum motiva illa indicanda, quibus communicatio hujusmodi jure naturali, & divino prohiberi demonstratur; deinde vero hæc generalia principia ad particulares casus applicabimus, in quibus Supremæ Inquisit. Decreto definitum est, communionem hanc esse omnino devitandam. Primo itaque, qui cum hæreticis, vel schismaticis in Religionis actibus communicant, hujusmodi communione, facto ostendunt suo sese orthodoxæ religioni renuntiare, atque eorumdem sectam approbare; aut saltem hæreticæ, vel schismaticæ communionis exterius sese manifestant, & simulant, sicque exterius orthodoxam fidem negant, vel falsam sectam simulant; quod, ut capit. 2. abunde demonstravimus, nullo modo licet. 2. Communicans in divinis cum hæreticis, & schismaticis, illis occasio est, ut credant, ipsum probare tamquam veram eorum sectam, & fidem; utque putent ipsum fidem orthodoxam negasse, ac præterea exemplo suo etiam simpliciores ad communicandum allicit, in quibus maximum est subversionis periculum. Id autem est de se malum, ac prohibitum, ut patet. 3. Periculum subversionis quisque vitare tenetur, quod vix potest vitare, qui cum hæreticis, & schismaticis in divinis communicat propter facilitatem ob hujusmodi communionem ex animo aversionem illam abjiciendi, qua hæresim, & schisma detestari teneamur. Nam ex historia Missionum constat, ob hanc

com-

communionem plures, præsertim in Oriente perversos esse. Accedit schismaticorum, & hæreticorum Ecclesias vel dicatas esse schismaticis, vel hæreticis, quos impie colunt, ut sanctos; vel horum imagines, & reliquias habere; vel festa in istorum honorem celebrari, vel denique in sacris Liturgiis inter Sanctos recenseri. Præterea in iisdem liturgiis commemoratio fit viventium Episcoporum, & Patriarcharum, qui hæretici, vel schismatici sunt, iique tamquam eximii orthodoxæ fidei Prædicatores laudantur. Atque hinc patet, quam difficile sit cum hujusmodi schismaticis, & hæreticis in divinis communicare, quin vel in ritu communicemus schismatico, & hæretico, vel in actibus, qui schismatis, & hæreseos protestativi sint.

Hæc satis sunt ob ostendendum illicitam esse hujusmodi communionem, sed pro majori Missionariorum instructione decreta nonnulla indicabimus Sacræ Congregationis quibus in casibus ab iisdem propositis omnino illicita decernitur. Primo itaque illicita decernitur, quando in locis hæreticorum, vel schismaticorum Sacerdotes catholici non sunt, qui Missas celebrent, Officiaque divina persolvant, ita ut fideles in locis illis commorantes potius missa carere debeant, quam schismaticorum sacro interesse. Ita Sacra Congregatio die 4. Decemb. 1668. & 7. Augusti 1704. & 6. Augusti 1710. Secundo. In hæreticorum, & schismaticorum Ecclesias, oratoria, & conventicula convenire non licet sive ad audiendas ipsorum conciones, aut vitandæ persecutionis, aut cujusvis damni gratia; vel ex curiositate, aut etiam animo detegendi eorum errores, quo facilius confutari queant, juxta Epistolam Pauli V. Kalend. Octobris ann. 1606. ad catholicos Anglos datam, & Sup. Inq. Decretum die 27. Maji 1671. ubi prohibetur vel ipsis militibus „ testimonium frequen-„ tationis concionum exhibere, ut stipendia recipiant; & „ nisi ab iis abstineant non esse dispositos ad Sacramen-„ tum Pœnitentiæ. “

Tertio. Non licet Sacerdotibus catholicis in Ecclesiis hæreticorum Sacrificium Eucharisticum, vel divina Officia celebrare, etiamsi pro illis altaria sint a schismaticorum altaribus diversa, sed ad id aris portatilibus utantur in privatis domibus. Ita Congregatio de Prop. Fide 21. Maji 1627. & 13. Augusti ejusdem anni. Neque licet permittere hæreticis, & schismaticis, ut in nostris Ecclesiis celebrent, licet *amota prius sit petra sacrata*. Ex eadem Congreg. 26. Septemb. 1695. Quarto. Non licet extra casum necessitatis Sacramenta ex hæreticis recipere; est enim iis jurisdictionem tribuere, qua carent, atque iisdem

dem ut veris Ecclesiæ Ministris honorem deferre. Ita Sacra Congregatio Sup. Inquisit. die 26. Septembris 1668. die 20. Junii 1708. & 1709. die 28. Augusti. Quinto. Non licet schismaticorum funus comitari ex Decr. 30. Martii 1628. neque operam cum iisdem conferre ad sepeliendum cadaver schismatici, vel hæretici in Ecclesia catholicorum, vel etiam catholici juxta ritum schismaticorum ex Suprem. Inquisit. Decret. 23. Julii 1609. & 6. Novemb. 1647. Nec denique orare cum schismaticis pro eorum defunctis; id enim est probare schisma, ostendendo in eo sive extra Ecclesiam esse spem æternæ salutis, atque honorem schismaticæ sectæ deferre. Id etiam constat ex nonnullorum dubiorum solutione, quæ prodiit ex Supr. Inq. die 10. Maji anno 1753. nec non ex iis, quæ Bened. XIV. ad hanc materiam docuit in ejus Tr. de Syn. Diœc. l. 6. cap. 3. quæ pro majori instructione illius, qui ex Peloponeso dubia proposuerat, aliorumque Missionariorum ead. Sacr. Congr. Sup. Inq. transcribi mandavit, & ad præfatos missionarios mitti. In his enim quævis communicatio in divinis cum hæreticis, & schismaticis, etiam non denuntiatis, seclusoque perversionis, & scandali periculo, urgente etiam gravissima causa, extra casum necessitatis, illicita reputatur.

PARS SECUNDA.

De Spe.

Quæst. I. QUid est Spes?

Resp. Spes actualis est fiducia certa obtinendi beatitudinem æternam a Deo per media ab ipso statuta. Spes habitualis est habitus per se infusus actuum spei ex auxilio gratiæ elicitivus. Hinc 1. Spes est actus æquivalens duobus actibus, quorum unus est tantum desiderium efficax beatitudinis, seu amor Dei, ut summi nostri boni: & alter est confidentia, seu erectio voluntatis adversus difficultates in prosecutione beatitudinis occurrentes, fundata in auxiliis, & promissionibus divinis. Ac proinde spei duplex est objectum formale, seu motivum, unum totale constituens: nam motivum desiderii est Dei bonitas relativa, cujus possessio potest nos perfecte beare: motivum vero confidentiæ est multiplex Dei perfectio, nempe benignitas, misericordia, omnipotentia,

tia, & fidelitas in promissis factis propter merita Christi ad Tit. 1. & Psalm. 17. 2. Spei objectum materiale primarium est Deus possidendus, secundarium sunt media salutis a Deo instituta, nempe gratia, & bona opera ex viribus gratiæ facta, sine quibus spes esset mera præsumptio: item bona temporalia, quatenus per bonum usum ex gratia Dei ad salutem conducere possunt: uno verbo omnia, quæ in oratione Dominica continentur; Deum autem possidendum esse objectum primarium spei patet ex Gen. 15. Joann. 3. & ex August. lib. 22. de Civit. Dei cap. 30. Hinc 3. ad spem pertinet timor privationis gratiæ Dei, & ejus possessionis.

Dixi, *certa*, scilicet ratione sui, & quantum est ex parte Dei. Est tamen incerta respectu nostri. Nam non sumus certi de nostra cooperatione, & perseverantia ad salutem necessaria, Eccli. 9. & ad Phil. 2. Possumus tamen, & debemus sperare perseverantiam finalem: nam ad hoc sufficit, quod sit certo futura conditionate, nempe sub hac conditione, si non defuerimus gratiæ Dei. Est autem certo futura sub hac conditione: id enim docet Concil. Trident. sess. 6. cap. 13. ubi de perseverantia loquitur.

Quæst. II. An detur (7) præceptum speciale Spei?

Resp. Affirm. Nam spes est medium ad salutem necessarium Rom. 6. Est dispositio necessaria in adulto ad justificationem obtinendam ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 6. Deus autem præcipit omnia media ad salutem necessaria. Præterea Deus non vult salvare adultos sine propria cooperatione, quæ non fit sine spe. Hinc Alex. VIII. damnavit hanc propositionem: „ Homo nullo unquam vitæ „ suæ tempore tenetur elicere actus fidei, spei, & chari- „ tatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes per- „ tinentium. " Præceptum spei obligat ad eliciendos suo tempore actus spei &c. prohibetque præsumptionem, desperationem, & incuriam salutis.

Quæst. III. Quandonam præceptum spei obligat ad elicien-

---

(7) Spes tripliciter necessaria est, nempe necessitate medii, quia ex Tridentino, sine illa obtineri non potest, nec gratia justificationis; si quis sit peccator; nec perseverantia in ipsa, si sit justus. Hæc autem spei necessitas vel ad ipsos infantes extenditur, quibus tamen sufficit spei habitus, quem in baptismo cum aliis virtutibus accipiunt. 2. Necessitate præcepti naturalis; cum lex naturæ præcipiat, ut media ad finem necessaria, cum in nostra potestate sunt, adhibeamus. 3. Necessitate præcepti divini, ut hic Auctor scribit.

CAPUT SECUNDUM.

De stabilita per Apostolicam Sedem disciplina circa examen, proscriptionemque librorum post inventam artem typographicam, ac post ortas Lutheri, Calvinique hæreses.

SUperiori in capite ostendimus, qua via Ecclesiæ Pastores e fidelium manibus impiorum libros eripuerint, cum nondum ars typographica inventa esset. At ea inventa, ann. 1460. ortisque Lutheri, & Calvini erroribus, quamvis adhuc viguerit, vigeatque etiamnum usus comburendi per manus carnificis certum librorum genus, idque satis sit ad conciliandam iniquis auctoribus infamiam, & ad ostendendam Ecclesiæ voluntatem, quæ illos abolitos vellet, tamen sufficiens non est ad omnia prorsus perdenda typis evulgata, & dissitis in locis in multorum manus delata exemplaria. Quamobrem nova, atque aptiori disciplina fideles ab horum librorum lectione deterrere oportuit. Itaque Leo X. combustis nonnullis Lutheri scriptis, interdictisque sub anathematis pœna illius operibus in Concil. Later. anno 1515. sess. 10. vetuit, ne deinceps imprimerentur libri, nisi prius in Urbe ab ipsius Vicario, & Magistro Sacri Palatii, aut à personis ab ipso deputatis, examinati essent, in aliis locis vero ab Episcopo, vel ab ejus Deputato, aut ab Inquisitore hæreticæ pravitatis ejus Civitatis, & Diœcesis, in qua impressio fieret. In transgressores vero, præter excommunicationem, suspensionem ab exercitio artis, amissionem librorum, aliasque pœnas arbitrio Ordinarii infligendas constituit. Deinde etiam Julius III. cavit, ne cui liceret, libros Lutheranorum, aliorumque hæreticorum legere, aut habere apud se, idque sub pœnis spiritualibus, & temporalibus, quæ in hæreticos latæ essent.

Sed cum plures quotidie prodirent hæretica labe conspersi libri, qui, mentito plerumque auctoris nomine, ac variis artibus ita errores occultabant, ut facile non esset eos a catholicorum libris secernere, ac simplices illorum lectione decipere, ac seducere possent, communi orthodoxorum voto Catalogus, sive Index librorum, quorum lectio perniciosa foret optabatur. Hinc etiam Carolus V. Facultati Lovaniensi jussit, ut librorum hæreticorum, vel hæreseos suspectorum catalogum texeret, qui auctoritate ipsius Caroli V. ann. 1546. vulgatus fuit. Cum vero assidue novi hæreticorum libri prodierint, fusiorem quoque edi-

edidit eadem facultas, quem addito speciali Edicto Imperator publicari mandavit ann. 1556.

Sed cum istiusmodi indices summæ auctoritatis non essent, quæ omnes ubique fideles obligaret, ac libri etiam, qui ab hæreticis italica lingua editi essent, desiderarentur, Paulus IV. P. M. ann. 1557. Inquisitoribus contra hæreticam pravitatem mandavit, ut Indicem conficerent, confectumque eodem anno vulgavit cum hoc titulo: *Index* Alphabetico ordine distinctus &c. Edidit præterea idem Pontifex alium indicem ann. 1558. die 30. Decembris, quem initio anni 1559. vulgavit latis censuris contra legentes, & tenentes libros prohibitos in Bulla Cœnæ expressis, additis etiam aliis gravissimis pœnis. Pius autem IV. Pauli successor rigorem temperans totum illud Indicis librorum negotium ad Concil. Trident. detulit. Sed cum hac in re Concilium non valde proficere prospexisset, etiam iterum ad Sedem Apostolicam deferendum statuit. Jamvero Pius IV. Indicem librorum prohibitorum a viris præstantissimis editum, & regulas quasdam per suas litteras in forma Brevis promulgavit, & ejusmodi noxiorum librorum detrimentis depellendis opportune providit, ut refert Clemens VIII. in Const. cujus initium est: *Sacrosanctum &c.* Litteræ autem Pii IV. initium habent, *Dominici gregis &c.* Clemens vero VIII. hac ead. Const. eumdem Indicem, postea a Sixto V. auctum, Apostolica auctoritate recognitum publicavit: *Instructione adjecta de exequendo prohibitionis Decreto, deque sincere emendandi, & imprimendi libros ratione.* Hujus Indicis confectionem commiserat Greg. XIII. Sacræ Indicis Congreg. a S. Pio institutæ. Index vero auctus fuit sub Sixto V. ac absolutus sub Clem. VIII. Itaque Apostolicæ Sedis cura Librorum improbatæ lectionis Indices plures prodiere, ac novis occurrentibus libris, iterum aucti in lucem mittuntur. Præter Congregationem Supr. Inquisitionis aliam quoque Cardinalium Congreg. quæ Indicis appellatur, instituit S. Pius V. eamque novis facultatibus auxit Sixtus V. novisque privilegiis roboravit Clemens VIII. in supra cit. Const. Hæc autem indicavi, ut inde omnes agnoscant, quæ fuerit, quæque nunc sit Rom. Sedis pro impedienda noxiorum librorum lectione, sollicitudo: quantumque ejusdem hac de re Decretis debeatur obsequium.

Sed videamus, quas regulas pro dijudicandis, vetandisque libris stabilierit, & qua ratione ad eosdem proscribendos procedat. Libri, qui in hujusmodi catalogum referri debent, inquit, Pius IV. Contr. incip. *Dominici gregis*, ii sunt, *qui vel hæretici sunt, vel de hæretica*

pra-

pravitate suspecti, vel certe moribus, & pietati nocent. Hæc sane præcipua, ac generalis regula est, atque ad hanc facile revocantur prohibitiones etiam librorum in odium Auctorum, eorumque, qui ob non servatas in Editione præscriptas ab Ecclesia regulas vetantur; ut rem serio expendenti liquet. Quæ autem methodus sit, quam Apostolica Sedes in iis examinandis proscribendisque libris servet, habes ex Constit. II. D. N. Benedicti Papæ XIV. in qua facta prius commemoratione de sollicitudine, in quam Summi Pontifices, præsertim Pius IV. S. Pius V. & Clemens VIII. incubuerunt circa librorum improbatæ lectionis proscriptionem, deque duabus Congregationibus, altera nempe *Inquisitionis Universalis*, altera *Indicis*, ad id operis ab iisdem institutis, nec non de personis, ex quibus utraque Congregatio conflata est, quasdam deinde regulas statuit, quas ab illis in librorum examine inviolabiliter servandas esse decernit. En illæ.

„ *Primo* inquit, uni ex Qualificatoribus, aut Consultoribus a Congregatione designando, liber tradatur, quem is attento animo legat, ac diligenter expendat; tum censuram suam scripto consignet locis indicatis, & paginis, in quibus notati errores continentur. Mox liber cum animadversionibus Revisoris ad singulos Consultores mittatur, qui in Congregatione pro more habenda singulis Feriis secundis in Ædibus S. Officii de libro, & censura sententiam dicat; ipsa deinde censura cum libro, & Consultorum suffragiis ad Cardinales transmittantur, ut hi in Congregatione, quæ Feria quarta haberi solet in Prædicatorum Cœnobio S. Mariæ supra Minervam nuncupato de tota re definitive pronuntient. Post ab Assessore S. Officii Acta omnia ad Pontificem referantur, cujus arbitrio judicium omne absolvetur.“

„ Cum autem sit veteri institutione receptum, ut Auctoris Catholici liber non unius tantum Relatoris perspecta censura, illico proscribatur; ad normam præfati decreti mensis Julii Anni 1750. volumus eam consuetudinem servari; ita ut si primus Censor librum proscribendum esse judicet, quamvis Consultores in eandem sententiam conveniant, nihilominus alteri Revisori ab eadem Congreg. electo liber, & censura tradatur, suppresso primi Censoris nomine, quo alter judicium suum liberius exponat. Si autem secundus Revisor primo assentiatur, tum utriusque animadversiones ad Cardinales mittantur, ut iis expensis de libro decernant: at si secundus a primo dissentiat, ac librum dimittendum existimet, tertius eligatur Censor; cui,

„ suppresso priorum nomine, utraque censura communi-
„ cetur. Hujus autem relatio, si a priore Consultorum
„ sententia non abludat, Cardinalibus immediate com-
„ municetur, ut ipsi quod opportunum fuerit, decer-
„ nant. Sin minus, iterum Consultores, perspecta ter-
„ tia Censura suffragium ferant; idque una cum omni-
„ bus præfatis relationibus Cardinalibus exhibeatur, qui,
„ re ita mature perpensa, de controversia denique pro-
„ nuntiare debebunt. Quotiescunque autem Pontifex,
„ vel ob rei, de qua in libro agitur, gravitatem, vel
„ quia id Auctoris merito, aliisque circunstantiis tri-
„ buendum censeat; libri judicium coram seipso in Con-
„ gregatione Feriæ 5. habendum decernit . . . . tunc
„ satis fuerit exhibere Pontifici, & Cardinalibus libri
„ censuras, & Consultorum suffragia, omisso examine Fe-
„ riæ 4. ejusque relatione, quam per Assessorem Pontifi-
„ ci faciendam diximus: nam Cardinalium suffragiis co-
„ ram ipso Pontifice ferendis, atque hujus definitiva sen-
„ tentia, vel alio opportuno consilio in eadem Congre-
„ gatione capiendo res absolvetur. “

Hæc quantum ad Inquisitionis Universalis Congrega-
tionem: quantum vero ad Congregationem Indicis ita
pergit Summus Pontifex „: Cum Congregatio Indicis
„ ad librorum censuram unice instituta, non ita crebro
„ convocari soleat, ut altera S. Officii Congregatio ....
„ illius propterea Secretario peculiare munus, & officium
„ recipiendi librorum denuntiationes, ut fieri jam antea
„ consuevit, committimus, & demandamus. Is autem a
„ libri delatore percunctabitur diligenter, quas ob causas
„ illum prohiberi postulet; tum librum ipsum haud per-
„ functorie pervolvet, ut de proposita accusationis subsi-
„ stentia cognoscat duobus etiam in eam rem adhibitis
„ consultoribus ab ipso, prævia Summi Pontificis, aut
„ Cardinalis Præfecti, vel ejus, qui Præfecti supplet vi-
„ ces, approbatione eligendis. Quorum collato consilio,
„ si liber censura, & nota dignus videatur, unus aliquis
„ Relator ad ferendum de eo judicium idoneus, illius
„ nempe facultatis, de qua in libro agitur, peritus, ea-
„ dem, qua nuper innuimus ratione eligendus erit, qui
„ scripto referat animadversiones suas, adnotatis paginis,
„ quibus singula ab ipso reprehensa continentur. Sed an-
„ tequam ejus censura ad Cardinalium Congregationem
„ feratur, haberi volumus privatam Consultorum Con-
„ gregationem, quam olim *Parvam*, dixerunt, Nos au-
„ tem *Præparatoriam* vocamus, ut Relatoris animadver-
„ sionibus collatis, de earum pondere judicium fiat. Hu-
„ jusmodi Congregatio semel omnino singulis mensibus,

„ aut etiam sæpius, si oportuerit, ab ipso Congregationis Secretario convocanda erit, vel in suis cubiculis, vel opportuniore, ut ipsi videbitur, loco intra prædicti Cœnobii Ædes, ubi is commoratur. Eique semper intererit Magister Sacri Palatii pro tempore existens, una cum sex aliis e numero Consultorum, singulis vicibus, pro qualitate argumenti, & materiæ, de qua disputandum erit, ut supra de primis duobus Consultoribus, & de Relatore constitutum est, a Secretario eligendis, præter Secretarium ipsum, cujus partes erunt in tabulas referre Consultorum sententias, quas deinde ad Congregationem Cardinalium mittet, cum Relatoris censura. In generali demum Congregatione omnia illa servari debebunt, quæ superius statuta sunt pro Congregatione S. Officii. At quemadmodum ad Assessorem S. Officii pertinet de Actis in Congregatione Summ. Pontificem certum reddere; ita ad Secretarium Congregationis Indicis spectabit, quoties hæc librum aliquem proscribendum, aut emendandum censuerit, ejusdem Pontificis assensum, prævia diligenti actorum omnium relatione, exquirere. “

Addit nonnulla pro Indicis Congregatione, quæ tamen etiam ab altera Congregatione servari vult, dum de librorum prohibitione judicium sumit. Sunt autem sequentia: „ Quotiescunque agatur de libro Auctoris Catholici, qui sit integræ famæ, & clari nominis, vel ob alios editos libros, vel forte ob eum ipsum, qui in examen adducitur, & hunc quidem proscribi oporteat; præ oculis habeatur usu jam recepta consuetudo prohibendi libros adjecta clausula, *donec corrigatur*, seu *donec expurgetur*, si locum habere possit, nec grave quidpiam obstet, quo minus in casu, de quo agitur, adhiberi valeat. Hac autem conditione proscriptioni adjecta non statim edatur decretum, sed suspensa illius publicatione, res antea cum auctore, vel quovis altero pro eo agente, & rogante communicetur, atque ei quid delendum, mutandum, corrigendumque fuerit, indicetur. Quod si nemo auctoris nomine compareat, vel ipse, aut alter pro eo agens, injunctam correctionem libri detrectet, congruo definito tempore decretum edatur: Si vero idem auctor, ejusque procurator Congregationis jussa fecerit, hoc est, novam instituerit libri editionem cum opportunis castigationibus, aut mutationibus; tunc supprimatur proscriptionis decretum, nisi forte prioris editionis exemplaria magno numero distracta fuerint; tunc enim ita Decretum publicandum erit, ut omnes intelligant primæ editionis exem-

„ plaria duntaxat interdicta fore, secundæ vero jam emen-
„ datæ permissa.“

His absolutis injustam aliquorum querelam retundit, quod librorum judicia, & proscriptiones inauditis auctoribus prodeant, nullo ipsis loco ad defensionem concesso: atque hujus generis proscriptiones tamquam firmas, ratasque agnoscit, quod fiant non in auctoris dedecus, & ignominiam, sed ad fidelium utilitatem, atque salutem: unde opus non est, ut auctor in judicium vocetur. „ Nihilotamen minus, inquit, quod sæpe alias, summa
„ æquitate, & prudentiæ ratione ab eadem Congreg. fa-
„ ctum fuisse constat, hoc etiam in posterum ab ea ser-
„ vari magnopere optamus, ut quando res sit de aucto-
„ re cathol. aliqua nominis fama illustri, ejusque opus
„ demptis demendis in publicum prodesse posse digno-
„ scatur, vel auctorem ipsum suam causam tueri volen-
„ tem audiat, vel unum ex Consultoribus designet, qui
„ ex Officio operis defensionem, ac patrocinium susci-
„ piat.“

Tandem sicuti Congregationi S. Officii suam præsentiam pollicetur, ubi de libro, cujus materia gravioris momenti sit, judicium agatur; ita & alteri Congregationi in simili casu eandem promittit; non tamen „ si vel
„ hæretici hominis liber denuntietur, in quo auctor er-
„ rores catholico dogmati adversantes consulto tradit;
„ aut tuetur; vel opus aliquod in examen adducitur,
„ quo rectæ morum regulæ labefactantur. In his enim
„ casibus ne illas quidem, quas suprascripsimus, regulas
„ adhibere necesse erit.“

Injungit quoque Relatoribus, Consultoribus, & Cardinalibus Indicis hisce de rebus silentium, ab altera Congr. jam severissime præscriptum, & religiose servatum: facta tamen Secretario ejusdem Indicis potestate communicandi sub eadem secreti lege, eorum auctoribus, aut aliis eorum nomine agentibus, & postulantibus animadversiones in libros censuræ subjectos; suppressis semper Denuntiatoris, Censorisque nominibus.

Ostendit præterea, quibus prærogativis, & dotibus insignitos esse oporteat Congregationis Indicis Revisores, & Consultores: atque hac occasione in mentem revocat Clementis Papæ VIII. instructionem decem Regulis a Patribus Syn. Trid. confectis, editisque pro examinandis corrigendisque libris adjectam, in qua *Tit. de Correct. Libror.* parag. 5. Episcopis, & Inquisitoribus committitur, ut ad librorum edendorum examen „ spectatæ pietatis,
„ & doctrinæ viros adhibeant, de quorum fide, & inte-
„ gritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiæ daturos,
„ nihil

„ nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei „ duntaxat gloriam spectaturos, & *fidelis* populi utilita„ tem " i. Tales porro esse debere Indicis Revisores, & Consultores decernit Bened. XIV. „ Hoc tamen (addit) „ jam nunc decernentes, quatenus eorum numerus defi„ niatur, ut tam Relatores, quam Consultores ex utro„ que Clero, Regulari nempe, & Sæculari assumantur: „ alii quidem Theologi, alii utriusque Juris periti, alii „ sacra, & profana eruditione præstantes, ut ex eorum „ cœtu, pro varietate librorum, qui ad Congregationem „ deferuntur, idonei Viri non desint ad ferendum de „ unoquoque judicium. "

Qua vero ratione ipsi officio suo persungi debeant, quinque omnino regulis ab eis diligenter inspiciendis, accurateque custodiendis explicat, atque illustrat. Prima „ est, „ ut diligenti studio, ac sedato animo librum ad „ examinandum sibi traditum expendentes (Revisores) „ fideles observationes suas, verasque rationes Congrega„ tioni suppeditent, ex quibus rectum judicium de illo „ ferre, ejusque proscriptionem, emendationem, aut di„ missionem pro merito decernere valeat. 2. Si forte eve„ niat, ut alicui per errorem materia aliqua discutienda „ committatur ab illius peculiaribus studiis aliena, id„ que a Censore, vel Consultore electo ex ipsa libri le„ ctione deprehendatur, is quamprimum id Congrega„ tioni, vel Secretario aperiat, seque ad ferendum de „ hujusmodi libro censuram minus aptum professus alium „ magis idoneum ad id muneris subrogari curet. 3. De „ variis opinionibus, atque sententiis in unoquoque libro „ contentis, animo a præjudiciis omnibus vacuo, judi„ candum esse sciant. Itaque Nationis, familiæ, Scho„ læ, instituti affectum excutiant, & Ecclesiæ sanctæ dog„ mata, & communem Catholicorum doctrinam unice „ præ oculis habeant, & juxta ipsa de opinionibus, at„ que sententiis judicium ferant. " 4. Ut rectum judicium de vero auctoris sensu fieri possit, oportet quod omni ex parte ipsius liber legatur; universumque auctoris consilium, & institutum attente inspiciatur; sæpe enim, quod ab auctore in aliquo operis loco persunctorie, & subobscure traditum est, in alio loco distincte explicatur, offusæque prioris sententiæ tenebræ penitus dispelluntur, omnisque labis expers propositio dignoscitur. 5. Quod si ambigua quædam exciderint auctori, qui alioqui catholicus sit, & integra Religionis, doctrinæque fama, æquitas ipsa postulare videtur, ut ejus dicta benigne, quantum licuerit, explicata in bonam partem accipiantur. De libris, in quibus falsa, & reprobata dogmata, aut syste-

 mata

ciendum actum spei? Hujus quæstionis solutionem habes 1. p. c. 2. q. 4. ubi quæritur, *Quandonam præceptum fidei internæ obliget*.

Quæst. IV. Quænam sunt peccata spei opposita?

Resp. Sunt desperatio, præsumptio, & incuria salutis. Desperatio est diffidentia obtinendi beatitudinem, ac media ad illam necessaria. Præsumptio est inordinata fiducia obtinendi beatitudinem aliter, quam Deus ipse statuit esse obtinendam. Est autem inordinata 1. Cum quis præsumeret obtinere gloriam ex solis naturæ viribus per opera naturalia. 2. Si quis speret beatitudinem sine bonis operibus; vel si statuat perseverare in peccatis quamdiu bene valet, sperans se acturum pœnitentiam in articulo mortis. Præsumptio extenditur etiam ad tentationem Dei, de qua alibi. Ad incuriam salutis pertinet ea animi abjectio, qua quis vellet bonis terrenis perpetuo frui. Hæc peccata sunt per se mortalia, cum sint opposita virtuti theologicæ; & graviter injuriosa Deo. S. Aug. serm. 87. de verb. Evang. nov. edit.

PARS TERTIA.

De Charitate.

CAPUT PRIMUM.

Quæst. I. QUid est charitas?

Nota. Amor proprie dictus est affectus, quo voluntas adhæret bono præcise, quia bonum est. Dividitur in amorem charitatis, seu benevolentiæ, & est ille, quo quis amat alterum propter ipsum, & bona illius tamquam bona illius, quia sibi complacet in illius persona propter propriam ejus perfectionem: Hic amor vocatur amicitiæ, quando persona amata similiter afficitur erga personam amantem. Et in amorem concupiscentiæ, & consistit in eo, quod quis amat seipsum, & bona sua, tamquam sua, vel alium tamquam sibi bonum.

Resp. Charitas actualis, quæ præcipitur, est actus amoris benevolentiæ, quo Deum super omnia propter se, & nos ipsos, & proximum sicut nos ipsos propter Deum efficaciter amamus. August. l. 8. de Trin. cap. 8. Charitas vero habitualis est habitus per se infusus actuum cha-

ritatis cum auxilio gratiæ elicitivus. Quare ex communi sententia, charitatis objectum materiale primarium est Deus; secundarium nos ipsi, & proximus. Nam eodem habitu charitatis, quo Deum amamus, etiam nos ipsos, & proximum propter Deum diligimus. Objectum vero formale, seu motivum est Deus ipse, quatenus in se bonus, ac perfectus, sive ipsum esse divinum absolute, & in omni genere infinite perfectum. Id, quod patet ex definitione charitatis mox data. Hinc charitas differt ab amore spei, seu concupiscentiæ, quo amamus Deum præcise, ut nostrum summum bonum, seu quatenus nobis bonus est, & nos perfecte beare potest. Secus amor charitatis; & ratio est quia cum charitas sit virtutum omnium præstantissima, debet habere motivum omnium præstantissimum, ideoque Deum ipsum, prout est in se.

Quæst. II. Quænam bona Deo velle debemus?

Resp. Deo velle debemus bona tum intrinseca, tum extrinseca. Bona Dei intrinseca sunt omnes perfectiones possibiles infinitæ, quas Deus habet in se. Bonum Dei extrinsecum est gloria ejus extrinseca, quæ consistit in manifestatione ejus perfectionum, & in eo, quod perfecte cognoscatur, colatur, laudetur, & ametur a creaturis. Itaque cum amare sit velle bonum, amare Deum est hæc omnia bona velle illi per modum complacentiæ, & desiderii, quoad possumus, efficacis, & efficientis.

Quæst. III. An charitas est virtus omnium præstantissima.

Resp. Affirm. Ratio est, quia habet objectum, & motivum omnium præstantissimum, attingitque Deum modo perfectissimo, nempe propter seipsum. 1. Ad Corinth. 13. & ad Coloss. 3.

Quæst. IV. Quinam sunt charitatis actus proprii, & eliciti?

Resp. Sunt amor, complacentia, affectus unionis, complacentia de perfectionibus divinis, desiderium ejus gloriæ &c. odium, & dolor circa malum bono divino contrarium, ut tale, scilicet peccatum.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

De Præcepto charitatis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Præcepto charitatis erga Deum.

Quæst. I. AN extat præceptum charitatis erga Deum, & ad quid obligat?

Resp. 1. Extat præceptum (8) amoris Dei speciale, & ab omnibus aliis distinctum. Ejus namque existentia suadetur nobis Matth. cap. 12. 1. ad Tim. 1. & alibi. Ex August. l. 1. Confess. c. 5. aliisque Patribus. Et sane ut recte ratiocinatur S. Thom. id quod est finis, per se debitum est, cum habeat rationem boni per se. At charitas Dei est finis omnium præceptorum, cum Deum tamquam finem attingat immediate, & modo perfectissimo, nempe super omnia propter seipsum, & ut est in se. Ergo est per se maxime debita.

Resp. 2. Hoc præceptum, utpote affirmativum, obligat ad eliciendum certis temporibus actum internum supernaturalem amoris Dei super omnia propter se, ut constat ex illis verbis, *Diliges ex toto corde*, in sensu proprio significantibus internum dilectionis affectum, qui (ut exponunt Patres) sit amor benevolentiæ efficax, & appretiative summus, vi cujus homo Deo, utpote summe amabili, & bono, adhæreat super omnia propter se, ipsi omnia bona velit, & faciat ea, quæ Deus ab illo saltem graviter exigit, se suamque beatitudinem, & cætera omnia ad Dei gloriam referat, malitque privari omni bono creato, & pati omne malum, quam Deum offendere, saltem graviter.

Ita-

(8) Charitatis actus omnibus adultis necessarius est, nedum necessitate præcepti, verum etiam necessitate medii. Nam actum charitatis peccatoribus adultis necessitate medii necessarium esse ad justificationem, etiam per Sacramenta baptismi & pœnitentiæ consequendam docent ac probant Theologi in Tractatibus de iisdem Sacramentis. Eumdem omnibus adultis necessarium esse necessitate medii ad salutem ex eo demonstratur quod adultis vita æterna non detur, nisi per modum meriti, mercedis, & coronæ. Porro nullum est opus meritorium, nisi ex charitatis affectu, ex Script. 1. Cor. 13. &c. ex Sancto Thoma Sancto Bonaventura, aliisque passim Theologis.

Itaque amor, qui primo, & maximo mandato præcipitur debet esse 1. Internus, verus, ac proprie dictus, ut patet ex his verbis præcepti, *Diliges ex toto corde*. 2. Debet esse appretiative summus in adhæsione, ita ut Deum plus amemus, quam nos ipsos, & creaturas omnes, malimusque privari omni bono creato, & pati quodvis malum, quam Deum offendere saltem graviter. Enimvero cum Deus sit per suam essentiam infinite bonus, ac perfectus in omni genere excellentiæ, atque finis ultimus rerum omnium, ideoque infinitis titulis magis diligendus, quam quodlibet aliud bonum; nulla creatura potest ei affectu, & adhæsione præferri, & æquari sine gravi ejus injuria, & contemptu. Hinc Scriptura, Patres, Theologi, & Ecclesiæ totius consensus hanc veritatem clare nobis exhibent, ut laudata capita percurrenti manifeste constabit. 3. Amor Dei præceptus debet esse efficax, & universalis in suis affectibus, hoc est debet ita voluntatem afficere, ac disponere, ut semper sit parata ad servanda omnia præcepta, & vitandum omne peccatum, saltem mortale. Unde amor ille Dei continet propositum, saltem virtuale, efficax servandi omnia alia præcepta: nam non est solum complacentia de divinis perfectionibus, sed est etiam affectus voluntatis efficax, efficaciter movens ad facienda ea, quæ Deo placent, & ipse exigit saltem graviter, & ad vitanda ea, quæ ei displicent, ex Deut. 6. Porro amare efficaciter est bonum velle, & facere amato, nec eum offendere saltem graviter. Hinc transgressiones aliorum præceptorum sunt etiam communi ratione contra charitatem, ejusque habitum destruunt, si sint in re gravi. 4. Amor charitatis debet esse purus in suo motivo. Nam ejus motivum est Deus ipse absolute, ac in se spectatus; sive ipsa Dei amabilitas infinita, & bonitas absoluta, ita ut Deus super omnia ametur propter seipsum. Ita Theologi communiter ex S. August. lib. 8. de Trin. cap. 8. ex S. Bernardo lib. de dilig. Deo epist. 11. & ex S. Thoma 2. 2. quæst. 17. art. 8. quæst. 23. art. 5. ad 2. Et quod gravius est ex ipsa Ecclesiæ doctrina tradita in catechismis, in quibus charitas definitur: „ Virtus, per quam amamus Deum super omnia, & proximum sicut nos ipsos propter Deum. “ Equidem debemus etiam amare Deum, ut nostrum summum bonum, quod nos perfecte beare potest. At hic amor non est amor charitatis, sed spei, nec sufficit; nam tenemur insuper Deum supra omnia amare propter se, hoc est propter ejus infinitam bonitatem, ac perfectionem, atque nos ipsos, & beatitudinem nostram referre ad ejus gloriam; & hic est proprius actus charitatis. Ita S. Thomas 2. 2. q. 17. artic. 8.

artic. 8. Quare non desunt, qui doceant esse mortale diligere Deum principaliter propter beatitudinem, ita ut si hæc deesset, Deus non diligeretur super omnia. Licitum est tamen, ac bonum diligere Deum propter mercedem æternam, tamquam finem minus principalem.

Resp. 3. Hoc præceptum, prout est negativum, prohibet pro quolibet tempore omnem generaliter Dei offensam; nam per quodlibet peccatum mortale creatura præfertur Deo super omnia diligendo: specialius tamen, & magis directe vetat odium.

Quæst. II. An tenemur etiam amare Deum supra omnia intensive, seu cum majori intensione, vehementia, & conatu, quam omnes creaturas?

Resp. Communiter (9) negant Theologi. Quia intensio est charitatis perfectio solum accidentalis, & sine illa majori intensione servatur præceptum de ordine charitatis eo modo, qui satis sit, ut charitas erga Deum sit re, & opere efficacior, quam amor cujuslibet objecti. Quod autem præcipuum est in charitate, est, ut efficax sit erga Deum, qui affectu, & opere propter se præferatur omnibus creaturis. Porro præceptum diligendi Deum ex toto corde intelligitur de totalitate appretiationis, non inten-

---

(9) Licet Theologi recentiores absolute negent; nos teneri amare Deum supra omnia intensive: tamen Antiquiores, qui *tanto recentioribus* præferendi sunt, *quanto* antiquitas anteferenda est novitati, facta distinctione intensionis affectus sensitivi, & affectus rationalis, quamvis concedant, nos non teneri amare Deum super omnia intensive intensione affectus sensitivi; id tamen negant de intensione affectus rationalis, non vero hoc sensu, quod a nobis diligendus sit dilectione intensive summa, adeoque infinita (quod creaturæ repugnat); sed hoc sensu, quod amor quo Deum amamus intensive major sit & vehementior quocumque amore, quo nosipsos, vel alias creaturas diligimus.

Hanc porro assertionem probant 1. Ex innumeris locis Sacræ Scripturæ potissimum vero ex illis, in quibus præceptum nobis injungitur diligendi Deum super omnia; quæ certe præseferre videntur, ut etiam intensive eum super omnia diligamus, ut ea consideranti patebit. Quapropter Petrus Soto *in Institut. Sacerdot.* lect. 15. putat; *dici non posse sine errore*, quod dicunt Adversarii, nempe non reperiri in Scriptura præceptum de intensione aliqua: 2. Eam probant auctoritate Patrum, & antiquiorum Theologorum, nec non aliis argumentis; ac denique ipsa ratione, quæ efficaciter illam suadet. Quapropter concludendum est, Confessarios hanc potius sententiam pœnitentibus suis insinuare debere, cum sua opposita probabilior sit, & remotior a periculo transgrediendi, seu non adimplendi, ut oportet, primum ac maximum nostræ legis mandatum.

intensionis. Appretiatio vero consistit non in vehementia, & conatu affectus, sed in libera praelectione, & praelatione. Certe quando affectus erga creaturam actu obsistit amori Dei appretiative summo, tunc opus est maximo conatu voluntatis, ut Deus super omnia ametur.

Quaest. III. Quandonam praeceptum charitatis obligat ad amandum Deum?

Resp. Sub mortali obligat per se ad eliciendum actum internum amoris Dei supra omnia propter se, 1. Ubi primum, moraliter loquendo, quis rationis usum adeptus est, & habet sufficienter notitiam Dei, quam quidem tunc quisque sibi comparare tenetur. Ita S. Thomas 1. 2. q. 89. art. 6. 2. In quovis probabili periculo mortis, quamvis Sacramenta suscepta sint. 3. Quando est periculum labendi in mortale, nisi actus amoris eliciatur. 4. Saepissime (10) in decursu vitae, ut satis patet ex natura charitatis, quae est finis omnium praeceptorum, & actionum: ex verbis praecepto additis, quibus Deus jubet illud semper habere in mente, videlicet ut actus amoris saepissime eliciatur, Deut. 6. Ex contemptu denique divinae amicitiae, quem includit omissio amoris Dei per tempus notabile. Hinc ab Innoc. XI. damnatae fuerunt hae propositiones: „ 6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum charitatis erga Deum. „ 7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus. "

Quoties autem intra annum obliget per se, non potest facile determinari. Scotus putat adultos obligari ad illum actum singulis diebus Dominicis, & festis. Quam opinionem, ait Cardenas noster, non esse contemnendam, qui insuper addit esse mortale, si intra mensem integrum omittatur. Suarez vero lib. 1. de Orat. cap. 10. docet divina praecepta affirmativa, ut charitatis, & similia, obligare, ut actus eorum non multo tempore differantur; in par-

(10) Praeter tempora assignata ab Auctore, divini amoris actus exercendus est, 1. Quoties deponendus est affectus ad mortale peccatum. 2. Quoties insigne beneficium a Deo accipimus: quia ex vulgata paroemia: *Amor amorem poscit*. 3. Quoties Deum blasphemiis impeti, vel gravi aliquo scelere offendi videmus: quia, anima justi sponsa est Dei, cujus est zelare honorem divini sponsi sui. 4. Denique quando adultus suscipit baptismi, poenitentiae, & Eucharistiae Sacramentum; & de baptismo, ac poenitentia jam constat; Eucharistiae vero Sacramentum absque amore suscipere pietas non permittit.

in particulari autem judicare, quando sit nimia dilatio, vel quæ sit debita frequentia, prudenti judicio relictum videri ex natura rei. Obligat vero ex virtute religionis, quando quis culpæ mortalis conscius, deficiente Confessario, tenetur celebrare, vel Sacramentum quodvis conferre, aut suscipere. Nam tunc obligatur ad actum contritionis perfectæ, quæ includit actum charitatis. Requiritur etiam hic actus ad justificationem extra Sacramentum. Ex dictis collige parentes, & parochos graviter teneri suos docere obligationem, & modum eliciendi actus fidei, spei, & charitatis. Confessarios vero teneri curare, ut pœnitentes in mortis periculo hos actus eliciant.

Quæst. IV. An ex præcepto charitatis tenemur omnes actiones nostras referre ad Deum?

Resp. Affirm. S. Augustin. lib. de Doctr. Christ. c. 22. & S. Thoma 1. 2. quæst. 100. art. 10. ad 2. Et ratio est manifesta: nam ex præcepto charitatis tenemur amare Deum, ut finem ultimum rerum omnium, & Deus ita non amatur, nisi omnia in ipsum referantur. Porro omnes actiones nostras generatim ad Deum ex affectu charitatis referre tenemur, cum urget præceptum amandi Deum propter se, ut finem ultimum rerum omnium. Quare non tenemur omnes omnino actiones singillatim elicere ex motivo, seu affectu charitatis; alioquin omnia opera infidelium, immo & fidelium in statu peccati manentium essent peccata, quod est error ab Ecclesia damnatus: item actus, quo quis detestatur peccatum præcise ob metum pœnalem esset malus, quod repugnat Concil. Trident. *sess. 7. can. 8. & sess. 14. cap. 4.* ex August. in Psal. 17. Hinc Alexand. VIII. damnavit has propositiones: „ 10. „ Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur „ bonum, mere ut cælestem obtineat gloriam, non est „ recta, nec Deo placens. 11. Omne, quod non est ex „ fide christiana supernaturali, quæ per dilectionem ope„ ratur, peccatum est. “ Idem dicendum esset de actibus aliarum virtutum præcise sumptis, quod rectæ rationi adversatur.

Tamen dum non referimus ex affectu charitatis actiones nostras ad Deum, tunc tenemur eas ad ejus gloriam virtualiter referre, seu implicite, & ex intentione, seu natura operis, ut ajunt, agendo scilicet ex motivo alicujus virtutis, & honestatis. Ex Apost. 1. ad Cor. 10. & ex Sancto Augustino in Psalm. 65. aliisque Patribus, nec non ex D. Thom. in Epist. ad Coloss. cap. 3. & ratio est, quia debemus Deo omnes actiones nostras ex ti-

tulo Creatoris, Redemptoris, & vi supremi ejus dominii, ex quo omnes actus nostri magis debentur Deo, quam cuivis Domino temporali opera servi.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Præcepto charitatis erga proximum.

Quæst. I. AN datur præceptum diligendi proximum, & ad quid obligat?

Resp. 1. Extat præceptum charitatis speciale diligendi proximum, non tantum actu externo, sed etiam interno, & amore benevolentiæ, quo ei velimus bonum quatenus ejus bonum est. Constat ex Matth. 22. Joann. 15. & 1. Joann. 4. Hinc Innocent. XI. damnavit has propositiones. „ 10. Non tenemur proximum diligere actu „ externo, & formali. 11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos. "

Resp. 2. Hoc præceptum complectitur omnes creaturas rationabiles ejusdem nobiscum beatitudinis capaces. Nam ii omnes, & soli charitate divina amari possunt, & debent, quibus debemus, & possumus propter Deum velle summum bonum beans, in cujus communicatione, & capacitate laudatur dilectio Christi. Hinc soli dæmones, & homines jam damnati excipiuntur, ex D. Thom. q. 25. art. 11.

Resp. 3. Hoc præceptum, ut affirmativum, obligat ad amandum proximum propter Deum amore benevolentiæ affectivo, & effectivo, sicut nos ipsos amamus, non quidem secundum omnimodam æqualitatem, sed secundum similitudinem, ut docet S. Thom. 2. 2. quæst. 44. art. 7. ita ut idem bonum proximo velimus, & ei quantum possumus procuremus in necessitate, quod tenemur nobis velle, & rationabiliter volumus: & quidem principaliter beatitudinem æternam, ac media ad eam assequendam necessaria; secundario autem bona temporalia necessaria ad vitam corporalem convenientem, & quatenus ex auxilio gratiæ ad salutem conducunt, eaque quantum possumus ei procuremus in ejus necessitate. Vide Augustin. lib. 1. de Doctrin. Christ. cap. 29. & lib. 1. de morib. Eccl. cap. 26.

Obligat autem ad eliciendum sæpe in vita actum internum amoris supernaturalis erga proximum, & ad exercendum externum, seu affectivum amorem propter Deum, positum in opitulatione proximi, sive spirituali, sive corporali. 1. Joann. 3. Et sane internus amor proximi præ-

ceptus est in bonum, ac utilitatem proximi, quod esse non potest, nisi per beneficia, & auxilia. Dixi, *propter Deum*, hoc est, quia ad Deum pertinet, ut imago ejus, ut capax dilectionis, & possessionis ejus, ut ab ipso creatus, redemptus &c. ita ut Deum in ipso amemus &c. quia id Deo summe bono, & amato placet, ita S. Thom. 2. 2. quæst. 44. art. 7. Quamobrem amare proximum propter aliquam utilitatem temporalem, vel quodvis aliud motivum naturale non est actus charitatis. Ita S. Gregorius hom. 38. in Evang. & S. Augustin. l. 2. de Doctr. Christ. cap. 27. & eod. lib. cap. 7. Et vero debemus diligere alios, sicut Christus nos dilexit, ex Joann. 15. supra cit. Christus autem omnes dilexit propter Deum. Hinc objectum formale, seu motivum charitatis erga proximum est infinita Dei bonitas, seu amabilitas, quæ sicut movet ad amorem Dei, movet quoque ad amorem proximi propter Deum.

Resp. 4. Hoc præceptum, quatenus est negativum, vetat pro quovis tempore odium, & omnes actus oppositos amori benevolentiæ, ne scilicet proximo unquam velimus, optemus, inferamus malum spirituale, nec etiam temporale, saltem ut ipsius malum, & sine justa causa, & auctoritate. Quod addo, quia ex justa causa, & auctoritate potest inferri malum temporale proximo ob finem bonum, v. gr. aliqua punitio a Superiore correctionis causa, vel a Judice ob crimina ex motivo justitiæ.

(*) Auctoris assertio magis, ac magis confirmatur ex tribus ab Innocent. XI. damnatis propositionibus, quarum proscriptione demonstratur nos ne quidem indirecte posse malum proximo optare, aut de ejusdem malo gaudere. 17. Ita se habet; „ Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus „ tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam ineff„ icaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex dis„ plicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolu„ mentum. 14. Licitum est absoluto desiderio cupere mor„ tem Patris non quidem ut malum patris, sed ut bo„ num cupientis, quia nimirum obventura est ei pinguis „ hæreditas. 15. Licitum est filio gaudere de parricidio „ parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes „ divitias inde ab hæreditate consecutas. “

Duæ autem sunt regulæ generales duplicis hujus præcepti a Scriptura traditæ, & lumine naturali notæ. 1. Pro affirmativo: *Omnia quæcumque vultis* (rationabiliter) *ut faciant vobis homines, & vos facite illis; hæc est enim lex & Prophetæ*, Matth. 7. 2. Pro negativo: *Quod ab*

alio

alio odtris fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias, Tob. 4. Legatur August. l. de ver. Relig. cap. 46.

Quæst. II. An tenemur diligere inimicos, idest eos, qui nos, vel nostros oderunt, vel aliqua injuria affecerunt?

Resp. 1. Præceptum charitatis erga proximum obligat etiam erga inimicos perinde ac si tales non essent. Ita omnes. Quia nihilominus sunt veri proximi, utpote ejusdem nobiscum æternæ beatitudinis capaces, per quam capacitatem nobis societate quadam conjunguntur. Quare tenemur eos non solum non odisse, sed etiam positive diligere amore effectivo, non quidem ut sunt inimici, sed ut sunt homines beatitudinis capaces, & quia Deus vult, ut illos amemus. Constat præterea ex Matth. 5. & ex Ecclesiæ, Patrumque interpretatione in laud. cap.

Resp. 2. Ex charitate obligamur erga inimicos generatim ad ea omnia, ad quæ tenemur erga proximum modo supra explicato; siquidem sunt vere proximi nostri. Speciatim vero tenemur 1. Omne in illos odium, ac vindictæ affectum rejicere, ac deponere, atque omnes offensas ex corde iis remittere, ita ut ob offensam illis non male velimus, sed ea non obstante parati simus iis exhibere debita internæ dilectionis signa, etsi veniam non petant, immo in odium contra nos persistant. Ita ex Matth. 6. & Eccli. 10. Unde nunquam licet iis velle malum, ut eorum malum, nec de malo, ut tali gaudere, vel de eorum bono, ut tali, dolere: hæc enim sunt actus odii, Prov. 14. graviter prohibiti. 2. Tenemur eos non excludere ab actu interno charitatis, quem erga proximum elicimus, sed illos in eo generatim includere; immo etiam in particulari, quoties periculum est, ne ob gravem injuriam acceptam eos oderimus, nam tunc ille amor est medium necessarium ad servandum præceptum. 3. Tenemur inimicis ex interno affectu præstare communia dilectionis signa, & beneficia, quæ aliis ejusdem status, & conditionis præstare solemus, qualia-que Christiano debentur a Christiano, concivi a concive, cognato a cognato, pauperi a divite &c. Ita communiter cum S. Thom. 2. 2. quæst. 25. art. 9. Hinc non licet inimicum excludere a communibus orationibus, eleemosynis, a responsione ad interrogativa, mercium expositarum venditione &c. Nam talis exclusio esset vindicta privato illicita, & in talibus circumstantiis signum odii præbens scandalum.

Specialia autem benevolentiæ signa, & beneficia non tenemur eis præstare, per se loquendo, nisi iis indigeant: sed solum esse parati ad præbendum, quando egebunt. Quia, per se loquendo ne quidem alios homines amare

tene-

tenemur in particulari ex lege charitatis, nisi in casu necessitatis, quia tale præceptum, utpote affirmativum obligat dumtaxat pro certo, ac determinato tempore: extra casum vero necessitatis sufficit, si eos amemus in communi, & eis communia benevolentiæ signa exhibeamus, ita S. Thomas 2. 2. quæst. 37. art. 8.

Dixi, *per se loquendo*. Nam ob circumstantias quasdam potest esse obligatio ad ista specialia inimico præstanda, ut periculum scandali ex omissione, inimici necessitas spiritualis, vel temporalis, exhibitio specialium signorum ex parte ipsius. Item si per aliqua specialia beneficia, vel signa amoris certo possis, saltem sine gravi incommodo, inimicum tibi, & Deo reconciliare; quamvis ille prior offenderit, & nolit inimicitiam deponere, nisi tu eum prævenias, Rom. 12. Item juxta aliquos, si inimicum ante offensam solebas salutare, alloqui, cum eo conversari &c. tametsi illa sint specialia dilectionis signa, teneris eadem præstare, nisi circumstantiæ speciales aliud postulent, vel excusent, ut si specialis illa benignitas inimico non sit profutura, quia istorum recusatio extra tales circumstantias censetur communiter signum odii, vindictæ, vel contemptus. Item ob eamdem rationem tenemur specialia beneficia, & amicitiæ signa inimico exhibere, si ipse prius nobis exhibeat.

4. Ob eamdem pariter rationem tenemur inimico veniam petenti non solum offensam condonare ex animo (ad quod obligamur, etiamsi non peteret); sed etiam externa benevolentiæ, ac reconciliationis signa exhibere habita ratione circumstantiarum. Excipe nisi sit pater, vel quivis superior, qui quandoque potest justæ correctionis causa erga liberos, vel subditos benevolentiæ signa differre, modo intus charitatem servet. Tandem tenemur inimicis in necessitate, sive spirituali, sive corporali opitulari, & damnum in honore, fama, corpore, vel rebus impedire, saltem dum sine nostro gravi damno possumus. Nam ad id tenemur erga proximum.

Porro qui alterum injuste offendit, tenetur veniam petere: nam id exigit ratio justitiæ. Quod si duo mutuo se offenderunt, tunc si offensio sit æqualis gravitatis, tenetur reconciliationem petere, qui prius offendit; quia qui prius læsus fuit, prius jus habet exigendi satisfactionem: si offensio sit inæqualis, tenetur ille, qui gravius offendit: nam excessus ille est quasi nova injuria, quæ novum jus dat læso exigendi satisfactionem. Videatur Augustinus serm. 210. de diversis 74.

Resp. Non tenemur remittere inimico satisfactionem debitam, ut honoris, famæ, vel pecuniæ; Quippe injuriam

passus

passus habet jus ad congruam satisfactionem, & jus illud per legitimam potestatem persequendi. Immo adversus illum licet instituere actionem tum civilem, tum criminalem, modo id non fiat ex odio, vindicta, vel alio pravo fine: tamen uterque hic procedendi modus ordinarie non vacat periculo, cum pauci amore justitiæ, aut boni communis ducantur, plurimi vero vindictæ explendæ desiderio. Ita S. Thom. 2. 2. q. 108. art. 1. Æquam tamen ad arbitrium prudentum satisfactionem ab inimico oblatam acceptare tenemur ex charitate; nec tunc licet judicem interpellare, nisi reus sit Reip. noxius, vel periculum sit, ne alios similiter injuria afficiat. Nam extra hos casus actionem civilem instituere, & inimicum sumptibus onerare est contra charitatis legem, vetantem ne alteri facias, quod tibi non vis rationabiliter fieri.

Quæst. III. An vindicta, seu redditio mali pro malo, facta auctoritate privata, semper est illicita?

Resp. Affirm. ex 28. Eccli. Matth. 7. Rom. 12. & 1. Thessal. 5. Et ratio est, quia talis vindicta est non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam; tum quia est usurpatio alienæ potestatis, nempe superioris, ad quem solum punitio pertinet; tum quia quisque habet *jus*, ut non puniatur ab eo, qui nullam habet auctoritatem, & jurisdictionem in ipsum.

CAPUT TERTIUM.

De Ordine Charitatis.

Quæst. I. AN Ordo charitatis servari debet?

Resp. Affirm. Ita omnes ex Cantic. 7. ex Augustino l. 1. de Doctr. Christ. cap. 27. & D. Thom. 2. 2. q. 44. art. 8. tum quia objecta diligenda, & optanda non sunt æqualia inter se; tum quia Deus vult, ut aliquos, nempe ii, qui nobis sunt conjunctiores, plus diligamus. Duplex autem est ordo charitatis; alter personas, alter bona respiciens. In personis homo amare debet 1. Deum, utpote principium, & finem ultimum rerum omnium, & summe bonum, ac perfectum. 2. Seipsum. 3. Cæteros homines. In bonis primum locum tenent bona spiritualia, seu supernaturalia, nempe beatitudo æterna, gratia, virtutes &c. Secundum bona naturalia, & bona corporis, ut vita, integritas membrorum, sanitas &c. Tertium bona externa, ut honor, fama, divitiæ &c. Item bonum commune majus est bono privato, ideoque ei præferendum.

Quæſt. II. An, & quomodo quiſque ſeipſum magis diligere debet, quam proximum?

Reſp. 1. Unuſquiſque tenetur ſeipſum magis diligere ſimpliciter, & abſolute, quam proximum. Ita S. Thom. q. 26. art. 4. & quæſt. 44. art. 8. ad 2. ex Matth. 22. & Eccli. 4. Ratio eſt, quia ex ordine charitatis homo magis inclinatur ad ſui dilectionem, quam proximi, cum ſibi magis conjunctus ſit. Hinc 1. Quiſque tenetur ſe magis diligere in bonis ſpiritualibus, quam proximum, cum hæc bona ſint omnium maxima, & maxime neceſſaria Matth. 16. 2. In quacumque neceſſitate corporali æquali licet ſibi potius ſubvenire, quam alteri privato: nam nemo tenetur diligere proximum magis, quam ſeipſum, ſed ſolum ſicut ſeipſum. S. Thom. 2. 2. q. 26. art. 5. ad 2. Immo juxta multos, tenetur ſeipſum magis diligere quoad vitam temporalem, & bona ejus conſervationi neceſſaria, quam proximum parem, vel inferiorem. Nam per ſe loquendo charitas magis inclinat ſubjectum ſuum ad ſui conſervationem, quam ad conſervationem alterius privati, Auguſt. lib. de mendac. Alii tamen multi cum S. Thoma cenſent, licere vitam propriam exponere pro ſervanda vita alterius privati, non quidem præciſe ob bonum vitæ proximi; ſed ob ſpeciale quoddam virtutis exercitium, quod in certis circumſtantiis exurgit ex alio titulo, v. g. ſi vitam exponat pro altero, cujus vita ſit utilior ad promotionem gloriæ Dei; ſi pro parente, pro inſigni benefactore &c.. ad inſigne opus pietatis. Nam, inquiunt, actus virtutis chriſtianæ, qui tunc exercetur, *majus bonum* eſt vita temporali. Et ſub hac diſtinctione *excipiunt* laudatam Auguſtini auctoritatem.

Dixi, *Privato*, nam ſubditus tenetur vitam propriam certo periculo exponere pro ſalute Reipub. vel Principis ſui, aut alterius perſonæ Reip. neceſſariæ, cum membrum periculo exponi, immo & abſcindi debeat pro conſervatione totius.

Reſp. 2. Unuſquiſque tenetur ex charitate proximum magis diligere in ſpiritualibus, quam ſeipſum in corporalibus: quia anima proximi, utpote longe præſtantior, quam corpus proprium, ſecundum rectam rationem magis amabilis eſt, quam corpus proprium. Hinc Reſp. 3. Tenemur præferre ſalutem æternam proximi bonis omnibus noſtris temporalibus, & vitam noſtram (11) corporalem certo

(11) Quærunt hic Theologi, an ob ſpirituale proximi bonum liceat exponere ſe periculo peccandi, factaque diſtinctione boni pro-

certo periculo exponere pro salute proximi versantis in periculo damnationis æternæ, a quo se eripere non possit sine ope nostra, quando est spes illum juvandi. Est communis sententia 1. Joann. 3. & 15. clare expressa. Sicut enim in periculo salutis propriæ, quo liberari non possemus sine jactura vitæ, tenemur ex charitate nostri vitam amittere potius, quam salutem æternam, ita &c. Hinc teneris infantem moriturum baptizare etiam cum vitæ damno, si alius non adsit, qui id faciat. Resp. 4. in gravi necessitate spirituali communitatis teneris ei subvenire etiam cum vitæ periculo. Quia talis necessitas semper conjuncta est cum necessitate extrema aliquorum privatorum, quorum multi in illa necessitate probabiliter peribunt; & talis necessitas per se est gravissimum malum. Hinc si quis hæresim alicubi spargat, teneris cum periculo vitæ impedire si possis, & nemo alius impediat.

Quæst. IV. Quis ordo erga proximos inter se servandus est?

Resp. 1. Magis diligere debemus affectu complacentiæ sanctiores, quia sunt amiciores, & conjunctiores Deo. Item velle illis majorem gloriam, quia habent majorem gratiam sanctificantem, quæ est mensura gloriæ. Resp. 2. Quoad amorem affectivum simul & effectivum, consangui-

---

proximi in bonum necessarium & non necessarium, nec non periculi in remotum, proximum & probabile dicunt, licitum esse, exponere se remoto peccandi periculo propter bonum proximi etiam non necessarium, ut e. g. aliorum peccata excipere in confessione etiam absolute non necessaria. Ast negant, licere, proximo, etiam venialiter peccandi, periculo se exponere ob bonum spirituale, etiam necessarium: nam Innocentius XI. anno 1619. proscripsit hanc propositionem n. 63. „ Licitum est „ quærere directe occasionem pro„ ximam peccandi pro bono spi„ rituali, vel temporali nostro, „ vel proximi “.

Si vero periculum sit probabile, tunc Sylvius hic q. 26. art. 4. docet, considerari debere, an probabilior sit lapsus quam perseverantia; si primum, non licet se propter alios exponere, quia plus propriam quam aliorum salutem diligere debemus: si vero, ait Suarez, periculum confuse animadvertatur, non potest certa regula tradi, sed res pro ratione necessitatis & periculi absolute vel relative sumpti pensanda est.

Denique, si agatur de proprio periculo damnoque corporali, tunc tenemur subvenire etiam cum periculo vitæ proximo spiritualem extremam necessitatem patienti, si spes sit quod juvari possit, ut cum communi etiam Auctor propugnat, & probat loco citato. Ast non tenemur proximo succurrere, cum alius est qui potest & vult ei opitulari. Hinc e. g. privatus quisque non tenetur ad Indos proficisci, quia non desunt qui id velint & faciant.

guinei secundum varios gradus in pari necessitate præferendi sunt quoad bona temporalia, & spiritualia, aliis licet melioribus; quia ad hoc inclinat charitas propter naturalem conjunctionem, quæ cum sit prior ordine naturæ, & firmior, utpote in natura fundata, priorem locum postulat in dilectione quoad bona amicis appetibilia. Post hos cæteri secundum varias conjunctiones affinitatis, amicitiæ, societatis præferendi sunt extraneis. Patet. Patria tamen, seu Resp. præferenda est parentibus, quia est totum. Resp. 3. Cæteris (12) paribus ex consanguineis præferendi sunt propinquiores. Item ex consanguineis æque propinquis tenemur magis diligere digniores, seu aliquam in consanguinitate eminentiam habentes. Resp. 4. Inter ipsos consanguineos 1. Pater, & Mater in necessitate extrema, ubi vita periclitatur, præferendi sunt filiis, & uxori, & aliis omnibus. Ita S. Thomas q. 26. art. 11. quia præter communionem sanguinis habent eminentiam principii. Extra talem necessitatem, & ubi agitur de conservatione proprii status, uxor, & filii non emancipati juxta multos præferri debent parentibus, propter arctiorem in communi victu, & vitæ societate conjunctionem viri, & uxoris indicatam Gen. 2. Matth. 19. tum quia bonum familiarum id postulat. S. Thom. 2. 2. q. 26. art. 1. ad 1. 11. Cæteris paribus pater, utpote principalior, ac nobilior causa nostri esse, præferendus est matri. S. Thom. ibid. 3. Uxor præferenda est filiis, quia est una caro cum marito, & principium liberorum. 4. Filii sunt præferendi cæteris omnibus, fratres cognatis, ut patet. Inter extraneos vero meliores præferendi sunt aliis, justus peccatori, fidelis infideli ob majorem conjunctionem spiritualem. Item persona publica, vel bono communi valde utilis præferenda est privatæ ob rationem boni communis. Item cæteris paribus benefactor aliis præferendus est.

Hæc intellige in pari necessitate. Nam extraneus in majore necessitate positus præferendus est propinquo longe mi-

---

(12) Docet Sylvius, per accidens fieri posse, ut plus charitatis & subsidii dignioribus quam propinquioribus debeatur, ut si digniores sint personæ publicæ; vel si nobis causa fuerint vitæ spiritualis a qua nos avertere conati sunt consanguinei; vel si denique conjunctio secundum spiritum sit maxima, carnalis vero remota, e.g. in quarto aut quinto gradu. Nihilominus indignior aliquando præferri potest digniori. Si e. g. duobus qui mox a sicario interficiendi sunt vitam servare non possim, præferendus aliquando erit peccator qui e. g. in somno occidendus est homini justo, ut patet.

ge minus indigenti: nam præceptum charitatis magis, & potius obligat, ubi major est necessitas. S. Thom. q. 31. art. 3. Hinc extraneus in necessitate gravi spirituali debet præferri consanguineo gravem necessitatem corporalem patienti. Porro obligatio servandi hunc ordinem est ex genere suo gravis, cum nascatur ex præcepto charitatis gravissimo, & ejus materia, & finis sit gravis. Quod si possis omnibus subvenire, teneris.

CAPUT QUARTUM.

De Eleemosyna.

Quæst. I. Quid est eleemosyna?

Resp. Est auxilium proximo indigenti datum ex compassione propter Deum. Estque opus misericordiæ imperatum a charitate. Misericordia autem est virtus, quæ nos ex compassione inclinat ad subveniendum alienæ miseriæ ex Aug. l. 9. de Civit. Dei cap. 3. illi per excessum opponitur nimia cordis mollities, & crudelitas. Eleemosyna, seu opera misericordiæ, ac charitatis magis vulgata, & ad quæ cætera reduci possunt, sunt quatuordecim. Septem corporalia, & septem spiritualia omnibus nota, contentaque duobus hisce versiculis.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.
Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

Quæst. II. An extat præceptum eleemosynæ & quandonam obligat sub mortali?

Nota 1. Necessitas, seu indigentia proximi triplex est. Prima extrema, ex qua imminet mors, vel mutilatio, nisi ei succurratur. Secunda gravis est, cum homo, nisi ei subveniatur, non potest vitare grave malum, ut captivitatem, gravem infamiam, amissionem status, jacturam notabilem bonorum &c. Tertia communis, quæ parit aliquod incommodum in necessariis ad vitam, vel statum, ita tamen, ut non reddat vitam nimis miseram, vel molestam, spectatis statu, & conditione patientis. Nota 2. Bona triplicis generis sunt. Nam 1. Alia sunt necessaria (13) naturæ seu vitæ, illa videlicet, sine quibus conser-

(13) Necessarium seu vitæ, seu præcipue statui, non consistit in indivisibili, sed moraliter est accipiendum; & ideo viri pru-

servari non potest vita nostra, & aliorum, quorum cura nobis incumbit. Alia sunt necessaria statui, sine quibus non potest quis convenienter vivere secundum conditionem, & statum præsentem propriæ personæ vel aliarum, quarum cura ei incumbit; & hæc iterum duplicia sunt: quædam enim sunt necessaria ad statum simpliciter; quædam dumtaxat ad status decentiam modestiæ christianæ consentaneam. 3. Alia sunt superflua aut vitæ, aut statui, vel utrique. Nota 3. Necessarium statui complectitur bona, quæ requiruntur ad sustentanda onera familiæ, ad alendos famulos, filios educandos, & in statu honesto juxta suam conditionem collocandos, filias dotandas, ad honestas donationes, moderata cum amicis convivia, hospitalitatem; item ad illum (14) statum servandum in quolibet casu calamitoso probabiliter eventuro, ut sunt morbi, bellum, sterilitas &c. Dico *probabiliter*: nam non debet attendi ad omnes casus, qui possunt contingere in futurum ex Matth. 6. Legatur S. Thom. q. 32. artic. 5. ad 3. quare ut Augustinus docet in Psalm. 147. multi habent superflua. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propositionem: „. Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui: & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui. "

Nota 4.

---

ri prudentis arbitrio sæpius dimittendum *est*, ut perscrutetur, *an hoc vel illud* sit vitæ vel *statui necessarium*, aut superfluum. Hinc, ut prudenter monet Sylvius, sicut non statim judicandum est, illud esse superfluum quod assumit aliquis in *usus* (honestos scilicet) a quibus alii ejusdem conditionis homines abstinent: sic nec dubio procul existimandum est, omnem vestium ciborumque abundantiam, omnem famulorum multitudinem omnemque copiam munerum quæ larga manu conferuntur iis qui non indigent, computari posse inter necessaria status.

(14) Immo & ad augendum decenter patrimonium, vel etiam statum. Sed quia principia hic ad Auctore tradita, licet in se sana, perpetuam duritiei divitum in pauperes occasionem præbent, magna proinde intentionis sinceritate opus est, quam non raram modo, sed & rarissimam esse constat. Unde cavendum est, ne, ut sæpius fieri solet, omittatur eleemosyna sub prætextu necessitatis, non tam futuræ, quam imaginariæ.

Præterea ut spes altioris status eleemosynam reddat legitime parciorem, necesse est 1. Ut sit probabilis & bene fundata, non autem mere, aut quasi mere possibilis. 2. Ut ambitionem excludat: ut autem excludat ambitionem, inniti debet meritis propriis & capacitati de Republica, & Ecclesia bene merendi, non autem soli pecuniæ & desiderio exeundi a statu, in quo plerumque vult Deus nos esse, & extra quem salvare nos non consuevit.

 (15) At

Nota 4. De necessariis vitæ non est obligatio faciendi eleemosynam. Excipe nisi persona indigens sit necessaria bono communi, quod semper proprio anteponendum est.

Resp. 1. Extat præceptum divinum naturale, ac positivum dandi eleemosynam, obligans sub mortali. Constat ex Matth. 25. ubi damnantur, qui eleemosynam omisere, & ex 1. Joann. 3. Et re quidem vera Lex divina charitatis graviter obligat quemque ad proximum diligendum sicut seipsum, ideoque ad illi indigenti opitulandum, cum amare proximum sit ei bonum velle, & facere quantum possumus, quando ille nostra ope eget. D. Thom. 2. 2. q. 23. art. 5. Hoc præceptum extenditur ad quælibet opera misericordiæ, & subsidia tum corporalia, tum spiritualia, quibus proximus indiget, cum fundetur in charitate, qua tenemur diligere proximum sicut nos ipsos, & ei facere, quod nobis fieri rationabiliter vellemus. Quare quidquid dicitur de eleemosyna corporali, idem cum proportione applicari debet spirituali, cum lex charitatis in proximum obliget ad amandum hominem, qui, cum constet corpore, & anima, potest secundum utrumque ope nostra indigere: & sic obligat ad subveniendum proximo in ejus corporalibus, & spiritualibus necessitatibus. Immo multo magis in istis, quam in illis, ut consideranti patebit. Videatur Aug. 1. de morib. Eccl. c. 27.

Triplex autem est necessitas spiritualis, scilicet extrema, cum proximus sine nostra ope non potest sibi necessaria ad salutem providere: gravis, cum potest quidem, sed non sine magna difficultate, vel incurrit periculum gravissimum peccandi, ob paupertatem, ignorantiam invincibilem, pravam consuetudinem, vel occasionem valde allicientem ad malum: & communis, cui potest ipse providere sine magna difficultate.

Resp. 2. Quilibet in extrema necessitate proximi tenetur sub mortali ei subvenire non solum de superfluis statui, sed etiam de necessariis ad status decentiam: Nam charitas ordinata exigit, ut vitam proximi plus diligamus, quam decentiam status nostri, & huic illam præferamus. Immo tunc etiam adjuvandus est proximus ex bonis quodammodo ad integritatem status necessariis, juxta Suarez, aliosque multos. Nam amissio integritatis status non reddit hominem miserum, & nemo prudens ad hanc amissionem avertendam exponet se periculo mortali mortis; immo hanc amissionem quilibet facile patietur ad servandam vitam suam. Hinc teneris sub mortali proximo in tali necessitate subvenire cum dispendio bonorum, etiam gravi, inquit Toletus.

Resp.

Resp. 3. In gravi necessitate proximi quisque sub mortali tenetur ei subvenire de bonis statui superfluis. Est communis, & certa sententia expressa manifeste in Scripturis, ut Matth. 25. Luc. 3. &c. & a Patribus unanimiter tradita. Et sane juxta omnes quisque tenetur ex charitate proximum gravi malo liberare, cum potest sine gravi suo incommodo. Non est autem grave incommodum dare superflua. Immo in gravi necessitate proximi quisque tenetur ei subvenire de bonis ad integram status decentiam aliqualiter necessariis, Id enim videtur præcipi 1. Joann. 3. Et re quidem vera quilibet tenetur amare proximum sicut seipsum *opere & veritate*: ideoque illi facere, quod sibi rationabiliter vellet fieri in pari necessitate, ut jubet Christus Matth. 7. At quisque rationabiliter vellet malo valde gravi liberari cum aliquo incommodo alterius longe minori, qualis est diminutio aliqua decentiæ status. Videatur D. Thom. in 4. dist. 15. q. 2. art. 4. Hoc a fortiori intelligi debet de necessitate gravi spirituali, videlicet cum proximus non potest sine magna difficultate salutem consequi, vitare peccatum, & periculum peccandi, nisi ei subveniatur ex bonis illis, vel sustentatio suppeditetur Sacerdotibus, qui illos in spiritualibus adjuvent: nam nunc charitas obligat ut cum aliquo damno temporali subvenias. Videatur Augustin. lib. 1. de morib. Eccl. cap. 28.

Resp. 4. Est gravis obligatio faciendi eleemosynam de superfluis vitæ, & statui, etiam in communi pauperum necessitate. Ita communiter ex Scripturis, ut Matth. 25. 1. ad Tim. 6. &c. ex SS. Patribus, & Div. Thom. 2. 2. q. 88. art. 1. ad 4. Et sane vellemus rationabiliter nobis succurri in necessitate communi ex bonis superfluis alterius. Nec dicas divitem posse reservare superflua ad se evehendum in altiorem statum, ad quem aptus est: Nam non potest, nisi satisfecerit debito charitatis, & subvenerit occurrentibus pauperum necessitatibus.

Resp. 5. Tanta eleemosyna danda est; quanta sufficit ad levandam proximi necessitatem, ut patet ex ratione, & fine præcepti eleemosynæ; & quidem ab uno, & eodem, si possit, & alii non possint, aut nolint dare. Præterea servanda sunt sequentia. 1. Eadem est obligatio præstandi gratis operam quamlibet, qua indiget pauper, v. g. opificium, auxilium, patrocinium &c. quia eadem est ratio ac de pecunia, vel alimentis præstandis. S. Thom. 2. 2. q. 70. art. 1. 2. Si alius adsit, qui succurrat, non obligaris: nam tunc pauper non indiget ope tua. At si alii, etsi ditiores te non subveniant, tu teneris: nec requiritur evidentia omnimoda necessitatis proximi: sed sufficit,

quod eam possis prudenter judicare adesse, nec certo scias, alium ei subventurum. 3. Prælati, Parochi, & Superiores tenentur ratione officii inquirere necessitates corporales, & spirituales suorum subditorum: quia illorum curam ex officio gerere debent, & erga illos parentum vicibus funguntur, Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. Alii vero non tenentur inquirere, S. Thom. 2. 2. q. 72. artic. 1.

Quæst. III. An præcepto eleemosynæ satisfit per mutuum, venditionem, vel alium contractum onerosum?

Resp. 1. Si proximus hic, & nunc tantum caret necessariis, sed habeat alibi bona, vel spem certam, ac proximam habendi ex fundo, agro, successione, vel ex industria propria &c. satisfit ei mutuando, non numerata pecunia vendendo &c. id, quo indiget. Quia talis non est absolute, & simpliciter pauper, & egens, cum indigeat solum pro definito aliquo loco, & tempore: nec indiget ipsa re ut gratis danda, sed solum mutuatione rei. Sic sufficit mutuari frumentum agricolæ nunc egenti, sed uberrimam messem expectanti. Resp. 2. Si proximus nullibi bona habeat, nec spem proximam, ac certam habendi; tunc est obligatio ei dandi necessaria gratis, & absque onere restituendi. Ex cap. 10. & 14. Lucæ. Enimvero charitas exigit, ut proximo absolute, & simpliciter egenti subveniamus modo consentaneo charitati, quæ non quærit quæ sua sunt; & ejus miseriam absolutam levemus absolute, & sine ullo onere, & gravamine.

Quæst. IV. Ex quibus bonis facienda est eleemosyna?

Resp. Ex solis bonis propriis, quorum libera administratio habetur, non ex alienis sine consensu Domini. Est communis, & certa sententia. Quia nemo potest donare id, quod suum non est, vel cujus alienatio ei prohibita est; nisi careat propriis, & proximus (15) in necessitate extre-

(15) At vir honestus clanculum surripere non potest, ne mendicare cogatur; quia hoc viam furti bene multis aperiret.

Nota: eleemosyna dari non potest de bonis illicite simul & injuste acquisitis; quia bona injuste acquisita reddi debent domino suo, si eidem sine periculo mortis aliove simili incommodo reddi possunt per manus Confessarii vel alterius. Excipiuntur hi casus, 1. Si ignoretur dominus; tunc enim ea bona, cum neque retineri possint, neque reddi vero eorum domino qui ignoratur, necessario pauperibus restituenda sunt. 2. Si obstet dispositio juris: sic pretium pro beneficio acceptum non ei qui dedit, sed Ecclesiæ restituendum est. At fieri potest eleemosyna ex bonis quæ, quamvis illicite com-

extrema versetur, in qua omnia sunt communia quoad usum. Alioqui fit injuria Domino, vel administratori. Ita colligitur ex Prov. 3. & Eccli. 34. & ex Augustin. serm. 187. al. 19. Hinc extra necessitatem extremam. 1. Famuli, & ancillæ non possunt ex rebus dominorum, nec filii ex parentum bonis eleemosynas facere sine eorum consensu expresso, vel tacito, aut prudenter præsumpto; cum non sint domini bonorum illorum. 2. Religiosus non beneficiatus, nec ullam habens administrationem, cui annexa sit potestas faciendi eleemosynam, nullam potest largiri sine licentia Superioris expressa, vel tacita, vel ut ait

---

comparata sint, juste tamen retinentur: quia eleemosyna fieri potest ex bonis quorum proprietas nostra est: v. g. ex pecunia comparata propter laborem die festo exercito. Similiter filius-familias ex bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, etiam invitis parentibus, eleemosynam facere potest: quia in ea bona dominium habet.

Circa eleemosynarum erogationem hic ordo servandus est: 1. Cæteris paribus magis impertienda ea est propinquioribus quam aliis. Dixi, *cæteris paribus*, quia, juxta D. Thom. hic art. 9. „ multo sanctiori magis „ indigentiam patienti, & ma„ gis utili ad commune bonum „ est magis eleemosyna danda „ quam personæ propinquiori, „ maxime si non sit multum „ conjuncta “. 2. Pauperes severiori examine discutiendi non sunt, nec curiosius inquirendum, an paupertatem simulent; præstat enim dare ei qui fortasse non indiget, quam negare vere indigenti. 3. Danda non est eleemosyna inimicis Reipublicæ: quamvis enim in ordine ad salutem animæ diligendi sint, non tamen in ordine ad vitam corporis, quam, ut gladio, ita & fame eis auferre licitum est: immo peccaret qui hostibus in bello justo ad angustias redactis victum præberet. 4. Pauperibus qui tales sunt voluntate virtutis potest ac debet eleemosyna erogari; ast secus est, si tales sint voluntate vitii & ignaviæ. 5. Is cui committitur eleemosynarum distributio, potest, si indigens est, earum partem sibi applicare; quia non est pejoris conditionis quam cæteri. Et hoc verum est, 1 De Confessario qui vere pauper esset. 2. Idem locum habet in distributione cujus inopiam cognoscebat Dominus pecuniæ. At Pontas, casu 13. Doctrinam hanc, & merito quidem, limitat, nisi ei, cui commissa est eleemosynarum distributio, assignatæ sint personæ quibus eadem sit dividenda; tunc enim, secluso necessitatis extremæ casu, non posset distributor quidquam sibi retinere. 6. Qui simulata paupertate eleemosynam recipit, is & peccat, quia veris pauperibus nocet; & tenetur ad restitutionem omnium quæ accepit. Restituere porro illud debet, vel aliis pauperibus, si modicum sit; vel ei qui dedit, si magna sit eleemosyna, quæ prudenter judicari potest ab eo aliis donanda non fuisse, sed illi solum concessa. 7. Nomine illius qui paupertatem simulat non intelligitur ille qui gemitibus, verbis, & querimoniis paupertatem exaggerat; sed ille qui, cum reipsa pauper non sit, talem nihilominus se esse fingit.

ait S. Thom. *probabiliter præsumpta*. Secus si habeat beneficium; quia potestas immo obligatio erogandi eleemosynas ex fructibus sui beneficii est annexa suo muneri. 3. Uxor non potest de bonis communibus, & fructibus dotalibus facere eleemosynas extraordinarias sine consensu mariti, ad quem pertinet illorum administratio. Secus de eleemosynis vulgaribus, & modicis spectata facultate, saltem nisi vir sufficienter largitur; quia id censetur pertinere ad debitam uxoris sustentationem, quam præstare vir tenetur, nec circa eas est rationabiliter invitus. Tutores, & curatores possunt juxta multos facere modicas eleemosynas ex bonis, quæ administrant; quia hoc pertinet ad rectam bonorum administrationem, ceditque in bonum pupilli, & minoris, qui consentire debent. Ob eamdem rationem minor, & pupillus possunt facere eas, quas alii ejusdem conditionis, & facultatis facere solent, saltem si tutor, & curator nullas ex eorum bonis faciat; non tamen majores facere possunt, cum non habeant liberam bonorum suorum administrationem.

CAPUT QUINTUM,

De Correctione fraterna.

CORrectio, seu correptio fraterna est admonitio, qua quis proximum ex charitate conatur revocare a peccato.

Quæst. I. An extat præceptum correctionis fraternæ, & quos, ac quando obligat?

Resp. 1. Extat tale præceptum. Id enim habetur clare Eccli. 19. 2. ad Thessal. 3. Matth. 18. Ex c. 13. *de judic.* &c. *Facientis* dist. 86. ex Patrum denique, ac doctorum omnium consensu. Ratio est manifesta: nam lex charitatis obligat ad subveniendum miseriæ proximi, præsertim gravi. Maxima autem miseria est peccatum; & proximus est in necessitate spirituali, saltem aliquali, ob quam indiget correctione, quatenus sine ea peccatum vitare, aut ab eo resurgere non potest, nisi difficulter, ob peccati nempe illecebras, & determinationem pravæ voluntatis suæ, vel ob ignorantiam, aut inadvertentiam vincibilem. Unde correctio fraterna est moraliter necessaria; quod sufficit, ut sit in præcepto, quando fructus ex ea speratur.

Resp. 2. Hoc præceptum (16) obligat sub mortali ad corrigendum proximum de quavis culpa mortali non emendata, quæ est gravissimum malum: nam materia gravis est. Secundum Cajetan. aliosque obligat etiam per se loquendo ad eum corripiendum de veniali. Sed hæc obligatio est solum sub veniali ob parvitatem materiæ, nisi sit periculum morale, ne ex venialibus sequatur mortale, vel grave scandalum, vel magnum damnum spirituale Ordini Religioso. Quare ex consensu Doctorum Superiores Religiosorum tenentur sub mortali impedire, & corrigere culpas veniales, per quas notabiliter læditur religiosæ disciplinæ vigor, quia notabilis jactura disciplinæ, etiam per defectus leves est grave malum Religionis, quod Superior tenetur ex officio avertere, & tollere. Dixi, *per se loquendo*; nam sæpe non est obligatio respectu venialis, eo quod sæpius talis correctio potius obesset, quam prodesset, præsertim sæcularibus.

Resp. 3. Hoc præceptum obligat omnes, & singulos, etiam æquales, inferiores, laicos, peccatores, quando utiliter corripere possunt sine suo gravi damno. Ita communiter cum S. Thom. 2. 2. q. 33. art. 4. Et colligitur ex Matth. 18. Eccli. 17. Ex can. *Tam* 24. quæst. 3. & ex cap. 12. *de hæret.* Ratio est, quia hæc obligatio oritur ex charitate, & misericordia, quæ sicut ad eleemosynam corporalem, sic etiam ad spiritualem obligat omnes, qui possunt illam facere: nec ad hoc requiritur jurisdictio, sed sufficit conjunctio charitatis, quæ, cæteris paribus, debet esse major erga Superiores, qui etiam sæpe magis indigent, cum in majoribus obligationibus, & periculis versentur. Debent tamen corrigi seorsim, & magis obsecran-

(16) Quamvis Auctoris doctrina regulariter vera sit:, tamen aliquando contingere potest, ut non corrigendo graves culpas venialiter tantum peccetur; & non corrigendo leves peccetur mortaliter, ut in casibus hic ab Auctore recensitis. Porro dupliciter potest contingere, ut non corrigendo graves culpas peccetur venialiter; 1. Si omittatur gravis peccati correctio ex inadvertentia minime crassa. 2. Ait S. Thomas hic art. 2. ad 3. „ Omissio „ hæc est peccatum veniale, „ quando timor & cupiditas facit hominem tardiorem ad corripienda delicta fratris. Non „ tamen ita quod si constaret „ ei, quod fratrem suum posset „ a peccato retrahere, propter „ cupiditatem vel timorem dimitteret “. Ideo autem in hoc casu peccatum veniale agnoscit S. Doctor quia timor ille qui mentem tenet incertam & sagacia verba præcludit est quodammodo voluntarius in causa, scilicet in naturali cupiditate alicujus boni temporalis, licet juste desiderati; si enim oriretur ex naturali infirmitate, excusaret a peccato, ut in scrupulosis, qui, cum prudentia ad corrigendum necessaria careant, vix alios utiliter reprehendunt. Ita Habert.

crando juxta Apost. ad Tim. 5. nisi ex ejus peccato periculum gravis scandali, vel fidei immineret; tunc enim publice corripiendus esset superior ad tollendum scandalum. Porro Superiores, ut Parentes, Domini, Pastores, Prælati ad corrigendos subditos magis obligantur tum ex charitate, cum sint magis idonei; tum etiam ex justitia ratione officii, ex 1. ad Tim. 3. Hinc eorum obligatio ad plures actus se extendit: nam tenentur de eorum peccatis inquirere, ut illa corrigant, & eorum bonum spirituale promovere, quantum possunt, ex Hebr. 13. Immo debent punire suos subditos; etiamsi nulla sit spes emendationis, ut scandalum tollatur, & alii deterreantur, & sic bono communi provideatur.

Resp. 4. Ut hoc præceptum obliget, ex communi sententia requiruntur sequentia: 1. Ut proximus prudenter judicetur peccasse, vel esse in proximo periculo peccandi, alioqui temeraria esset correctio. Porro nemo inquirere tenetur, nisi Superior, ad quod ut teneatur, sufficit suspicio, vel dubia cognitio; quia tenetur ex officio vigilare super gregem suum. 2. Ut sit periculum ne relabatur, vel permaneat in peccato, & ut putetur non aliter facile emendandus: alioqui non esset indigentia spiritualis, ideoque nec locus eleemosynæ spirituali. 3. Ut sit probabilis spes emendationis, ex Prov. 9. Nam desperato fine nemo tenetur ad medium inutile; & correctio non est præcepta, nisi prout conducit ad emendationem proximi, quæ est ejus finis intrinsecus: alioqui esset imprudens. Ita S. Thom. 2. 2. q. 33. art. 6. Excipe, nisi redargutio necessaria, vel utilis sit ad honori Dei, vel famæ proximi consulendum, aut scandalum aliorum impediendum; ut cum quis blasphemias, vel errores profert, aut detrahit proximo. At tunc non erit stricte correctio fraterna peccantis, sed alius actus charitatis Deo, vel proximo debitus. Porro non est omittenda correctio propter aliquam tristitiam delinquentis, vel etiam iram cum aliqua levi culpa, si tandem speretur emendatio. Quia hæc per accidens sequuntur, & ad impediendum majus malum permitti possunt. Item correctio fieri debet, si decursu temporis, licet non statim, fructus speretur; ita S. August. Epist. 10. ali. 87. 4. Ut non adsit alter magis idoneus, vel dignitate, aut ætate superior, qui commodius possit, & velit corrigere: nam tunc peccans non indiget tua correctione. Secus, si ille tertius aptior nolit. 5. Ut fiat, (17) quando fructus probabiliter sperari potest,

(17) Alii cum Patre Henno requirunt insuper, ut correctio fraterna fieri possit citra incommodum. Verum hæc conditio expo-

test, seu opportuno tempore: alioqui non prodesset, sed potius obesset. Quare non semper facienda est statim atque peccatum cognitum est. Ita D. Thom. q. 33. art. 2. Sed quid si dubitetur, sitne profutura correctio?

Quæst. Si de fructu dubites, & simul certo scias obfuturam non esse, teneris corrigere: quia remedium, quod non est obfuturum, adhiberi debet in dubio, an sit profuturum, si nullum certius adsit. Si vero dubites, non modo sitne profutura correctio, sed etiam non sit nocitura, eam omittere debes, quia fieri non debet, cum æque imminet peccatum proximi, ac ejus emendatio. Excipe nisi alioqui moriturus esset in mortali; nam tunc, etiam in dubio de peccato mortali, ipse admonendus esset, ne damnetur in æternum.

Quæst. II. An corripiendus est, qui peccat ex ignorantia?

Resp. Corripiendus est 1. Si ignorantia sit culpabilis. 2. Si male agat ex ignorantia invincibili juris naturalis, vel etiam positivi humani. Quia talis ignorantia varia incommoda afferre potest, ut scandalum, habitum pravum &c. immo & periculum postea peccandi formaliter; nam sæpe contingit ignorantiam ex invincibili fieri vincibilem. Multo magis, si ex illa ignorantia oriatur scandalum, vel irreverentia Dei, aut Religionis, aut damnum tertii; ut si quis v. g. rem alienam bona fide retineret. 3. Si sit invincibilis ignorantia medii necessarii ad salutem, ut patet.

Quæst. III. Qui ordo correctionis fraternæ servandus est?

Resp. Per se loquendo servari debet secundum omnes ordo

---

expositione indiget; unde quatuor cum Sylvio statuenda sunt. 1. Cum peccator est in gravi necessitate spirituali a qua per correptionem liberari potest, quilibet eum corripere tenetur cum aliquo boni sui temporalis detrimento. 2. In simili necessitate Pastores & alii quibus ex officio incumbit cura salutis proximorum, eos etiam cum vitæ suæ periculo corripere tenentur. 3. In extrema spirituali necessitate quilibet delinquentes corripere tenetur, non obstante vitæ periculo. Ita S. Th. in 3. dist. 29. art. 8. q. 2. ad 3. 4. extra necessitatem extremam non tenentur privati peccatorem corripere cum notabili honoris, bonorumque temporalium, a fortiori cum vitæ ipsius periculo. Ita Domin. Soto, Bannez, aliique. At privatus, 1. Semper redarguere tenetur exhibendo faciem tristem. 2. Nemo est qui in casibus blasphemiæ, calumniæ, detractionis, sermonum bonis moribus contrariorum, aliisque similibus exterioribus peccatis frequentem correctionis materiam non animadvertat.

ordo a Christo præscriptus, scilicet ut proximus corripiatur primo secreto, deinde coram uno, vel duobus aliis, si secreta monitio non profuerit: tum vero res ad Prælatum Ecclesiæ, seu Superiorem deferatur, Matth. 18. Quia hic est ordo præcepti, tum positivi; nam verba, *Adhibe*, *dic* tam præceptum sonant, quam illud, *corripe*; tum etiam juris naturalis: nam lex naturalis præcipit, ut proximum corrigamus sine detrimento illius famæ, si fieri possit, vel certe cum minimo.

Dixi, *per se loquendo*; Nam cum præceptum hoc sit affirmativum, non obligat pro omni tempore, sed quando charitas, & recta ratio id dictat. Unde hi casus ab omnibus excipiuntur, in quibus peccatum proximi statim deferendum est Superiori. 1. Quando peccatum proximi est ita publicum, ut non censeatur infamari per denuntiationem factam immediate Superiori. Nam tunc non solum emendatio fratris, sed etiam reparatio scandali per punitionem procuranda est. Ita S. Thom. in 4. dist. 19. q. 2. art. 3. ad 2. 2. Quando peccatum etsi occultum cedit in damnum communitatis, ut proditio, hæresis, falsificatio monetæ, veneficium &c. Ita S. Thoma 2. 2. q. 33. art. 7. Item si peccatum cedat in grave damnum tertii privati; nisi constet hoc malum impeditum iri per secretam monitionem, ex cap. 4. *de furt.* Quia secundum ordinem charitatis præferri debet innocens nocenti voluntarie lædenti. S. Thom. 2. 2. quæst. 33. art. 7. 3. Quando prudenter judicatur non profutura tua monitio, nec aliorum inferiorum. S. Thom. quæst. 33. artic. 8. ad 4. 4. Si alter satisfactionem tibi debitam deneget, tunc potes illam petere a superiore: Quia jure tuo uteris. 5. Quando proximus cessit jus, quod habet, ut defectus, & peccata denuntientur Superiori non præmissa monitione secreta, ut fit in Societate nostra. Nam quisque potest cedere juri suo, ac favori suo renunciare, capit. 6. *de priv.* nisi id vergat in aliorum damnum. Porro non licet delictum grave subditi perfecte emendatum sine relapsus periculo deferre Superiori; quia sine causa subditus apud Superiorem infamaretur. Ex dictis sequitur eum peccare mortaliter 1. Qui ex timore, ne proximus offendatur, & ne ipse aliquod leve damnum patiatur, omittit in re gravi correctionem, quam putat profuturam. 2. Qui sine justa causa, non servat ordinem a Christo præscriptum. 3. Qui corripit, vel denuntiat non ex charitate, ut proximus emendetur, sed ex odio gravi, ut confundatur, & deprimatur.

CAPUT SEXTUM.

De Peccatis charitati specialiter oppositis.

Licet omnia peccata charitati generaliter adversentur; sunt tamen quæ illi specialiter opponuntur, & directe pugnant contra ejus actus. Qualia sunt odium, acedia, invidia, discordia, contentio, schisma, rixa, seditio, bellum, scandalum, quæ sunt mortalia ex genere suo, cum excludant a regno Dei, ad Gal. 5.

§. I.

De odio Dei, & proximi.

Quæst. I. Quid est odium?

Resp. Odium est aversio objecti. Duplex est, unum inimicitiæ, quo alicui personæ ex ejus displicentia volumus malum, quatenus ejus malum &c. alterum abominationis, quo rem vel personam aversamur, ut malam præcise, vel, ut malam nobis, vel aliis.

Quæst. II. Quale peccatum est odium Dei?

Resp. Omne odium inimicitiæ erga Deum est peccatum omnium gravissimum: quia per se, immediate, directe, & formaliter avertit a Deo, & opponitur directe actui charitatis omnium præstantissimo, ejusque habitui. Item omne odium abominationis erga Deum est intrinsece malum, & mortale: quia est graviter injuriosum Deo, ut patet.

Quæst. III. Quale peccatum est odium proximi?

Resp. Odium inimicitiæ erga proximum est peccatum mortale ex genere suo. Nam directe opponitur charitati proximi, & graviter prohibetur præcepto diligendi, 1. Joann. 5. Potest tamen esse veniale ex levitate materiæ, ut si ex levi displicentia personæ leve malum optetur. Aliud est de odio Dei, quod non admittit levitatem materiæ, cum vel levissimum malum optare sit Deo graviter injuriosum. Odium (18) vero abominationis erga proxi-

(18) In confessione odii proximi aperienda est circumstantia eorum qui odio habentur, si sit specie diversa, uti e. g. est circumstantia odii in parentes, avos, uxorem, filios, fratres, benefactores eximios, Superiores Ecclesiasticos, Principem, aliosque ejus-

proximum, si sine justa causa, & inordinate concipiatur, est culpa gravis, vel levis pro gravitate, aut levitate materiæ. Interdum tamen culpa vacat, & est laudabile: ut cum quis aversatur peccatorem, non qua homo est, sed qua peccator, in eo aversando ejus peccatum, ut ejus malum est, Prov. 29. Nam sic odisse nil aliud est, quam odisse peccatum in ipso; & tale odium conjunctum est cum charitate, quo eidem volumus salutem, ejus media, aliaque bona, quibus indiget.

Quæst. IV. An semper peccatum est optare malum proximo, vel de eo gaudere?

Resp. 1. Nunquam licet optare, & imprecari malum proximo, quatenus ejus malum est, vel gaudere de ejus malo, ut tali, vel dolere de ejus bono, ut ejus bonum est. Quia hæc sunt actus odii, inimicitiæ, repugnantes charitati; ideoque sunt mortalia ex genere suo, nec possunt esse venialia, nisi ob defectum sufficientis advertentiæ, vel ob levitatem mali optati. Item non licet optare etiam inefficaciter malum proximi, quamvis non ut malum illius, aut gaudere de eo etsi inculpate advenienti, vel dolere de ejus bono, quamvis non ex displicentia personæ, sed præcise ob bonum minus nostrum, vel alterius proximi. Quia hi actus repugnant debito ordini charitatis, ex qua tenemur bonum proximi majus, & altioris ordinis præferre nostro minori, & inferioris ordinis. Idque constat ex propositionibus ab Innoc. XI. damnatis; quas cap. 2. art. 2. q. 1. resp. 4. adduximus.

Resp. 2. Quod licet desiderare affectu inefficaci aliquod malum temporale alteri, v. g. morbum, & de illo gaudere præcise propter ejus bonum spirituale v. g. ut peccare desinat, & resipiscat. Item licet optare mortem juste obventuram heresiarchæ, vel malefactori Reip. noxio, & de ea gaudere, non quatenus ipsius malum est, sed quatenus per illam mortem majora mala impediuntur, & ob multorum bonum. 3. Licet optare victoriam de hostibus in bello justo, vel Turcarum excidium ob ingens bonum justum tuæ communitatis, vel Ecclesiæ. 4. Licet optare malefactori pœnam debitam per judicem infligendam, vel ut ipse, vel alii coerceantur ab injuria inferenda tibi, aut aliis; vel quia expedit Reip. & bono communi. Quæ omnia clara sunt, & manifesta. Legatur

---

ejusdem generis. Item exprimendum est etiam in confessione malum quod proximo exoptatum fuit, quia pro diversitate mali diversa in actu odii deformitas reperitur.

tur D. Thom. in 3. distinct. 33. artic. 1. ad 4. At nunquam licet optare aliis, vel sibi majus malum ad vitandum minus, quia hoc est contra debitum ordinem charitatis.

Quæst. V. Quid dicendum de maledictione?

Resp. 1. Ex dictis constat esse mortale, proferre maledictionem gravem ex animo, ut malum grave eveniat, v. g. diabolus te rapiat; immo etiam sine animo ut eveniat, sæpe mortale est, sive ratione contumeliæ gravis, spectata personæ qualitate, sive ratione scandali. Sic parentes graviter peccant liberis suis præsentibus grave malum oretenus ex ira imprecando; nam suo exemplo eos docent sibi invicem, vel aliis malum grave imprecari, & iræ servire. Nec a mortali excusatur, qui durante passione grave malum evenire deliberate voluit, etsi statim postea noluisset, immo doluisset, si evenisset; quia revera passioni iræ deliberate consensit in re gravi. Item mortale est seipsum ex ira deliberate dæmoni devovere ob fœditatem, ac perversitatem rei. Tamen maledictio potest esse peccatum veniale, vel ob parvitatem mali optati, vel ob defectum sufficientis advertentiæ, & deliberationis, vel ob aliam similem causam, ut docet S. Thom. 2. 2. quæst. 76. artic. 3. inquiens: *Peccata verborum maxime ex affectu pensantur*. Ex his intelligere debet Confessarius, quomodo circa hujusmodi peccata se gerere debeat.

Resp. 2. Maledictio gravis effusa in non subditum præsentem, non solum charitati, sed etiam justitiæ repugnat. Nam est etiam gravis, & injusta læsio honoris proximi, seu contumelia, ideoque obligat ad satisfactionem. Porro maledicere creaturis irrationabilibus, quatenus sunt utiles homini, est æquivalenter maledicere homini. Maledicere illis, in quantum sunt creaturæ Dei, est blasphemia. Maledicere eis secundum se consideratis est *otiosum, & vanum, & per consequens illicitum*; Ita S. Thom. quæst. 76. art. 2. Hoc tamen ultimum censetur solum veniale per se, ut si rusticus equis suis mortem, vel diabolum optet.

§. II.

§. II.

De discordia, contentione, schismate, rixa, & seditione.

1. DIscordia est dissensio voluntatis a voluntate alterius in iis, quæ quis tenetur velle ex charitate Dei, vel proximi. Opponitur concordiæ, quæ consistit in voluntatum consensione. Estque peccatum mortale ex genere suo, ex Galat. 5. Prov. 4. &c. Et ratio est, quia specialiter opponitur charitati, cujus est voluntates unire. Sed ad hoc requiritur, ut quis scienter dissentiat a bono Dei, & proximi, in quo debet consentire, ut docet S. Thom. quæst. 37. art. 1.

2. Contentio est altercatio verborum, quibus inordinate quis alteri contradicit. Est peccatum mortale ex genere suo, sicut alia, quæ sunt contra charitatem, ex eodem Apost. ad Gal. 5. Contentio autem semper est mortalis 1. Si impugnetur veritas ad fidem, bonos mores, pietatem, justitiam, vel grave bonum proximi spectans. 2. Si contentio fiat cum periculo scandali, vel cum gravibus maledictis, conviciis, contumeliis. His seclusis est solum venialis, si materia sit levis, vel inordinatio sit solum in modo, v. g. si solum fiat cum nimia acrimonia, clamoribus, aut ex solo studio vincendi adversarium.

3. Schisma est voluntaria separatio personæ baptizatæ ab Ecclesiæ unitate: sive est subtractio ab obedientia Ecclesiæ vel Summi Pontificis ejus capitis in spiritualibus; vel etiam separatio voluntaria a solis membris Ecclesiæ. Legatur D. Thom. q. 39. art. 1.

Schisma aliud est purum, quod charitati solum, & paci, & obedientiæ opponitur, quale est in iis, qui ex malitia voluntatis, seu superbia nolunt cum quadam rebellione Papæ subesse, ac obedire, vel reliquis Ecclesiæ membris uniti esse. Et aliud cum hæresi conjunctum, ut cum quis se *separat ab obedientia Papæ, quia non credit ejus potestatem*, ait Toletus. Porro omnes hæretici sunt etiam schismatici, cum ab unitate Ecclesiæ se separent contrariam doctrinam sectando. Est autem (19) Schisma gra-

(19) Et ideo gravissimis pœnis punitur. Porro pœnæ Schismaticorum hæ sunt: 1. Excommunicantur. Inhabiles sunt ad suscipienda beneficia, donec, abjurato schismate, cum eis fuerit dispen-

gravissimum scelus, ut constat ex Patribus, cum lædat præclarissimum quoddam bonum commune, nempe ipsam Ecclesiæ unitatem. Ita ex August. multisque aliis Episcopis in Epist. 52. quæ est Concilii Zertensis.

4. Rixa est pugna manuum, & verborum inter privatos, seu auctoritate privata instituta. In aggressore est peccatum mortale ex genere suo, cum sit contra charitatem, & justitiam; & ad Gal. 5. numeratur inter opera carnis excludentia a regno Dei. In aggresso vero *potest esse sine peccato, & quandoque cum peccato veniali, & quandoque cum mortali secundum diversum motum animi ejus, & diversum modum se defendendi*: ait S. Thom. 2. 2. quæst. 41. art. 2.

5. Seditio est bellum aggressivum unius partis Reip. adversus aliam, vel adversus Principem suum. Est semper mortalis; nam semper adversatur graviter unitati, paci, ac bono communi, & etiam justitiæ, cum auctoritas bellandi resideat in solo Principe, vel Rep. libera.

§. III.

De Bello.

Quæst. I. AN bellum etiam offensivum potest esse licitum?

Resp. Affirm. ex Luc. 3. Deuteron. 23. Nam Principi summo, & Reip. liberæ licet jus suum tueri, ac repetere. Cum autem careant Superiore, a quo jus suum obtinere possint, debuit iis jure naturæ competere potestas ad jus sibi dicendum, & cogendam partem adversam ad sibi satisfaciendum: alioqui non posset communitas perfecta in pace conservari. De defensivo per se patet, cum jure naturæ unicuique liceat vim vi repellere cum debita moderatione.

Quæst. II. Quænam requiruntur, ut bellum sit licitum?

Resp. ex S. August. l. 22. cont. Faustum cap. 74. & 75. ex S. Thom. 2. 2. quæst. 40. & communi Doctorum senten-

pensatum, cap. 5. de Elect. 3. Nec beneficia valide conferunt, nec licitam dant Ordinis executionem, unde ab iis scienter ordinati ab eorumdem Ordinum exercitio sunt suspensi, cap. 1. & 2. de Schism. Censet tamen Suarez cum communi cont. Panormitanum hasce pœnas non incurri a schismaticis puris ante condemnationem. Quapropter a fortiori non privantur schismatici jurisdictione.

tentia hæc tria: 1. Potestas suprema, quæ residet vel in Rep. libera, vel in Principe supremo. 2. Causa justa, quæ est dumtaxat gravissima injuria Principi, vel subditis illata, quam tollere, vel pro ea satisfacere pars adversa recuset. Ex S. August. in cap. *Dominus*, 23. q. 2. Nam charitas, & justitia exigunt, ut sine gravissima, & necessaria causa non inferantur aliis gravissima damna, qualia fiunt in bello. 3. Recta intentio, ut non geratur bellum ex odio, avaritia inordinata, cupiditate amplificandi imperii, sed ad publicam quietem, ac justitiam servandam, vel ad opitulandum injuste oppressis. Porro licet etiam aliis, tanquam sociis, auxilium præbere Principi habenti justam causam bellandi, & huic uti aliorum auxilio, quamvis sint diversæ religionis, modo absit scandalum, & periculum fidei, ac sacrilegiorum, ex 1. Machab. 8. Nam per se loquendo licet alium in re justa juvare. Secus, non licet, ex Cælest. I. epistol. ad Theod. Imp. in actis Concil. Ephes. Cæterum quamvis non possit dari bellum utrimque justum ex natura rei, cum circa idem non possint dari jura contraria; fieri tamen (20) potest,

(20) Peccant in primis Reges ac Principes, si bella moveant, neglectis conditionibus quas Auctor hac 2. Quæstione commendavit; vel si hæreticis cooperentur ad recuperandas ipsis ditiones in quibus sacra templa profanabuntur, Catholica Religio minuetur, & falsa ampliabitur. Vel si bellum moveant contra fidem datam in fœdere pacis, vel induciarum, etiamsi timeant ne Princeps quem aggredi volunt fiat nimis potens, aut ne ipse postea, rupto fœdere, cum sibi opportunum fuerit, bellum indicat. Quando vero Princeps bellum gerit necessitate coactus providere debet de expertis, timoratisque belli ducibus, ne mala quæ per duces minus expertos & timoratos Reipublicæ eveniunt, ipsis imputentur.

Secundo, Belli duces contra justitiam graviter peccant, & ad restitutionem tenentur, dum milites stipendiis suis fraudant, militumque concussiones, rapinas, stupra &c. justis non coercent pœnis. Rapinæ quoque rei sunt, & obnoxii restitutioni, dum, accepta ab aliquibus pagis pecunia, alios pagos majori militum parte gravant. A pagis vero, per quos transitus ipsis non est a Principe vel duce Supremo præscriptus, jus nullum habent quidpiam exigendi.

Tertio, rapinæ rei sunt milites qui rusticos aut cives apud quos sunt & hospitantur, sive in itinere, sive in præsidiis, hostiliter vexant, spoliant, pecuniasque, aut alia ad ipsos spectantia auferunt, vel extorquent præter id quod ipsis constitutum est. Et idem est de Ducibus id dissimulantibus.

Quarto, rapinæ rei sunt milites, qui in bello etiam justo prædas agunt, occidunt, domos incendunt, &c. absque jussu Principis, vel Ducis militiæ. Multo magis rei sunt rustici qui hæc attentant, cum militiæ non sint adscripti. At dubitatur, num si rustici hostilium partium rusticos nostros hostiliter persequerentur, & spo-

test, ut neutra pars peccet bellando, ob ignorantiam invincibilem.

Quæst. III. Quænam ante bellum, & in ipso bello fieri debent, ac licent?

Resp. 1. Ante bellum tenetur Princeps rem diligenter examinare cum viris probis, ac peritis, & habere certitudinem saltem moralem de justitia causæ. Nam charitas, & justitia exigunt, ut non inferatur bellum, nisi plane constet de causa justa, & sufficienti. Quod si justitia sit dubia, & alter sit in possessione, certa injustitia est bellare: Quia in dubio melior est conditio possidentis. Deinde tenetur parti adversæ justitiam causæ, & suas prætensiones proponere, ut illa possit satisfacere injuriæ illatæ, vel restituere ablata sine alio damno: nam bellum sine ingenti necessitate geri licite nequit, propter ingentia mala, quæ cum eo conjuncta esse solent, ex S. August. in cap. *Noli* q. 1. Hinc æqua satisfactio oblata acceptari debet.

Resp. 2. In bello justo licita sunt ea omnia, & sola, quæ juxta consuetudinem Christianorum necessaria sunt ad assequendum finem belli, scilicet vel ad recuperanda injuste ablata, vel injuriam juste vindicandam, & ad securitatem Reip. stabiliendam. Nam, cum finis licitus sit, licita sunt etiam media per se ad illum necessaria. Hinc. 1. Licet occidere hostes pugnantes, & resistentes, non tamen innocentes, qui non pugnant, quamvis sint partes Reip. hostilis; quia nunquam licet innocentem directe occidere. Indirecte tamen, & per accidens possunt interfici, ut cum urbs expugnari, vel nocentes, seu milites vinci

---

& spoliarent, licitum sit istis, aliter satisfactionem obtinere non valentibus, hostiles in agros, absque expressa Principis concessione, excurrere ad damnorum & injuriarum compensationem.

Quinto, graviter peccant contra justitiam in bello cives, vel rustici, qui istos vel illos milites spoliant, vel occidunt, eo prætextu quod alii ejusdem cohortis, legionis, vel exercitus, vel ipsimet, vel alii aliquo modo spectantes, vexati, spoliati, vel occisi fuerint.

Sexto, graviter peccant contra justitiam cives & rustici qui merces suas militibus carius vendunt quam aliis.

Septimo, graviter peccant utrique contra justitiam, dum res alienas a militibus furto sublatas emunt: tametsi emere possint res quas milites, Principis aut Ducis jussu, surripuerunt, ne iis hostilis exercitus uteretur, ut sunt grana, arma, æqui, &c. Peccant similiter contra justitiam, dum res a militibus furto sublatas discedente exercitu derelictas sibi vendicant, nisi similes sint iis quas milites surripuerunt: quo casu licita est compensatio, si discerni nequeat cujus sint in individuo.

vinci nequeunt, nisi cum periculo, & occisione innocentum. Quia bonum publicum, quod ex victoria speratur, est majus bonum, quam vita aliquorum, quorum mors præter intentionem sequitur. 2. Licet spoliare bonis cives, etsi non pugnantes: quia cum sint pars Reip. ipsa juste punitur in illis. 3. Licet uti insidiis, & stratagematibus ex Jos. 8. & cap. *Dominus* supr. cit. quia non sunt mendacia, sed occultatio veritatis. 4. Civitas capta dari sine gravi necessitate non potest in prædam, propter multa scelera, & mala, quæ in tali deprædatione a militibus committi solent. Et si detur, tenentur Duces diligentissime curare, ne scelera committantur. 5. Ea, quæ caveri nulla prudentia possunt, ut veneno inficere puteos, aquas, glandes, non licent, quia sunt contra jura belli, & gentium. Item christiani a christianis capti non possunt fieri servi, nam id ex consuetudine gentis christianæ in suæ religionis obsequium receptum est: unde esset contra jus gentis christianæ. 6. Non licet victori retinere urbes captas, & alia bona immobilia hostium, nisi pro debita compensatione, vel satisfactione, vel pro securitate imposterum contra victos stabilienda. Nam compensatio debet esse commensurata debito. 7. Princeps tenetur inchoatum bellum finire, si æqua satisfactio offeratur, securitas sufficiens præstetur & compensentur impensæ belli: quia tunc cessat causa continuandi bellum.

Resp. 3. Jure naturali nihil fieri licet contra justitiam, jus gentium, fortitudinem, charitatem, & Religionem. Et fides data hostibus servanda est, ex S. August. in cap. *Noli*: Nam hæc obligat jure naturali, & gentium; & hoc necessarium est ad pacem, & bonum commune regnorum. Quod intellige, nisi hostes ipsi fidem fregerint: nam pacta fieri censentur sub hac conditione, si alter promissis steterit.

Resp. 4. Tenetur Princeps, & ejus Duces militibus stipendia solvere, & impedire ne proprii subditi iniquis vexationibus graventur; alioqui tenentur ad compensationem, cum sint damnorum caussa contra proprium officium, & justitiam.

Resp. 5. Ex communi sententia bona justo bello capta, si sint immobilia, cedunt Principi, aut Reip. Si mobilia, sunt capientium, nisi ex consuetudine regionis ea dividenda sint inter milites, aut una pars cedat Principi. Secus est de bonis injuste acquisitis ab hostibus, ex c. 20. §. *de captivis*, cum jus habeant in illa, nec sint hostium.

Quæst. IV. An represaliæ licitæ sint?

Resp. Affirm. positis certis conditionibus. 1. Ut constet de in-

de injuria illata. 2. Ut Princeps, vel Magistratus civium nocentium rogatus debitam satisfactionem deneget. 3. Ut fiant auctoritate Principis civium læsorum. 4. Ne plus damni inferatur, quam justa satisfactio requirit. 5. Ut non fiant in personas Ecclesiasticas, & eorum bona, cap. ult. *de injur.* in 6.

§. IV.

De Scandalo.

Quæst. I. QUid est scandalum?

Resp. 1. Generatim duplex est, nempe activum, quod est dictum, vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem peccandi. Dicitur, *minus rectum*, hoc est, quod vel malum est, ut si turpia loquaris cum adolescente; vel mali speciem habet, ut si mulierem suspectam domi aleres, licet cum ea non peccares, nec periculum tibi esset cum ea peccandi: aut si justa de causa, coram aliis eam ignorantibus, comedas carnes die vetito, ex 2. ad Thess. 5. Et passivum, quod est ipsa ruina, seu peccatum proximi, ex occasione facti, vel dicti, vel omissionis alterius commissum. Dividitur in scandalum pusillorum, seu infirmorum, quod oritur ex ignorantia, vel infirmitate peccantis; & in pharisaicum, seu mere acceptum, quod oritur ex ipsa malitia peccantis.

Quæst. II. An scandalum est speciale peccatum?

Resp. 1. Dare scandalum directe, inducendo scilicet proximum ad peccandum, etsi non ex intentione expressa, ut peccet, & pereat, sicut facit dæmon, sed propter utilitatem, vel voluptatem aliquam propriam, aut alterius, est speciale peccatum contra charitatem, vetantem, ne offensam Dei, & malum spirituale proximi quovis modo procuremus, & contra præceptum correctionis fraternæ, ut patet. Immo talis inductio habet duplicem malitiam in Confessione exprimendam; unam contra charitatem, & alteram contra virtutem, cui repugnat opus illud malum; nam singulæ virtutes obligant directe ad suos actus eliciendos, & indirecte ad non procurandam sui violationem in aliis. Resp. 2. Dare scandalum, indirecte tamen non intendendo peccatum alterius, nec ad illud inducendo, sed præcise dicendo, vel faciendo coram illo aliquod malum, vel mali speciem habens, est peccatum mortale ex genere suo, & speciale contra charitatem. Ita S. Anton. & alii multi, ex Matth. 18. Rom. 14. & 1. ad Cor. 8. Nam ad contrahendam malitiam aliquam, sufficit,

sufficit, ut libere fiat id, quocum conjuncta est, & cognoscitur, vel cognosci potest, ac debet esse conjuncta: nam tunc illa malitia est saltem interpretative volita. Immo hoc scandalum indirectum, ex communi sententia, contrahit etiam malitiam peccati, cujus datur occasio, exprimendam in confessione. Tum quia dans illud, vult saltem interpretative tale peccatum alterius; volendo sine justa causa id, ex quo prævidet secuturum, vel ejus periculum: tum quia virtus omnis non solum vetat actus sibi contrarios, sed etiam ne detur aliis occasio illos ponendi. Est autem mortale, si detur occasio culpæ mortalis; veniale vero, si detur solum occasio venialis, secluso periculo gravioris mali. Hinc peccant mortaliter contra charitatem, & castitatem, 1. Qui imagines, vel statuas nudas faciunt, vel palam exponunt. 2. Qui scribunt, imprimunt, recitant, tradunt libros amatorios, cantilenas turpes &c. Item, qui componunt, vel agunt comœdias obscœnas, aut periculosas ratione verborum, factorum, aut gestorum, vel sua præsentia eas approbant, iis consentiunt, & cooperantur solvendo mercedem agentibus. Feminæ quæ nudum pectus gestant. Puella, quæ sine justa causa se præbet conspiciendam ei, a quo putet se turpiter concupiscendam, quamvis id faciat ex mera vanitate. Qui hi omnes sunt causa ruinæ multorum. Nec refert, quod eam non intendant, cum dent ei sufficientem causam. Ita communiter.

Præcepta observanda sunt sequentia: 1. Peccatum scandali hoc ipso committitur, quod datur proximo occasio peccandi, quamvis is reipsa non peccet; nam ad hoc satis est, quod peccatum proximi ex tua actione, vel omissione minus recta in talibus circumstantiis, spectata ejus fragilitate, sequi probabiliter possit. 2. Peccatum coram aliis commissum habet malitiam scandali tunc solum, quando est periculum probabile, ne ii, coram quibus committitur, inde impellantur ad peccandum. Hinc blasphemia v. g. coram solis Religiosis non habet rationem scandali. Qui vero publice peccat, tenetur eam scandali circumstantiam confiteri ratione periculi, cui se incitandi multos ad peccandum suo pravo exemplo exponit. 3. Numerus eorum, quibus scandalum datur debet in confessione declarari. Nam numerus se habet, ut objectum peccati, illudque multiplicat. 4. Actus venialis, vel ex objecto indifferens potest esse mortalis ratione scandali, quando ex ipso probabile periculum est, ne alii ex ignorantia, vel infirmitate sumant occasionem peccandi mortaliter, ex capit. 2. *de novi oper. nunt.* & 1. ad Cor. 8. 5. Cum sit actio de se licita, quæ aliquam speciem mali

habet,

habet, tollitur scandalum declarando justam causam agendi, quando hoc sufficit ad amovendam suspicionem omnem mali. Sic comedens carnes die vetito ob rationem occultam, impedit scandalum hanc aperiendo. 6. Quamvis juxta multos liceat, non auferendo occasionem peccati, permittere unum peccatum, ut impediantur plura, v. g. liceat hero non auferre occasionem furandi famulis, aut filiis, quos ad furandum propensos, ac paratos novit, ut sic deprehensi puniantur, & resipiscant; non licet tamen talia ultro ponere, aut pericula objicere; quia esset positive occasionem, ac periculum peccandi præbere alteri, quod non licet.

Quæst. III. An tenemur omittere opus de se non malum, nec speciem mali habens, ob scandalum passivum aliorum vitandum?

Resp. 1. Non tenemur illud omittere ob scandalum ortum ex malitia, cum adest rationabilis causa, ut utilitas magna nostra, vel aliena, etiam temporalis. Ita S. Thom. q. 43. art. 8. Quia cum scandalum illud ex sola malitia scandalizati oriatur, ei soli imputatur. Secus, si nulla esset necessitas, vel notabilis utilitas, cum, ea sublata, teneamur ex charitate impedire peccatum proximi, etiam ex sola ejus malitia secuturum. Resp. 2. Ad vitandum scandalum passivum ex infirmitate, vel ignorantia ortum, tenemur omittere ex charitate opus utile, non malum, nec mali speciem habens, vel saltem differre, donec proximus moneatur, ne scandalizetur, cum id sine gravi incommodo possumus. Eccli. 17. Hinc mulier, quæ prævidet aliquem in particulari ex suo aspectu sumpturum occasionem peccandi ob infirmitatem, tenetur vitare ejus aspectum, cum potest sine gravi incommodo. Non est tamen obligatio omittendi prædictum opus, ne quis generatim, ac indeterminate sumat inde occasionem peccandi; alioqui hoc esset onus intolerabile, & obnoxium plurimis scrupulis. Hinc mulier ad vitandum periculum vagi, ac indeterminati scandali non tenetur abstinere ab ornatu honesto, ac ordinario secundum suam conditionem; secus de extraordinario, nec convenienti.

Quæst. IV. An omitti debet opus bonum ad vitandum scandalum passivum pusillorum, seu infirmorum?

Resp. 1. Ad vitandum scandalum nunquam licet facere actionem prohibitam lege naturali. Neque etiam (21) licet

(21) Distinguere oportet inter ea quæ sunt juris naturalis affirmativi, & ea quæ sunt juris naturalis ~~positivi~~ negativi. Porro quamvis ea

cet omittere actionem lege naturali præscriptam, in iis circumstantiis, in quibus præcipitur. Constat etiam ob scandalum aliorum nunquam posse omitti ea, quæ necessaria sunt necessitate medii ad salutem. D. Thom. q. 43. art. 7. Item non licet omittere ob scandalum passivum opus bonum in detrimentum fidei, vel boni communis spiritualis, ex Greg. hom. 7. in Ezech. Resp. 2. Ad vitandum grave scandalum pusillorum, multi putant debere prætermitti præcepta mere positiva humana, nisi ex ejusmodi omissione majus damnum immineret, vel tibi, vel aliis. Sic si te ituro ad sacrum die festo excitanda sit cædes, vel gravis rixa, non debes ire, quia præcepta non obligant in iis circumstantiis, in quibus charitas dictat omittendam eorum observantiam, ut impediatur grave peccatum proximi. Resp. 3. De bonis operibus, quæ sunt solum consilii, docet S. Thom. q. 43. artic. 7. ea omitti non debere ad vitandum scandalum ex mera malitia acceptum, Matth. 15. alioqui quivis sua malitia posset bona spiritualia aliorum impedire. Si vero scandalum ex infirmitate, vel ignorantia oriatur, occultari debet, vel interdum differri, donec ratio sic agendi proposita est, quando id facile possumus, idque ex lege charitatis, ut patet. Quod si post redditam rationem non desinant inde scandalizari; nunc scandalum ex mera malitia oritur, & sic propter ipsum non esse dimittenda bona opera docet S. Thom. ibid.

Quæst. V. An licet minus peccatum suadere volenti committere gravius, quando aliter gravius impediri nequit?

Resp. Id non licet loquendo de suasione, aut alia inductione directa. Nam suadens esset moralis causa peccati minoris, ad quod alter non erat determinatus. Porro, illud effatum: *E duobus malis minus est eligendum* non habet

---

ea quæ sunt contra jus naturale negativum, quæque a Theologis intrinsece mala dicuntur, numquam facienda sint ad vitandum scandalum; probabilius tamen ea quæ sunt juris naturalis affirmativi prætermittenda sunt ad vitandum scandalum pusillorum; ita communiter cum D. Thoma 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3. Et ratio est, quia, prout Innocentius III. cap. *cum ex injuncto* dicit, „ ab his quæ sine mortali „ peccato committi possunt pariter & dimitti, est pro scandalo tollendo cessandum, vel insistendum “. Ejusmodi vero sunt ea quæ sunt juris naturalis affirmativi: utpote quæ non obligant *pro semper* & *ad semper*, sive pro quibuscumque circumstantiis quemadmodum fatentur omnes, demonstratque Div. Thomas loco cit. exemplis communiter receptis, præcipue vero correctionis fraternæ, & eleemosynæ.

habet in peccatis, quæ libere vitari possunt, sed in his solum malis, quorum unum sustinendi necessitas incumbit.

Quæst. VI. Quandonam est peccatum scandali vendere, vel dare alicui rem, aut operam de se licitam, qua male usurus prævidetur, vel probabiliter putatur?

Resp. 1. Peccatum est, quando denegari potest sine gravi damno. Nam, præterquamquod id adversatur charitati, & correctionis fraternæ præcepto, ut consideranti constabit, talis censetur saltem interpretative velle ruinam alterius. Hinc mortaliter peccant caupones, qui secundam refectionem bene pransis, vel carnes die jejunii præbent hospitibus, quos sciunt, vel prudenter judicant non habere dispensationem, nisi forte ex denegatione gravissimum malum ipsis immineat, ut mors, incendium, vulnera. Secus, si ista præbeant viris honestis petentibus, de quorum dispensatione non certo iis constet: nam in dubio debent præsumere esse legitime dispensatos. Item qui præbent vinum copiosum iis, quos eo inebriandos prævident. Idem dic de illis qui vendunt venenum aliis, quos non constat bene usuros, v. g. ad confectionem medicinæ vel colorum, aut merces iis, qui abusuri sunt.

Resp. 2. Non licet præbere operam, vel rem aliquam, quæ in talibus circumstantiis proxime ad peccatum adjuvat, & ad illud determinate ordinatur. Quia tunc est moraliter cooperari peccato alterius. Hinc Innocent. XI. damnavit hanc propositionem: „ Famulus, qui submissis „ humeris adjuvat herum suum ascendere per fenestras „ ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit „ deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile „ cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino male tra„ ctetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expella„ tur.“

Resp. 3. Licet rem, & operam ex se licitam nec per se, ac proxime ad peccatum concurrentem præbere ea abusuro, si adsit causa justa, & proportionata excusans, & desit intentio cooperandi ejus peccato, nec alter abutatur contra bonum Reip. vel Ecclesiæ. Nam tunc ista suppeditans, in æstimatione prudenti non censetur cooperari alterius peccato, sed solum illud permittere ex urgenti causa, ob quam non tenetur illud impedire, & peccatum soli malitiæ abutentis imputatur.

Hæc autem causa tanto gravior, & urgentior esse debet 1. Quanto gravius est peccatum, quod non impeditur. 2. Quanto subministratio tua minus remote illud attingit. 3. Quanto probabilius est, te non suppeditante,

 alte-

alterum non executurum peccatum. Item ex communi sententia requiritur major causa, quando alter non est paratus ad peccandum, quia gravius malum patitur. 4. Si abusurus sit contra justitiam: nam strictius tenemur impedire peccata alterius, quæ nocent aliis, quam quæ non nocent. Hinc 1. Parochus potest, ac debet Eucharistiam ministrare peccatori occulto eam publice petenti. 2. Excusantur caupones vinum vendentes militibus abusuris ad ebrietatem, si denegare non possint sine damno vitæ, vel bonorum omnium. 3. In necessitate licet ab alio petere, quod potest sine peccato facere, quamvis prævideatur peccaturus, v. g. mutuum, quo indiges, ab usurario.

TRACTATUS
DE
VIRTUTE RELIGIONIS.

Religio eſt virtus, qua Deo, ut rerum omnium principio, cultus debitus, ac ſupremus exhibetur. Per cultum intelligitur teſtificatio excellentiæ divinæ cum ſubmiſſione noſtra erga Deum. Religio non eſt virtus theologica, ſed moralis, cum habeat pro objecto materiali actus, quibus Deus colitur, & pro objecto formali ſpecialem honeſtatem elucentem in præſtando cultu Deo debito ob ſummam ejus excellentiam; quæ excellentia divina eſt titulus, ob quam honeſtum eſt præſtare Deo cultum ſupremum. Eſt tamen virtutum moralium præſtantiſſima, cum ejus objectum immediatius, & perfectius tendat in Deum, quam objecta aliarum virtutum moralium. Actus præcipui religionis ſunt adoratio, ſacrificium, oratio, devotio, quæ eſt prompta, & efficax voluntas præſtandi ea, quæ ad Dei cultum pertinent: item laus Dei, gratiarum actio, votum, juramentum, adminiſtratio, & ſuſceptio Sacramentorum &c. Porro tenemur Deum colere non ſolum actibus internis, ſed etiam externis. Nam cum ſpiritu, & corpore conſtemus, tenemur utriſque actibus Deum colere, utpote utriuſque principium.

CAPUT PRIMUM.

De Adoratione, Oratione, & ſpeciatim de Horis Canonicis.

Quæſt. I. Quid, & quotuplex eſt adoratio?

Reſp. Adoratio late (1) ſumpta eſt actus, quo teſtificamur alterius excellentiam, & noſtram erga illum ſubmiſſionem ob ejus excellentiam. Conſiſtit formaliter in voluntate teſtificandi excel-

(1) Nota. Cultum latriæ præſertim, externum ſine interno non eſſe cultum proprie dictum; cum ſit adoratio mortua, & corpus ſine anima. Requiritur ergo, & quidem præcipue, cultus inter-

cellentiam alterius, & se illi submittendi, hujusque submissionis signum exhibendi ob ejus excellentiam, nec non in talis signi exhibitione.

Adoratio late sumpta dividitur 1. In latriam, quæ exhibetur Deo ob increatam, & infinitam ejus excellentiam; in duliam, quæ exhibetur Sanctis ob eorum creatam excellentiam supernaturalem; in hyperduliam, quæ S. Virgini Dei Matri ob singularem ejus supra omnes Sanctos, & Angelos excellentiam supernaturalem creatam exhibetur; & in politicam, quæ defertur viris principibus, sapientibus &c. ob creatam excellentiam naturalem, ut potentiam, sapientiam &c. 2. In absolutam, qua persona adoratur ob excellentiam sibi intrinsecam; & relativam, qua aliquid adoratur ob excellentiam personæ, ad quam habet habitudinem aliquam, vel conjunctionem. Adoratio autem stricte sumpta est cultus latriæ soli Deo debitus: in quo consistat, ex dictis facile deprehenditur. Constat etiam 1. Solum Deum adorandum esse cultu latriæ, Sanctos colendos esse cultu duliæ, & B. V. cultu hyperduliæ, cum adoratio debeat esse commensurata excellentiæ, propter quam exhibetur. 2. Christi, B. Virginis, & Sanctorum imagines, & reliquias adorandas esse cultu relativo proportionato personæ, cujus sunt: adoratio enim imaginis consistit in signo aliquo externo submissionis erga imaginem propter excellentiam prototypi ad testificandam submissionem nostram internam erga ipsum prototypum, ex Concil. Trid. sess. 25.

Quæst. II. An, & qualis oratio est præcepta?

Oratio late sumpta est quivis pius animæ motus, seu affectus in Deum, qualis est actus fidei, spei, amoris, laudis, gratiarum actio &c. Stricte sumpta est petitio decentium Deo facta, sive immediate, sive mediate Sanctorum intercessione. Duplex est, mentalis, quæ fit sola mente: & vocalis, quæ etiam voce exprimitur. Hæc dividitur in privatam, quæ fit a privata persona, ac privato nomine; & in publicam, quæ fit a communitate, vel a ministro nomine communitatis.

Resp. 1. Oratio frequens est omnibus adultis præcepta, ex Luc. 18. & 21. Et ratio est, quia sine oratione debita non obtinentur auxilia omnia necessaria ad observanda omnia

ternus, seu interna adoratio: in ea porro continetur obligatio fidei, spei, & charitatis, sive credendi Deo, sperandi in Deum, ipsumque super omnia diligendi. Quapropter vere dicitur a Catechismo Romano, quod peccant in hoc primo præcepto, qui fidem, spem, & charitatem non habent.

omnia mandata & tentationes vincendas, ex Jac. 4. & in primis donum perseverantiæ non est præparatum adultis nisi orantibus, ut docet S. August. lib. de dono Persev. cap. 16. Legatur Catechismus Rom. Hinc oratio est adultis necessaria etiam necessitate medii ad salutem. Præceptum autem orandi obligat in gravi necessitate, ac tentatione propria, vel proximi, & sæpissime (2) in vita; quia continuo Dei auxilio egemus, & ad illud obtinendum instituta est oratio, tanquam medium ordinarium.

Resp. 2. Oratio debet (3) esse pia, & honesta: alioqui non est actus religionis, nec cultus Dei. Ut talis sit, debet fieri cum intentione, attentione, fide, fiducia, humilitate, devotione, decenti, ac pia corporis compositione, & de rebus necessariis, vel conducentibus ad salutem, & ad gloriam Dei. Porro (4) mortale est petere a Deo

---

(2) Præsertim vero quando celebranda & audienda est Missa, administranda, vel suscipienda sunt Sacramenta: item in necessitatibus publicis vel privatis, spiritualibus vel temporalibus, nostris vel fratrum seu proximorum nostrorum; item mane & sero, &c.

(3) Oratio omnibus necessariis conditionibus prædita infallibilem vim habet, 1. Merendi (etiam merito rigoroso, seu, ut ajunt, *de condigno* in justis qui orant) 2. Satisfaciendi, cum sit actio laboriosa & pœnalis, cui Deus promisit pœnarum peccato debitarum remissionem. 3. Vim impetrandi, tum ex propria natura, tum ex promissione Dei.

Nihilominus oratio, nec semper, nec omnes simul hosce effectus producit; sed interdum impetrativa est, quin meritoria sit & satisfactoria: tales sunt orationes quas in cælo Sancti pro nobis fundunt. Interdum est impetratoria & satisfactoria, quin sit meritoria, saltem merito rigoroso & de condigno: talis est oratio peccatorum pœnitentium, sed nondum justificatorum. Interdum est meritoria quin sit impetratoria, ut cum justus pro seipso petit quod ipsum obtinere non expedit. Denique oratio interdum unum petit, & meretur aliud: sic e. g. justus qui oratione sua aliquod temporale bonum obtinet illud potius impetrat quam mereatur; meretur vero vitam æternam.

Tres præsertim conditiones necessariæ sunt, ut oratio infallibiliter impetratoria sit. 1. Ut oratio pro objecto non habeat nisi utilia & necessaria ad salutem. 2. Ut firma fiducia obtinendi quod per ipsam petitur eam comitetur. 3. Infatigabilis perseverantia in oratione.

(4) Talis petitio, licet non esset rei nisi venialiter malæ, esset peccatum mortale, perinde ac omne perjurium assertivum in materia levi. Collet Mor. tom. 3.

Ea vero quæ non sunt per se mala, sed quibus abuti possumus, cujusmodi sunt divitiæ, honores, &c. non sunt absolute petenda, sed conditionate; quia forte illis abutemur. Quod de bonis temporalibus dictum est, de malis item temporalibus dictum intelligi debet, ob eamdem rationem ut de ægritudine, bonorum jactura, &c. Denique bona queis abuti nequimus, ut charitas

Deo rem malam, vel auxilium ad illam: quia in hoc est gravis irreverentia in Deum, quasi esset auctor, vel fautor peccati.

Quæst. III. Quinam obligantur ad Horas canonicas?

Resp. Horæ Canonicæ sunt oratio vocalis publica auctoritate Prælatorum Ecclesiæ constituta, ut quotidie certis horis nomine Ecclesiæ recitetur ad laudandum, & precandum Deum. Itaque Resp. Secundum omnes Doctores ad eas sub mortali singulis diebus obligantur 1. Omnes insigniti aliquo ex Sacris ordinibus, etsi non beneficiati; immo etiam excommunicati, & degradati, cum nullo privilegio ab onere dispensentur, nec æquum sit ut commodum ex delicto reportent. Subdiaconi autem obligantur ipso die suæ ordinationis, saltem quoad partem respondentem horæ, in qua ordinantur: nam cum obligentur ratione Ordinis Sacri, statim illo suscepto obligantur. Porro sunt, qui docent clericum, qui totum officium recitavit, antequam ordinem, vel beneficii possessionem caperet, teneri iterum recitare partem officii respondentem horæ, in qua cœpit obligari: quia horæ canonicæ recitantur a clericis nomine Ecclesiæ, & ante Subdiaconatum, vel beneficii adeptionem officium non recitatur nomine Ecclesiæ, cum nondum quis sit minister ad hoc deputatus. 2. Omnes Religiosi, & Moniales, professi, & ad chorum deputati: etiam fugitivi, (5) ejecti, & ad

---

tas, beatitudo, &c. petenda sunt absolute & determinate.

Pro Beatis qui sunt in cælo orare non licet, ut patet. Tamen potest orari pro aliqua accidentali eorum gloria, quam & ipsi a Deo postulare possunt. Ita colligitur ex cap. *cum Martha*, De celebrat. Missæ. Nec etiam pro damnatis, qui nostris precibus juvari non possunt. Ast orandum est pro viatoribus omnibus, sive justi sint sive injusti, sive amici sive inimici, sive fideles sive non, quia ex charitate tenemur multa non nobis solum, sed etiam aliis exoptare.

(5) Item etiam depositi, Apostatæ, & illi quibus conceditur, ut extra monasterium perpetuo vivant. 2. Illi qui dispensationem obtinuerunt nubendi, quia dispensationem obtinuerint ab officio. 3. Illi qui præstimonia habent perpetua, ex Bulla S. Pii V. *Ex proximo*. 4. Etiam Virgines quæ in Belgio vel in Germania Canonissæ vocantur: iique omnes tenentur etiam extra chorum.

Clericus invite ordinatus, & beneficiarius ex gravi timore ad beneficium accipiendum coactus non tenetur ad officium; saltem nisi ille in suam ordinationem libere consenserit; & iste in acceptationem beneficii, aut nisi fructus perceperit. Secus est, cum cessat timor.

Cum duo Ecclesiastici de aliquo beneficio contendunt, tunc neuter illorum ad officium tenetur, cum eorum jus vere dubium est, quia onus certum & indubitatum ori-

& ad triremes damnati, nam hi manent vere religiosi, ideoque obstricti obligationibus Religionis, quibus si possunt satisfacere tenentur, vel in choro, vel extra chorum, si ei interesse non potuerint. Hæc autem obligatio oritur præsertim ex antiqua, & universali Ecclesiæ consuetudine vim legis habente, & fundata in eorum statu ad Dei cultum instituto, & constat ex usu communi, & consensu totius Ecclesiæ. Dixi, *Professi ad chorum destinati*: nam non obligantur Novitii, Conversi, Laici, Religiosi Societatis Jesu, antequam sint in Sacris, Religiosi Militarium Ordinum &c. 3. Omnes Beneficiati, non solum ex Religione; sed etiam ex justitia: quia sub hoc onere beneficium eis collatum est, & ab his acceptatum. Hinc peccat mortaliter, qui ex prædictis uno die Officium totum, vel partem ejus notabilem omittit sine justa, & gravi causa excusante, ut constat ex consensu doctorum, & totius Ecclesiæ. Pars autem notabilis juxta omnes censetur una parva hora, v. g. Nona, vel quælibet pars Officii ei æquivalens; immo juxta varios media pars unius parvæ horæ; idque sive interruptim, sive conjunctim fiat: quia partes pertinentes ad unum totius diei officium coalescunt moraliter in unum. Cæterum explicandus est in Confessione numerus horarum omissarum; quia omissio plurium vel sunt plura peccata numero, vel unum pluribus æquivalens.

Quæst. IV. Quænam requiruntur ad debitam horarum recitationem?

Resp. 1. Quoad officii qualitatem ex Bulla S. Pii V. *Quod a nobis*, Sæculares, & Regulares tenentur sub mortali servare formam Breviarii Rom. alioqui suæ obligationi non satisfaciunt. Excipiuntur Capitula, & Monasteria, quæ ducentis ante hanc Bullam annis habebant Breviarium particulare, quibus tamen permittitur ex Episcopi, seu Prælati, & universi Capituli consensu assumere Romanum. Qui autem ab hoc tempore habent Breviarium proprium sui Ordinis, vel Diœcesis suæ tenentur illud etiam privatim recitare: nam Bulla tales relinquit dispositioni juris communis; quod quemque obligat ad recitandum officium suæ Ecclesiæ ex cap. 13. & cap. 14. dist. 12. & ex Clement. 2. de Celeb. Miss. ubi Clemens V. permittit Clericis, & Monachis, ut Officium recitare possint juxta formam Officii Cardinalium, aut Episcoporum

oriri nequit a jure incerto. Ast si unus certus sit de suo jure, is ad officium tenetur. Idem est de illis quibus possessio beneficii interim adjudicatur.

rum, cum quibus vivunt. Qui utuntur Breviario Rom. non obligantur extra chorum ad Officium B. Virginis, nec ad officium Defunctorum diebus in Rubrica præscriptis in Bulla cit. Tenentur tamen sub mortali ad Officium Defunctorum 2. Novembris, item ad Litanias in diebus S. Marci, & diebus Rogationum, si non intersint Processioni: nam ex communi sensu, & consuetudine censentur pars Officii illorum dierum, vel alterum Officium eodem die præceptum. In Ecclesiis vero, ubi erat consuetudo Officium parvum B. Virginis recitandi, hanc servari vult S. Pius V. ibid.

Qui non utuntur Breviario Romano ad omnia tenentur, ad quæ ante Bullam Pii tenebantur.

Tenetur autem quisque recitare officium proprium diei, alioqui non satisfacit præcepto. Tum quia Ecclesia non officium in genere, sed hoc Officium in individuo præcipit tum quia Bulla Pii V. præcipit Officium diei juxta formam Breviarii Romani, ad quam pertinet distributio Officii per dies feriales, & Festos tempori accommodatos; tum quia aliqua Officia de aliquibus Sanctis injunguntur de præcepto tali die, cum antea essent ad libitum. Porro Alexand. VII. damnavit hanc propositionem: „ In die Palmarum recitans Officium Paschale, satisfacit „ præcepto. " Hinc qui scienter Officium mutat, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem fructuum beneficii. Qui vero inadvertenter Officium aliud recitavit, tenetur eodem die Officium proprium persolvere, si sine gravi incommodo potest. Idem dic de eo, qui in aliquibus tantum horis erraverit. Qui per errorem, etiam inculpabilem, hodie recitavit Officium crastinum, cras debet iterum idem Officium recitare. Item Officium de Sancto die suo omissum, secundum multos non debet alia die non impedita recitari; quia Rubricæ solum excipiunt casum, quo dies illi impediuntur altiori festo.

Resp. 2. Quoad tempus in recitatione publica servanda est recepta cujusque Ecclesiæ consuetudo. In privata ad vitandam mortalem culpam sufficit, si recitetur Officium totum a media nocte usque ad alteram mediam noctem. Quia in privata recitatione temporis variatio non est gravis inordinatio; & obligatio servandi tempus præscriptum, si quæ fuit gravis, imminuta est per consuetudinem in privata illa recitatione. Ita S. Antonin. 1. p. tit. 13. c. 4. Immo ob justam causam, v. g. iter, negotia, legitimam occupationem, licet in illa privatà recitatione anteverteте, vel protrahere tempus præscriptum, quod quidem ex consuetudine magnam habet latitudinem. Sine causa tamen est venialis notabilis variatio.

Bx

Ex consuetudine licet Matutinum cum Laudibus recitare pridie, ab eo circiter tempore, quo Sol est propior ad Occasum, quam ad meridiem. Secus de aliis horis; quia consuetudo id non permittit, nec obligatio affixa diei potest impleri ante illum diem, cum ante illum diem nondum sit; ut patet in aliis præceptis de jejunio, auditione Sacri &c. Secundum multos non est mortale extra chorum celebrare Missam ante Matutinum, & Laudes: quia inquiunt, non est gravior inordinatio in inversione ordinis inter Matutinum, & Missam, quam in inversione ordinis inter horas ipsas, quæ solum venialis est, quamvis major sit ordo inter ipsas horas, quam inter eas, & Missam; nec consuetudo contraria recepta est sub mortali. Verum hæc opinio tuta non videtur: nam est gravis obligatio recitandi etiam privatim Matutinum cum Laudibus ante Missam ex consuetudine vim legis habente, ex Rubricis Missalis Romani inter defectus id ponentis, & ex Julio III. in Bulla *Sacra* &c.

(*) Nota. Auctoris opinio P. Danieli Concina æquo rigidior visa est, ac solido destituta fundamento Tom. 2. Theol. Christ. l. 2. diss. 2. q. 6. Nec ego in tali opinione sum. Sed ut Sacerdotes intelligant, quo innixus fundamento ita opinatus sit, & ut, quoad fieri possit, ante Missæ celebrationem Matutinum recitare procurent, animadvertendum duxi, consuetudinem recitandi Matutinum saltem cum Laudibus ante Missam antiquam esse, ac eo tempore ortam, quo in Ecclesia Latina una tantum in qualibet Ecclesia Missa celebrabatur, quæ Missa ei, quam Conventualem vocamus, respondet. Hanc autem consuetudinem viguisse quoque dum plures privatæ Missæ celebrari cœperunt constat ex Innocent. IV. in Epist. ad Legatum Sedis Apostolicæ in regno Cypri circa medium 13. sæculi, ubi obligationem ex hac consuetudine ortam Græcis inculcavit. Et S. Antoninus p. 3. scripsit *ob consuetudinem generalem* recitandi Matutinum ante Missam peccare mortaliter, qui secus fecerit. Atque hinc facile conjicimus, Rubricam illam, de qua ab Auctore fit mentio, positam esse ad indicandam obligationem ex antiqua, & usu recepta consuetudine derivatam. Deinde Clericatus decis. 59. de Sacrificio Missæ quinque supra quinquaginta auctores laudat, qui docent peccare mortaliter eos, qui in pravo habitu persistunt celebrandi quotidie Missam ante Matutinas Laudes. Hinc SS. D. N. Benedictus XIV. Const. *Etsi Pastoralis*, Italo-Græcos monet, *ut priusquam Missam celebrent Officium matutinale recitare curent*. Hæc addidi, ut Sacerdotes intelligant non omni culpa

vacare, qui sine legitima causa Matutinum ante Missam recitare prætermittunt.

Resp. 3. Quoad ordinem, est veniale sine justa causa ordinem horarum invertere, v. g. Tertiam ante Primam recitare, ut constat ex communi Doctorum sensu. Quia hoc est contra ordinem ab Ecclesia præscriptum: & ad modum præcepti pertinet ordo horarum. Hæc tamen inversio extra chorum non est mortalis citra contemptum; quia servatur substantia præcepti. Immo nec venialis, si fiat ex inadvertentia, vel rationabili causa, nec est obligatio repetendi. Nam censetur Ecclesia permittere ordinis mutationem ob rationabilem causam.

Resp. 4. Quælibet hora recitari debet continuate; nam unitas uniuscujusque horæ, & usus Ecclesiæ id exigunt. Facta tamen sine causa interruptio juxta multos est solum venialis in Officio privato, quia hic defectus non est in substantia, sed solum in modo accidentario, cum singuli Psalmi, Lectiones, & Orationes per se suam habeant completam significationem. At si adsit rationabilis causa, tunc nulla culpa erit, nec repetenda priora, nisi pauca dicta sint. Secundum multos Matutinum licite separatur a Laudibus; immo juxta aliquos, unum nocturnum ab alio per duas circiter horas. Sed videtur obstare præsens Ecclesiæ consuetudo contraria; quia tres nocturni cum Laudibus habentur tamquam Officium unius horæ, ac proinde simul recitari debent, secus si adsit rationabilis causa.

Resp. 5. Quoad modum, Officium recitari debet *studiose*, *& devote*. Ita Concil. Gen. Later. IV. cap. *Dolentes*, de celebr. Missæ. Studiose, inquit Glossa, quantum ad officium oris, & devote, quantum ad officium cordis. Enim vero hoc exigit vera, ac religiosa oratio, & laudatio Dei. Itaque Officium recitari debet, tum *studiose*, hoc est absque præcipitantia, contractione, & abscissione syllabarum: tum *devote*, idest cum intentione orandi, ac laudandi Deum, & debita attentione mentis, ac reverentia tam interna, quam externa. Item pronuntiatio debet esse per se audibilis recitanti. Nam oratio vocalis debet habere sonum distinctum.

Quæst. IV. An ad satisfaciendum præcepto requiritur intentio, & attentio interna, & qualis?

Intentio hic est volitio orandi, & laudandi Deum. Attentio duplex est externa, & consistit in attentione ad prolationem verborum excludente omnem actionem incompossibilem cum attentione interna, & evagationem sensuum circa objecta distractiva: & interna, & est adver-

vertentia mentis, vel ad sensum verborum, vel ad Deum, & res divinas. Itaque.

Resp. 1. In recitatione Officii requiritur intentio, seu voluntas orandi, vel explicita, quo quis initio velit expresse orare; vel saltem implicita, qua velit recitare ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ. Nam recitatio Officii debet ab intentione orandi, tamquam a forma, determinari, ut sit oratio, & cultus Dei, qualis præcipitur.

Resp. 2. Ad satisfaciendum præcepto requiritur quoque non solum attentio ad verba; verum attentio interna ad Deum, seu res divinas, vel ad sensum verborum, vel saltem ad verba, ut laudes Dei, orationem, & pias affectiones continentia, considerando Deum præsentem cum pio, humilique ad ipsum affectu, & intendendo per illa Deum orare, ac laudare, atque omnem voluntariam distractionem rejiciendo. Nam præcipitur oratio vera, quæ sit actus Religionis Deo gratus, & utilis Ecclesiæ. At sine attentione interna oratio non est verus Dei cultus, ex Joann. 4. Nec est vera oratio, sed quædam species hypocrisis, ex S. Damascen. l. 3. de Fide c. 24. & Matth. 15. Neque est utilis, ex August. serm. 29. in Psalm. 118. & in Psalm. 85. & S. Cypriano lib. de Orat. Domin. Item cap. 2. *Dolentes* sup. cit. præcipitur devotio simpliciter. Et Conc. Trid. jubet sess. 24. c. 12. ut Officium recitetur *reverenter*, *distincte*, *devote*. Idemque præcipiunt multa Concilia, Trevir. II. Burdig. anno 1583. Bituric. anno 1584. Narbon. Conventus Mediol. & Concil. Colon. & Clerus Gallic. 1700. quæ sine attentione interna esse non possunt. Hinc peccat mortaliter, qui per notabilem Officii partem voluntarie distrahitur, perinde ac si partem illam omitteret. Item peccat, qui recitat in loco distractionibus exposito v. g. foro publico, ut patet.

Nota. Sufficit attentio virtualis, quæ est attentio ad Deum, resque divinas initio orationis habita, & virtualiter perseverans in processu orationis, quamdiu non revocatur, neque expresse per volitionem expressam non amplius attendendi, neque implicite per distractionem voluntariam: ut si advertens te distrahi, mentem non revoces ad Deum, vel res divinas. Hinc non teneris repetere, quæ involuntarie distractus recitasti, cum virtualiter attenderis. Immo melius est si non repetas ad vitandam anxietatem, & perturbationem animi in recitatione Officii. Sed ubi quis advertit se distrahi, tenetur statim mentem revocare ad Deum, resve divinas, vel ad sensum verborum.

Quæst. V. An satisfacit, qui legit cum socio extra Ecclesiam?

Resp. Affirm. Quia id congruit cum publico usu Ecclesiæ. Sed tunc singuli debent alternos Psalmorum versus distincte, integre, & voce audibili a socio recitare. Si plures, quam duo, simul legant, debent, facto solum duplici choro, alternatim recitare, sive plures sint ex una parte, sive pauciores; alias fieret contra usum Ecclesiæ. Secus est de Lectionibus.

Quæst. VI. Quænam excusant a lectione Horarum?

Resp. Sequentia. 1. Gravis (6) infirmitas ex capit. 5. distinct. 19. in dubio, ex communi sententia consulendus est Medicus probus, & peritus, & illius judicio standum. Si ipse dubitet, opus est tunc dispensatione Superioris; qui si adiri nequit, & Medicus suspicetur grave incommodum sequi posse, docent tunc ægrum excusari. Qui autem non potest recitare solus, sed potest cum socio, ad hoc tenetur, si socium commode habere queat; quia sic potest moraliter observare præceptum. Immo nonnulli docent beneficiatum tunc teneri conducere socium, cum quo recitet, si sufficientes ad hoc fructus ex beneficio colligat, quia per illos potest sibi comparare medium persolvendi Officium. 2. Gravis, (7) & repentina occupatio, quæ sine scandalo, vel notabili damno proprio, vel alieno omitti, & differri nequeat. Quando tamen aliqua occupatio, vel ægritudo impedit, vel impeditura prævidetur tempore legitimo, tunc est obligatio anteponendi, vel postponendi horas intra eumdem diem. Quia obligatio cadit in totum diem, & durat per singulas ejus partes, potestque impleri quoad substantiam quavis

---

(6) Male nonnulli gravem infirmitatem extendunt ad febrem tertianam, vel quartanam, præsertim si per aliquot menses perduret: contrarium enim docet communis sententia, quia hujusmodi febres satis relinquere solent intervalli & virium, ut quis horas canonicas recitare queat circa quod duo hæc notanda sunt: 1. Eum qui non potest horas legere ipsa accessus febris die, regulariter teneri ad recitationem aliis diebus quibus febri non corripitur; quia tunc cessat, vel suspenditur causa non recitandi. 2. Longe tutius esse, ut qui prævidet fore ut propter febrim, aut aliquod aliud impedimentum die sequenti recitare non possit, pridie recitet Matutinum & Laudes: quia timoratorum omnium sensus & usus est hanc præveniendi obligationem. Ita Auctor Ethicæ Amoris lib. 10. cap. 27.

(7) Talis censenda non est occupatio concionandi, nequidem in eo qui promptam memoriam a natura sortitus non est: nam viri sancti & apostolici, tam presentes quam prætetiti causam hanc numquam sufficientem putarunt. Quapropter ex eo quod concionatorum aliqui tardioris sint memoriæ id unum sequitur, eos ocyus & diutius studium amplecti debere.

vis illius hora. 3. Recitandi impotentia, ut cæcitas, vel carentia Breviarii inculpata, si aliud haberi nequeat: nam nemo tenetur ad impossibile. Quo casu si totum Officium, aut parva hora memoriter dici possit, dici debet. Nam præceptum obligat ad omnes, & singulas horas, & quævis hora est per se oratio canonica integra, ab aliis distincta, confertque notabiliter ad finem præcepti. Hinc Innocent. XI. damnavit hanc propositionem: „ Qui non „ potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem „ reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit „ ad se minorem. “ Porro carens Officio particulari tenetur recitare Officium commune, vel simile. 4. Legitima dispensatio Papæ. Aliqui docent ex usu ubique recepto Episcopos, & Superiores ordinum cum suis subditis ad breve tempus in dubio de morali impotentia recitandi posse dispensare, & hoc videtur necessarium ad tollendas perplexitates, & impediendum grave nocumentum.

CAPUT SECUNDUM.

De observantia Festorum.

PRæceptum tertium Decalogi de sanctificatione Sabbati est partim morale, partim cæremoniale, ut docet S. Thom. 2. 2. quæst. 122. art. 4. ad 1. Morale, quatenus homo jure naturali tenetur aliquod vitæ suæ tempus impendere cultui divino, rebusque divinis. Cæremoniale quantum ad designationem temporis; & secundum hanc rationem mutatum est ab Apostolis, a quibus Sabbato substituta est dies Dominica in memoriam Resurrectionis Christi. Item aliquando Festorum observatio ab Ecclesia præcipitur in memoriam beneficiorum Dei, & in honorem Sanctorum, in quibus Dei bonitas, potentia, ac liberalitas laudatur. Quibus quidem diebus festis Ecclesia præcipit eumdem cultum Dominicæ: in hoc enim consistit Festivitas diei; & constat ex sensu, & praxi Ecclesiæ. Præceptum autem de sanctificatione Festorum per se omnes sub mortali obligare constat; tum ex consensu Doctorum, & Fidelium; tum quia ejus materia est gravis, & ad cultum Dei pertinet. Hinc Innocent. XI. damnavit hanc propositionem: „ Præceptum servandi Festum non „ obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contem„ ptus. “

Quæst. I. Quænam opera sunt vetita diebus Festis?

Resp. 1. Prohibentur (8) omnia opera servilia, exceptis iis, quæ jure, aut consuetudine legitime sunt permissa, ut coquere cibos, aut alia id genus necessaria; capit. 3. *de Feriis*. Opera autem servilia dicuntur opera omnia artium mechanicarum, & ruralia. Secus est de operibus liberalibus, seu ad animum excolendum pertinentibus, ut scribere, legere, docere &c. S. Thom. 2. 2. quæst. 122. artic. 4. ad 3. Porro quando opus est vere servile, non refert utrum fiat ex recreatione, an ex lucro: quia intentio operantis non mutat naturam operis.

Nota. Venatio, & piscatio sunt opera servilia. Nam sunt actiones corporales per se, & primario ordinatæ ad utilitatem corporis, & ad captionem, & occisionem ferarum, & piscium. Idem dic de opere pingendi. Unde in Concilio Meldensi ann. 845. expresse prohibentur pictura, & venatio. De piscatione constat ex capit. *de Feriis*.

Scribere vero, & pulsare instrumenta musica, non sunt servilia. Idem multi dicunt de transcriptione, tum quia per se ordinatur ad mentem instruendam, & exprimendos animi conceptus; tum quia transcribere nihil est aliud quam scribere, quod alius, vel ipse transcriptor permanenter locutus est. Secus est de impressione, quia, quæ ad eam immediate concurrunt, ac per se ad efficiendum quoddam artefactum corporale, seu sensibile deserviunt. Quamvis autem itineratio, si præcise consideretur, ut est processus de uno loco ad alium, sive pedibus, sive equo aut rheda, non sit opus servile, cum hoc sit naturale, & commune omnibus; tamen servile est ducere jumentum, currum, aut navigium mercibus onustum; item imponere onera, & ea tollere, & alia hujusmodi. Nihilominus continuatio itineris ante festum suscepti vectoribus permittitur, vel ob publicam necessitatem, vel ob damnum, quod pateretur ex mora.

Resp. 2. Capit. 1. & ult. *de Feriis*, & Pii V. Constit. *Cum primum*, vetita sunt insuper, 1. Opera judicialia, seu forensia, seu actiones, quæ ad decisionem causarum spe-

(8) Etiam ea opera quæ a nobilibus feminis fiunt, ut acu pingere, versare fusum, & similia, festivis diebus prohibentur, tum ob rationem hic ab Auctore assignatam; tum quia repugnant Ecclesiæ legi quæ generalis est. Item prohibentur etiam ea opera quæ pietatem sapiunt; ut cereas aut alias sanctorum imagines fingere, &c. & quæ remote tantum tum ad Dei cultum, tum ad festos dies se habent, ut lavare Ecclesiam, panes consecrandos facere, &c.

spectant, ut reum citare, testes examinare, formare processum, exigere juramentum judiciale, exhibere instrumenta, proferre, aut exequi sententiam &c. Hæc enim strepitum judicialem continent. 2. Mercatus, nundinæ, celebratio contractuum etiam privatorum: nisi forte ex consuetudine approbata, aut ex justa, & necessaria causa excusentur. Ratio prohibitionis horum operum est, quia animam multum distrahunt, & avocant a rebus divinis, ad quæ Festa destinantur. Violatio autem hujus prohibitionis est ex genere suo mortalis, cum pertineat ad religionem, & ordinetur ad finem gravissimum, nempe cultum Dei. Hinc est mortale duas horas, sive continenter, sive interrupte laborare: nam est tempus notabile. Immo non pauci docent laborem unius horæ esse mortale, præsertim si opus sit valde servile, & defatigans. Opus tamen servile potest esse veniale ex brevitate. In Mercato vero, & præsertim in placito materiæ, quantitas non solum ex quantitate temporis, sed etiam ex qualitate operis desumitur. Sic brevis agitatio litis in re magni momenti, & prolatio sententiæ est gravis culpa.

(*) Ad mercatum, nundinasque quod attinet SS. D. N. Benedictus XIV. duas Constit. edidit; priori, quæ incipit: *Paternæ charitatis* tom. 1. pag. 378. statuit Segonalliensium nundinarum tempore abstinendum esse diebus Festis ab operibus servilibus: altera vero, quæ incipit: *Ab eo tempore* pag. 582. decernit 1. *Mercatus, & nundinas diebus Festis non licere*: Idque propter rationem, quam Auctor præcedenti responsione 2. vers. fin. assignat. 2. *Antiquum profecto esse abusum mercatuum, itemque nundinarum iisdem diebus*. 3. *Ecclesiasticis legibus quovis tempore illas fuisse vetitas*. 4. *Hujusmodi justas, sanctasque leges caruisse effectu*. 5. tandem, *Quia malum universale est, ac alte radices egit; & opus prudentia, & maturitate, ne fructu careat medela, ac vulnus exasperet, quod possumus exigendum est, non quod optamus. Admonitione proinde, uti satius videtur, quam minis, & si minæ quandoque intententur*, prudenter intentandæ sunt juxta monitum sapientissimum S. Augustini in Epistol. 22. ad Aurelium Carthagin. Episcopum.

Resp. 3. Choreæ, saltationes, & theatrici ludi diebus præsertim Festis damnantur a SS. Patribus, & prohibentur a multis Conciliis. Tum quia retrahunt a divino cultu, & piis operibus: tum quia sunt ordinarie multis, præsertim juvenibus, & puellis occasio peccandi. Item a multis Episcopis, & Principibus merito vetitum est, ne caupones, vel alii tempore divini Officii, & concionis loci incolas ad potandum, vel ludendum recipiant.

Hocque per se malum est, cum sit cooperari violationi Festorum, ac scandalo, & præbere occasionem peccandi.

(*) Nota. Inverecunda spectacula Festis potissimum diebus frequentari solita idem SS. Pater Const. quæ incipit, *Nihil profecto Nobis &c.* prohibuit, quæ digna omnino est, ut a quocumque legatur, cum in ea explicetur, confirmeturque Auctoris doctrina.

Quæst. II. Quænam causæ excusent ab obligatione omittendi opus servile, vel forense, aut contractuum?

Resp. Sequentes 1. Necessitas propria, vel aliena, spiritualis, vel corporalis, quæ præverti non potuit: ut cum sine gravi damno opus aliquod omitti, aut differri nequit. Ex Matth. 12. & cap. ult. *de Feriis*. Sic excusantur 1. Pauperes clam die Festo sine scandalo laborantes, audito Officio, quando aliter se, ac familiam sustentare nequeunt. 2. Famuli, & ancillæ jussu dominorum laborantes, si omittere non possint sine gravi damno; Si tamen id frequenter contingat, eos deserere debent. 3. Instauratores pontium, fontium, viarum publicarum, & similium, si sine gravi jactura boni communis differri opus nequeat. 4. Ruri laborantes ad vitandum imminens damnum. Sed in hoc casu petenda est licentia ab Episcopo, vel Parocho juxta consuetudinem, quando adiri potest, ne quis facile hac in re decipiatur, & fingat necessitatem, ubi non est, præsertim si labor fiat publice, ut scandalum vitetur. Quamvis autem multi excusent Sartores, qui vestes, quas aliis diebus perficere non potuerint, perficiunt diebus Festis, quando urget earum usus ob celebritatem exequiarum, vel nuptiarum: certe peccant, si in eam necessitatem sua culpa se conjecerint, ut non raro accidit.

2. Pietas in Deum, per quam licent opera ad Dei cultum proxime pertinentia, ut altare instruere, templa ornare &c. ita Catechism. Rom. Non licet tamen verrere templa die Festo, nec parietes eorum ornare peristromatis, quando pridie commode fieri potest. Alias dicunt esse veniale. Secus de his, quæ remote ad Dei cultum pertinent, ut construere templum &c. 3. Charitas erga proximum. Sic licet parare medicamenta infirmis tunc egentibus, ex Matth. 12. non tamen pauperibus danda per anni cursum, saltem si hoc commode fieri possit. Et ratio est, quia charitas est finis præcepti. 4. Consuetudo ab Episcopo permissa. Sic venatio, & piscatio moderata ex recreationis causa extra Officia divina, nec non emptiones, & venditiones rerum parvi momenti, præsertim ad victum quotidianum necessarium, clausa officina, di-

cun-

cuntur in variis locis permissæ. Item excusantur Barbitonsores, qui sciente, nec vetante Episcopo artem suam exercent erga rusticos, & opifices, qui aliis diebus eos adire nequeunt, aut nolunt; alioquin se, & suam familiam sustentare non possent. Gerson in reg. Moralib. 5. Dispensatio legitima Papæ, vel Episcopi, vel etiam Parochi ex consuetudine ob gravem, & justam causam, quando non datur facilis accessus ad Episcopum.

Quæst. III. An per quodvis mortale peccatum graviter violetur hoc præceptum, ita ut circumstantia festi addat novam speciem malitiæ mortalis contra Religionem in Confessione exprimendam?

Resp. Multi negant. quia 1. Peccatum non est opus servile proprie, sed solum metaphorice. 2. Hoc repugnat praxi, & persuasioni fidelium, ac Confessariorum: nam nec pœnitentes hanc circumstantiam confiteri solent, nec de ea interrogari. Fatentur quidem peccatum esse magis contra finem præcepti, nempe cultum Dei in genere, quam sit opus servile; sicque explicant textus Patrum objici solitos. At negant esse contra substantiam præcepti prohibentis opera servilia. Jamvero, inquiunt, finis præcepti non semper est præceptum. Item fatentur, quod circumstantia illa diei sacræ per se addat malitiam venialem.

Alii affirmant, & probant 1. ex Augustino serm. 22. S. Greg. Niss. hom. 7. in Ezech. S. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3. & ex S. Antonin. p. 1. tit. 14. cap. 4. §. 4. 2. Ex cap. 1. *de Feriis*, & ex Can. 1. distinct. 5. ex lib. de vera & falsa pœnit. 3. Quia omne opus servile prohibetur, & ex Joann. 8. peccatum est opus maxime servile. 4. Dies Festi sunt tempus ab Ecclesia determinatum ab implendum præceptum divinum naturale, præscribens ut homo sæpe Deum colat, & ad hoc se liberum, ac expeditum præstet, quod cum peccato nequit observari. Quod si pœnitentes hanc circumstantiam non confiteantur, dicunt hoc provenire ex defectu instructionis.

Alii vero, quibus assentior, distinguunt, & docent peccata, quæ includunt oppositionem specialem cum sanctificatione Festorum, ut cum reddunt hominem incapacem applicationis ad divina, ut ebrietas, quæ longo tempore privat potestate proxima vacandi rebus divinis, seditio &c. prohiberi hoc præcepto, & contrahere malitiam mortalem contra Religionem: secus de aliis. Patres autem supra cit. videntur posse intelligi de fine præcepti, vel de sensu ejus mystico.

Quæst. IV. Quænam opera diebus Festis exercenda sunt?

Resp. 1. Generatim opera Religionis, pietatis, & charitatis, ut sunt interesse Officiis divinis, Missæ, orare, audire conciones, Sacramenta suscipere, visitare infirmos &c. Id enim colligitur ex Deuter. 5. & Catechism. Rom. in laudib. cap. Deuter. ex S. Greg. lib. 11. Epist. 3. ex Nicol. 1. ad consulta Belg. cap. 11. & Constit. S. Pii V. ex multis Conciliis. Et ex S. Antonin. part. 2. tit. 9. cap. 7. §. 4.

Resp. 2. Speciatim omnes fideles usu rationis præditi tenentur sub mortali audire Missam, ut constat ex sensu, & praxi Ecclesiæ, & ex variis Conciliis. Immo omnes jure divino, & naturali, supposita institutione hujus sacrificii, tenentur sæpe in vita interesse Missæ sacrificio, quia jure naturali tenentur Deo supremum cultum internum, & externum sæpe exhibere per sacrificium ab ipso institutum.

Quæst. V. Quænam requiruntur ad implendum præceptum auditionis Missæ?

Resp. Sequentia. 1. Ut audiatur (9) Missa integra. Constat tum ex sensu, & praxi Ecclesiæ, tum ex c. 62. *de Consecr.* distinct. 1. Hæc obligatio est sub mortali culpa, ut constat ex fidelium, & Ecclesiæ consensu. Nam materia ejus est ex suo genere gravis, cum ad virtutem religionis gravissimam, & ad supremum Dei cultum pertineat.

Hic autem canon Conc. Agathensis ab universali Ecclesia receptus est. Die autem Dominica cæteri dies festi pari ratione comprehenduntur, cum æque sint divino cultui addicti. Porro ibi fit mentio sæcularium, sed ampliative non exclusive, & subintelligitur vox *etiam*, & Ecclesiæ sensus ad omnes extendit ex cap. *Omnes* ead. dist. Hinc juxta omnes mortale est sine justa causa excusante omit-

(9) Ex hac Auctoris responsione duo sequuntur: 1. Eum qui ad tres obligatus Missas, puta ratione voti, pœnitentiæ & legis ecclesiasticæ, tres simul a tribus Sacerdotibus Missas audiret, neutiquam esse satisfacturum: quia aliud Confessarius, aliud ipse voven sibi censetur præcepisse quam quod jam præceptum erat, unde ad tres successive Missas obligatur. 2. Neminem posse duas quæ simul inchoantur Missas audire; quia id repugnat communi fidelium sensui, qui ita ad unam se determinant Missam ut non ausint, derelicta longiore quam elegerant, ad breviorem se convertere, nisi sub initium. Qui vero ad Missam, peracta jam consecratione, accedit, tenetur reliquum audire, si aliam audire non possit, perinde ac carens breviario tenetur ad illam officii partem quam scit memoriter.

omittere partem Missæ notabilem, ut tertiam, veniale vero si pars exigua sine causa omittatur, ex cit. cap. *Omnes*. Porro juxta multos peccat solum venialiter, qui ab initio Epistolæ usque ad finem Missæ interest; quia putant partem omissam non esse notabilem. At ex communi sententia talis omissio, sive inclusive sive secundum multos exclusive est mortalis: quia hæc pars omissa est notabilis respectu Missæ. Immo est mortale abesse solo tempore Consecrationis, cum in ea consistat essentia Sacrificii, & Ecclesia præcipiat Missam principaliter quoad Sacrificium, ex S. Cæsareo. Idem dicunt aliqui de communione Sacerdotis; quia vel est pars essentialis Sacrificii, vel saltem est de illius integritate, & complemento substantiali; pars enim notabilis æstimari debet non ex diuturnitate, sed etiam ex dignitate operis. Cæterum tota Missa ejusdem Sacerdotis audienda est, ut constat ex sensu, & praxi Ecclesiæ. Quare non satisfacit, qui plures partes simul a diversis audit; neque qui duas partes a duobus Sacerdotibus successive audit: nam Ecclesia præcipit, ut audiatur sacrum per modum totius successivi, cum revera tale sit: hinc Innoc. XI. damnavit hanc propositionem: „ Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo „ Sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor simul a „ diversis Celebrantibus audit".

2. Requiritur intentio audiendi Sacrum, tanquam actionem sacram, qua Deo supremus cultus defertur, & quæ sit saltem implicita, ac virtualis intentio offerendi per Sacerdotem, & cum Sacerdote illud Sacrificium. Nam per illam intentionem auditio Missæ debet determinari ex parte audientis ad actum religionis, & cultum supremum; alioqui auditio non esset religiosa, quemadmodum præcipitur.

3. Requiritur præsentia corporis humana, ut patet ex verbo *Audiendi*, & ex sensu, ac usu Ecclesiæ. Sufficit tamen, si quis ex signis quibusdam colligere possit, quid a Sacrificante agatur, spectata loci natura, sitque per moralem conjunctionem pars ejus multitudinis, quæ dicitur præsens, & est in conspectu altaris.

4. Requiritur (10) moralis, ac pia præsentia. Nam præ-

---

(10) Ex hac Auctoris responsione sequitur, ebrios, etiamsi longe non distent a Sacerdote, Missam non audire: quia isti materialem solum præsentiam exhibent Sacrificio. E contra audiunt, 1. Qui tempore Missæ in ecstasim rapiuntur, aut vi contemplationis absorbentur in Deum; quia ecstasis perfectissimam.

præcipitur auditio Missæ religiosa, qua Deus colatur, quæ sine attentione esse non potest, ex Joann. 4. & ex Concil. Trident. sess. 22. Hinc Clerus Gallic. ann. 1700. damnavit hanc propositionem: „ Ecclesiæ præcepto (audiendi „ Missam) satisfacit per reverentiam exteriorem, animo „ licet voluntarie in aliena, immo in prava cogitatione „ defixo “. Hinc qui per notabilem Missæ partem confabulatur, vel dormit, vel res alias fixe considerat, vel voluntarie distrahitur peccat mortaliter, nisi aliam postea Missam audire statuerit. Satisfaciunt tamen, qui quoquomodo ministrant Sacro, etsi occupentur quærendis e Sacristia necessariis v. g. vino, vel thure &c. Quia hæc ordinantur ad Missam, & fiunt in loco, qui communicat templo. Item satisfaciunt, qui occupantur pulsandis organis, vel follibus attollendis; quia hæc ordinantur ad Officii solemnitatem, nec tollunt advertentiam ad ea, quæ in ara geruntur: secus est de eo, qui notabili tempore Missæ confitetur.

Nota 1. Communiter docent non esse jure communi obligationem audiendi, aut faciendi tria Sacra die natali Christi, neque audiendi Sacrum feria quinta, & Sabbato, aut Officium feria sexta majoris Hebdomadæ. 2. Circa Parochiæ frequentationem hæc habet Concil. Trident. sess. 22. *Moneant* (Episcopi) *populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis, & majoribus festis accedant*. Idemque repetit sess. 24. cap. 4. Hinc Clerus Gallic. ann. 1700. damnavit hanc propositionem. „ Nullus in foro conscientiæ Parochiæ suæ interesse te„ netur “.

(*) No-

---

simam attentionem ad Deum includit. 2. Cæci, surdi; quia ex quo pie sunt in loco, restitutis sensibus, audire ac videre possent, sicut alii, recte judicantur moraliter præsentes. 3. Hi quoque moraliter præsentes censentur, qui post altare, vel templi columnam, vel in loco capellæ conjuncto, vel e domo sæculari templo contigua per fenestras intersunt Missæ.

Peccator, qui est in statu peccati, novum audiendo Missam peccatum non admittit; sed e contra, si pie attenteque audiat, ut potest, auxilio gratiæ actualis Ast novi peccati utique reus est, si, obfirmata in malo voluntate, & cum actuali affectu peccati, sine debita reverentia, sine ullo de peccatis dolore, vel saltem aliquo desiderio resipiscentiæ ac divinæ gratiæ obtinendæ mysteriis sacris intersit: quia in tali dispositione, nec Sacrificium cum Sacerdote offerunt, nec ipsi Sacrificium spirituale Deo offeruntur. Ex hoc tamen non sequitur, ab audienda Missa deterrendos esse peccatores obfirmatos; sed potius agendum ut spiritum meliorem induant, & sanctissimam Religionis actionem ea qua decet pietate exerceant.

misericordiam Dei consequi potest. Ast

(*) Nota 3. Alex. VII. ann. 1669. 30. Jan. damnavit propositiones, quæ sequuntur, „ Nullus in foro conscien-„ tiæ Parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam „ confessionem, nec ad Missas parochiales, nec ad au-„ diendum verbum Dei, divinam Legem, fidei rudimen-„ ta, morum doctrinam, quæ ibi in catechesibus annun-„ tiantur, & docentur . . . . Talem legem in hac mate-„ ria neque Episcopi, neque Concilia Provinciarum, vel „ Nationum sancire, neque delinquentes aliquibus pœ-„ nis, aut Ecclesiasticis censuris mulctare possunt “.

Quæst. VI. Quænam excusant (11) ab auditione Sacri?

Resp. Excusant 1. Impotentia, non solum physica, sed etiam moralis, quando scilicet audiri non potest sine gravi dam-

(11) Qui sacro interesse nequit, tenetur id oratione, pia lectione, Rosarii recitatione, internis animi affectibus, aliisque similibus Missæ defectum compensare. Porro infirmus qui mediis debitis ad recuperandas vires non uteretur, excommunicatus qui a censuris absolvi non satageret, Missam non audiendo, rei forent: quia qui ad legem tenetur, tenetur etiam ad removendos legis exequendæ obices. Similiter illi qui in terra infideli, ubi nulla celebratur Missa, sine causa degunt, tenentur quamprimum ad catholicas terras remeare: & tamdiu versantur in peccati mortalis habitu, donec eos facti pœniteat. Causa autem legitima est salus animarum, Reipublicæ utilitas magna, aut necessitas. Item Mercatoris indigentia, cui, nisi ad infideles identidem divertat mederi non potest.

Non solum impotentia & charitas; verum etiam officium est legitima non audiendæ Missæ ratio; quia quod debetur ex officio debetur ex justitia, proindeque ex præcepto naturali. Hinc nec miles stationem, nec dux milites tempore belli & prælii deserere possunt, ut Missam audiant, quin graviter peccent ob grave damnum quod inde suboriri posset. 2. Idem dicendum de nutricibus, de pastoribus; illæ enim ab infantibus, isti a pecoribus sæpe recedere non possunt; idem ob eamdem rationem de famulis, & de opificibus qui in officinis ferrariis aut vitrariis agentes, ab incepto opere sine gravi, tum sui tum dominorum jactura discedere nequeunt.

Ast secus est ob contrarias rationes de quorumdam locorum usu, in quibus puellæ nobiles domo non exeunt, nequidem diebus festis ut Missam audiant, statim ac nubiles sunt. Tolerabilior videtur eorumdem locorum usus, quod feminæ per aliquot post partum dies, quamvis plene convaluerint, ab ingressu Ecclesiæ abstinent, & viduæ pariter abstinent per aliquod tempus post virorum suorum mortem. Nam Innocentius III. cap. un. *de Purific.* in feminis a partu recentibus eum non improbavit: & SS. Antoninus part. 2. tit. 9. part. 2. & Carolus Borr. in Conc. 1. Mediol. eum approbant in viduis, dummodo tamen, ait S. Carolus, ultra mensem hanc indulgentiam non protrahant,

vi damno, scandalo, vel periculo: ut constat ex communi interpretatione, & consuetudine. Qui tamen ex privilegio possunt audire, vel celebrare in Oratorio domus suæ, ad id tenentur. Nam non habent moralem impotentiam. Nec universim verum est, neminem teneri uti privilegio: teneris enim, quoties ejus usus est necessarius ad servandum aliquod præceptum, quod per talem usum fit moraliter possibile. 2. Charitas, ut si infirmus egeat præsentia alterius. Nam (ut docet D. Bern. l. de præcept. & disp.) quod propter charitatem introductum est, non obligat cum ejusdem charitatis dispendio.

CAPUT TERTIUM.

De Voto.

Quæst. I. Quid est Votum?

Resp. Est promissio Deo facta de bono meliori & possibili. Dixi, *Deo facta*; nam Votum est actus latriæ soli Deo debitus in testificationem supremæ excellentiæ illius; ut auctoris bonorum omnium, vel in signum gratitudinis debitæ primo, ac supremo Benefactori. S. Thom. 2. 2. q. 88. artic. 5. ad 3. Quare promissio facta Sanctis est solum materia Voti; & ut sit proprie Votum, debet ei adjungi tacite, vel expresse alia promissio, qua promittimus Deo id facturos, quod promittimus Sanctis: alioqui promissio pertineret solum ad Duliam.

Quæst. II. Quænam requiruntur ad Votum?

Resp. Ex communi sententia 1. Volitio se obligandi. Nam ad Votum non sufficit propositum, quantumvis firmum, ex capit. 3. *de Voto*, ubi dicitur, in metu mortis proponens animo, quod religionis habitum esset aliquando suscepturus, si plus non est in Voto processum, transgressorem judicari non posse, si non impleat, quod dixit. Quia propositum est simplex voluntas faciendi, vel omittendi aliquid; promissio vero addit voluntatem se obligandi alteri. Sufficit autem intentio virtualis, & implicita se obligandi, ut cum quis sciens Votum obligare, deliberate vovet, quamvis de hac obligatione actu non cogitet; vel ignorans Voti naturam, vult tamen Votum facere, prout est in se, ut solitum est fieri, seu facere, quod alii faciunt, dum vovent. Idem dic de eo, qui recipit Ordinem Sacrum, ignorans illi annexum esse Votum casti-

castitatis; nam qui vult statum aliquem, vult virtualiter, & implicite onera illi statui annexa. Neque requiritur, ut dicatur expresse, *Promitto, voveo, me obligo &c.* Sed satis est, quod hoc dicatur æquivalenter, & implicite etiam interius. Ut si dicas cum intentione te obligandi: *si convaluero, dabo talem eleemosynam*. E contra verbum *Promitto*, nisi adsit intentio vovendi, significat simplex propositum, ut patet in actu contritionis. 2. Advertentia, & deliberatio, qualis sufficit ad culpam mortalem directe voluntariam. Quia Votum est actus simpliciter humanus, in se liber, tanquam in hominis arbitrio de se relictus, ex cap. *de Voto*. Talis autem deliberatio sufficit ad votum, ut patet. Item valet Votum temere, & imprudenter, immo & illicite, puta cum inani gloria factum, modo finis malus non redundet in ipsam materiam. Nam ad valorem Voti sufficit, ut sit de re meliori, & possibili, & fiat cum sufficienti cognitione, ac libertate. Requiritur. 3. Ut promissio sit voluntaria. Nam votum est actus moralis, ac liber, quo Deus colitur. Quare nullum est Votum factum ex errore circa rei promissæ substantiam; cum talis error impediat, ne objectum sit cognitum, ac proinde ne sit volitum. Idem dic de voto simplici facto ex errore circa causam finalem, quia censetur factum sub tacita conditione, si causa finalis subsistat. Hinc si voveris jejunium pro salute patris, quem falso ægrotare putabas, non valet votum. At valet votum; si error sit dumtaxat circa aliquam circumstantiam non mutantem notabiliter rem promissam, ut si voveris castitatem falso putans esse servatu facilem, vel circa causam solum impulsivam, ut si voveris dare eleemosynam Petro pauperi præ aliis, quia falso putas esse pium. Nam talis error non impedit consensum absolutum circa substantialia. Votum vero solemne non irritatur per errorem, vel dolum circa motivum extrinsecum, quia qui statum assumit, censetur velle absolute illum assumere, etiamsi intercedat error, vel dolus, qui non sit circa substantialia. Item secundum communem sententiam, metus gravis injuste incussus ad extorquendum votum, irritat quodvis votum, vel jure naturali, cum Deus non acceptet vota injuriose extorta; vel saltem Jure Canonico, ex cap. 1. *De iis, quæ vi &c.* Sed quia hoc non est omnino certum de votis simplicibus; ideo in praxi tutior pars est, vel votum servare, vel petere dispensationem. Porro certum est valere votum, etiam solemne, factum ex metu sponte suscepto, ut naufragii, mortis, pœnæ æternæ &c. cap. 17. *de Regular.* vel ex metu juste incusso: quia tunc votum est simpliciter voluntarium, & nulla in-

la intervenit injuria. Valet etiam quodvis votum ex metu levi, etsi injuste incusso, quia non irritatur ab Ecclesia, & est sufficienter voluntarium.

4. Ut sit de meliori bono, idest de eo, quod omnibus spectatis ad salutem utilius, & Deo gratius est, quam negatio illius: nam non potest Deo placere, nec ab eo acceptari voluntas se obligandi ad relinquendum id, quod melius est, & ipsi gratius. Immo hoc est illicitum, & contra reverentiam Deo debitam, quia est illi quodam modo illudere, nisi ignorantia excuset. Hinc invalidum est votum 1. De matrimonio contrahendo. Si tamen matrimonium judicaretur remedium voventi necessarium ad vitandam incontinentiam, juxta multos valeret votum, quia melius est nubere, quam uri. 1. Cor. 7. idem dicunt, si quis voveret pauperculam, vel perditam uxorem ducere. 2. De re illicita, quæ promissio est mortalis contra religionem ob gravem irreverentiam erga Deum. Idque juxta Suarez, Lessium, Reginald. etiamsi res illa sit solum venialiter mala, & ut talis cognoscatur a vovente; quia est facto attribuere Deo approbationem peccati saltem venialis, quod est graviter injuriosum Deo. 2. De re optima, sed ad obtinendam rem malam, vel ad gratias agendas pro re mala obtenta, v. g. vindicta, non autem præcise pro bono effectu secuto ex peccato. Valet tamen votum de actione bona sub conditione turpi adjecta in ejus odium, ut de eleemosyna danda si peccaveris: quia quod directe promittitur, est bonum melius, & ordinatur ad actum bonum, nempe ad odium, & vindictam peccati, si committatur. 3. De re, quæ omnibus spectatis est indifferens: nam nihil confert ad cultum Dei, nec ei placet. Immo tale votum est cultus vanus, ac superfluus, ideoque peccatum saltem veniale. Ut autem res indifferens sit honesta, debet non solum referri ad finem honestum, sed etiam ex se, vel ex circumstantiis esse apta ad finem illum consequendum, cum relatio extrinseca rem non immutet. Porro executio voti illiciti continet eamdem malitiam, quam ejus omissio; quia executio ex obligatione voti, est voti facti approbatio.

5. Ut sit (12) de bono possibili. Nam votum requirit,

(12) Si quis autem voveat aliquid, partim possibile, partim impossibile, a voti obligatione non liberatur, sed tenetur ad partem sui voti adimplendam quæ ei possibilis est, cum eam separare ab illa potest quæ est ipsi impossibilis. Nam votum in his circumstantiis est validum: & votum validum debet cum po-

rit, ut, quod promittitur, prævideatur esse faciendum, & fieri posse moraliter. Docent tamen valere votum nunquam peccandi ex proposito, & perfecta deliberatione. Nam quamvis sit impossibile cum auxiliis ordinariis nunquam peccare venialiter, nequidem cum deliberatione imperfecta; alterum tamen est possibile cum divina gratia absque privilegio; & tale votum a Viris Sanctis quandoque factum legimus.

6. Ut vovens non sit Jure positivo inabilis ad vovendum.

Nota laudabiliter posse voveri Deo aliquid, ad quod jam obligamur; & per tale votum novum vinculum induci est omnino certum, inquit Lessius, tum ex perpetuo usu Ecclesiæ, ubi vovetur non solum abstinentia a nuptiis, sed etiam abstinentia ab omni voluptate illicita extra matrimonium, quæ est omnibus præcepta. Tum quia opera præcepta sunt Deo gratissima. Quare violatio talis voti habet duplicem malitiam; unam contra præceptum, & alteram contra religionem ob votum.

Quæst. III. Quotuplex est votum.

Resp. Dividitur 1. In reale, quo promittitur pecunia, vel res pretio æstimabilis, quæ actio voventis non sit: in personale, quo promittitur actio personalis, aut omissio ipsius voventis, ut votum castitatis: & in mixtum, quo promittitur & actio, vel omissio personalis, & aliud pretio æstimabile, & ab ea distinctum: ut si voveas ire ad B. Virginem Lauretanam, ibique munus offerre. 2. In temporale, quod est ad certum tempus: & perpetuum, quod censetur fieri, cum nullus est obligationi constitutus finis, ut si dixeris: voveo deinceps castitatem. 3. In absolutum, quod fit sine conditione; & conditionatum, quod fit sub aliqua conditione, v. g. voveo eleemosynam, si pauper convaluerit: unde non obligat, nisi posita conditione, qua posita statim obligat, quia obligatio desinit esse suspensa. Porro nullum est votum factum sub conditione repugnante naturæ, & substantiæ voti, vel rei promissæ, ut si profitearis religionem ea conditione, ut aliquid proprium retineas. 4. In solemne, (13) quod ab Eccle-

---

potest adimpleri. Unde e. g. qui vovet jejunare per totam vitam, & non potest nisi per unum aut duos annos, aut &c. tenetur jejunare per unum, vel duos, vel plures annos.

(13) Dividitur etiam votum, in expressum quod verbis distinctis exprimitur, & tacitum quod fieri censetur, ex quo voluntarie suscipitur vel agitur aliquid cui votum est annexum, ut cum susci-

Ecclesia approbatum & absolute, ac in perpetuum acceptatum est; & simplex, quod emittitur absque acceptatione Ecclesiæ saltem in perpetuum.

Quæst. IV. An, quomodo, quos, & quando votum obligat?

Resp. Obligatio voti ex suo genere gravis est; itaut ejus violatio in materia gravi sit mortalis. Ita omnes: constat enim ex Psalm. 49. Eccles. 5. 1. Ad Timoth. 5. De Viduis, quæ continentiæ votum violaverunt: ex traditione, & sensu Ecclesiæ; ex c. 6. de voto, ex S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 3. Et sane violatio fidei Deo datæ in re gravi continet gravem irreverentiam in Deum propter summam ejus majestatem, ex August. epist. 127. al. 45. Materia autem illa voti est gravis, de qua posset dari præceptum sub mortali obligans; seu quæ per se, vel ex circumstantiis notabiliter conducit ad honorem Dei, vel spiritualem utilitatem voventis. Hinc qui semel non implet votum jejunandi, confitendi, vel audiendi Sacrum &c. peccat mortaliter. Votum tamen ex communi sententia obligat solum sub veniali in re levi. Quia votum est quædam lex privata, quam sibi quis imponit, & species quædam pacti: lex autem, & pactum non imponunt obligationem, nisi proportionatam materiæ. Unde qui vovisset singulis diebus anni dare unum assem pauperibus, peccat solum venialiter, semel, aut bis omittendo. Secus, si decrevisset non implere votum, quia materia talis voti collective sumpta gravis est. Porro non pauci docent voventem posse in re gravi se obligare solum sub veniali, si expresse velit (exceptis votis status religiosi, quæ sunt per se vota graviter in perpetuum obligantia, & nisi Ecclesia aliter statuerit): tum quia obligatio voti pendet a voluntate voventis: tum quia votum est lex privata, quam vovens libere sibi imponit; Legislator autem potest in materia gravi velle tantum se obligare sub veniali; At secus est, nisi expresse voluerit se obligare sub veniali, quia quisque censetur se accommodare capacitati materiæ, & usui communi, nisi constet aliud expresse intendisse. Cæterum violatio voti præter malitiam infidelitatis erga Deum involvit deformitatem sacrilegii, saltem secundum quamdam eminentiam; quia per voti violatio-

---

suscipitur Ordo sacer voluntarie, cui ex Ecclesiæ institutione votum castitatis est annexum. Item in morale quod fit ob motivum & amorem virtutis; & pœnale quod fit in punitionem criminis quod commissum fuit, vel quod committetur; attenta inclinatione labendi in illud.

lationem id, quod fuit Deo per promissionem dicatum, ei denegatur.

Resp. 2. Quando non constat de alia speciali voventis intentione, non aliter obligat votum in quavis materia, quam si esset lex de ea re a Deo, vel ab Ecclesia lata. Quia votum est quædam lex, quam homo sibi imponit circa materiam illam promissam: immo fit communiter juxta hanc intentionem. Hinc vovens excusatur a talis voti impletione in iis circumstantiis, in quibus excusatur a præcepto Ecclesiæ, nisi contrarium expresse, vel virtualiter intenderit.

Resp. 3. Ex communi sententia, votum personale solum voventem obligat; nec per alium impleri potest nisi vovens aliter expresse intenderit; quia res promissa est propria actio, vel omissio voventis, non alterius. Votum vero reale obligat voventem ad persolvendum per alium de propriis bonis, si per se ipsum implere nequeat; quia res promissa est bonum temporale voventis, quod potest ejus nomine per alium tradi. Item hæredes, secundum omnes tenentur exequi vota realia defuncti, secundum vires hæreditatis, salva legitima hæredis necessarii, ex cap. *6. de testam.* & l. 2. parag. *de pollicit.* Nam hæredes debita bonis annexa solvere tenentur ex justitia, ratione rei acceptæ cum tali onere, & ex contractu implicite inito per acceptationem hæreditatis. Bona autem Deo promissa sunt ipsi speciali jure debita. Quod si sint plures hæredes, quisque tenetur pro rata juxta portionem hæreditatis, quæ ei obtigit, nisi res debita, & legata possideatur ab uno, vel obligatio sit individua. Idem est de voto mixto quoad partem qua personale est, ac de voto personali, & quoad partem qua reale est, ac de voto reali, ut patet. Qui autem vovit factum alterius, tenetur curare quantum potest, ut alter impleat: hoc enim censetur intendisse. Iste alter tamen nullatenus ad id tenetur, nisi consenserit; nam votum obligat solum eum, qui promisit cap. 14. *de Regular.* Si vero populus vovit festum, vel jejunium consentiente Episcopo, ad hoc tenentur posteri, non vi voti, sed ex præcepto Episcopi approbantis, & ita implicite præcipientis illud festum, aut jejunium.

Resp. 4. Impleri debet votum tempore a vovente præfinito: nam promisit rem tali tempore, unde illam tunc reddere tenetur. Quod si ex impotentia, vel negligentia votum tempore præfinito non impleatur, debet postea impleri, nisi ex intentione voventis, aut voti natura res promissa sit affixa certo diei in devotionem illius ad honorem Sancti, vel mysterii, cujus nunc memoria celebra-

tur; quia tunc intentio fuit se obligandi ad actum hoc tempore faciendum, non alio. Quando autem tempus non ipsius temporis intuitu, & devotione constitutum est; censetur adjici, ut terminus, non ad finiendam obligationem, sed ultro quam non sit differenda; & sic statim postea impleri debet, nam perseverat debitum quoad substantiam, duasque obligationes contraxisti, unam faciendi opus, alteram faciendi tali tempore; unde hac non impleta, manet illa principalior, quæ semper urget. Si vero nullo definito tempore voveris, teneris votum exequi quam primum commode, & recte potes judicio prudenti. Nam statim moraliter loquendo exigitur a Deo, ex Deuter. 23. & Eccles. 5. Deinde res absolute, & sine dilatione promissa statim debita est, ex l. 14. parag. *de reg. jur.* Non est tamen continuo mortale differre ad valde breve tempus, modo votum brevi postea persolvi queat. Nam potest esse materiæ parvitas in mora illa, sicut in aliis rebus. Hæc omnia continent communem doctrinam. Porro si votum fuerit negativum, seu de omissione, toties peccatur, quoties fit actio omittenda; quia votum illud instar præcepti negativi obligat pro toto tempore, pro quo factum est, & omnis omnino omissio promissa est.

Sed an vovens votum implere teneatur ante tempus a se præfinitum ob impedimentum futurum?

Resp. 1. Quando opus vovetur, ut proprium opus certi diei, seu temporis, ex communi sententia non tenetur vovens prævenire, etiamsi prævideat impedimentum pro illo die. Quia non vovit actum, nisi tali die faciendum. Idem dic, quando terminus, seu dies ponitur non solum ad differendam executionem, sed etiam ad suspendendam obligationem usque ad talem terminum: quia res non est promissa ante illum, nec vovens intendit se obligare, nisi ex tali die.

Resp. 2. Quando terminus solum ponitur ad differendam solutionem, & non ad suspendendam obligationem, tunc ex communi sententia vovens tenetur votum persolvere ante terminum, si prævideat impedimentum pro illo futurum: quia tunc votum, statim ac fit, obligat absolute, ut intra terminum designatum opus fiat. Unde obligat determinate pro illo tempore, pro singulis partibus vero quasi disjunctive. Et ideo vovens tenetur absolute implere votum in aliqua parte hujus temporis. Quapropter si prævidet futurum esse impedimentum in posteriori parte temporis, tenetur in priori facere, quod est prævenire terminum: ut si quis vovit jejunare sex dies mensis, non designando illos, limitando tamen obligationem

ad men-

ad mensem, ita ut cum illo extinguatur in omni eventu; tunc si prævideat futurum, ut post decimum diem mensis jejunare nequeat, tenetur prioribus diebus totum votum implere; & ita prævenire terminum; quia tunc totum tempus mensis est tempus absolutæ obligationis, quæ debet impleri in parte ejus possibili. Quæ omnia confirmantur exemplo præceptorum v. g. confitendi singulis annis.

Quæst. V. Quid dicendum in dubio circa votum?

Resp. sequentia 1. Nullus (14) tenetur voto, de cujus emissione dubitat, si post diligens examen nulla ei appareat probabilis conjectura, quod votum illud fecerit. Quia obligatio voti, quæ voluntarie suscipitur, sine rationabili fundamento affirmaretur. 2. In æquali utrimque probabilitate votum servari debet. Quia tunc non potest prudenter negari votum factum fuisse: & in dubiis tutior pars eligi debet; alioqui talis se exponeret periculo peccandi. A fortiori (15) tenetur voto, qui sciens se post septen-

(14) Item vere dubius, an aliquis actus repugnet voto a se facto ab illo tenetur abstinere. Alias peccatum mortale incurrit, quia sciens & volens exponit se periculo peccati mortalis: e. g. qui vovit certa jejunia, in dubio an illa servare queat absque periculo gravis infirmitatis, tenetur illum protrahere in alium diem, vel in alia pietatis opera commutare Superioris auctoritate.

(15) Item, in dubio, an votum factum sit ante septennium vel post, præsumitur factum post septennium: quia actus non præsumitur factus in ætate incompetenti, nisi probetur, cap. *in præsentia*, *de Probat.* Similiter certus se vovisse, sed dubius an cum sufficienti deliberatione, non defectu ætatis, sed aliunde, v. g. in somno, ebrietate, &c. quamdiu de hoc non constat, tenetur voto. Ratio est, quia voventes in ætate competenti solent ut plurimum in oratione extra somnum & ebrietatem vovere. At qui taliter dubitat de voto, ut nec recordetur verborum exprimentium votum, nec intentionis se obligandi, a communiter accidentibus præsumitur non vovisse; quia defectus ille memoriæ argumento est votum non fuisse emissum. Ita Doctores communiter. E contra, certus verbis se emisisse votum, in dubio de interiori animo se obligandi tenetur voto, juxta significationem verborum. Certus de voto, sed dubius an sit de meliori bono, sive de materia legitima & honesta, si post debitum examen, peritorumque consultationem perplexitas perseveret, recurrere debet ad Superiorem qui perplexitatem per declarationem, vel dispensationem tollat. Quod si recurrere non possit, amplecti debet tutiorem partem, idest in qua minoris peccati periculum animadvertit. Ita S. Thom. q. 88. art. 12. ad 2. Ratio est, quia via tutior est eligenda, quoties in ea quispiam est perplexitate constitutus, ut probabiliter timeat peccare, sive hanc sive oppositam partem elegerit: porro in casu nostro id probabiliter timet.

septennium vovisse, dubitat an habuerit intentionem se obligandi, vel sufficientem advertentiam. Nam actus præsumitur factus, ut fieri solet, ac debet, nisi contrarium constet; & res in dubio judicari debet a communiter contingentibus. Si quis tamen paulo post, quam aliquid promisit, dubitat utrum habuerit intentionem vovendi, vel se obligandi, an vero sit dumtaxat simplex propositum, ordinarie præsumitur non vovisse. Quia verum votum fit ordinarie cum tanta deliberatione, ut facile quisque paulo post ejus emissionem possit illud reminisci. 3. Certus de voto, sed dubius de solutione, tenetur illud implere: nam debito certo non satisfit, nisi per solutionem certam. 4. Quando solum dubitatur de quantitate, vel qualitate rei promissæ, votum explicandum est secundum voventis intentionem, ultro quam non obligat, ex Deuter. 23. Nam, ut ait S. Thom. 2. 2. q. ult. art. 4. *Obligatio voti ex voluntate procedit*. Si de intentione non constet, elicienda est ex conjecturis, ex materia præsertim, & fine, quem in voto spectavit; nam causa finalis, seu ratio volendi est mensura rei volitæ. Et si his inspectis adhuc dubium manet, votum explicandum est secundum communem, & usitatam verborum, quibus usus est, acceptationem: nam unusquisque censetur velle facere, quod verbis in sensu usitato acceptis indicat. Quod si non recordetur verba, quibus usus est, eligi debet pars tutior. S. Thom. in 4. dist. 38. quæst. art. 3. ad 6.

Quæst. VI. An votum fictum, seu exterius factum sine animo vovendi, vel se obligandi, peccatum est?

Resp. Affirm. Quia illa fictio, seu simulatio est mendacium aliquod, & vana usurpatio nominis Dei, continens irreverentiam contra Deum. Seclusis autem contemptu, scandalo, injuria Dei non esse per se mortale docet Suarez. In votis tamen solemnibus, vel quæ fiunt in assumptione Religionis docet fictionem esse mortalem, quia in ea fit injuria gravis Religioni, & vix separari potest a gravissimo scandalo.

Quæst. VII. Quot modis tollitur obligatio voti?

Resp. Ex communi sententia his, 1. Cessante causa finali, ob quam factum est; nam *cessante causa cessat effectus*, cap. *60. de appellat.* 2. Materiæ desitione, vel mutatione notabili, ut si res promissa, antea honesta, fiat turpis, vel indifferens, vel impeditiva majoris boni ratione novæ circumstantiæ, aut prohibitionis, vel si fiat impossibilis. Item quando non potest servari sine gravi periculo mortis, vel gravis damni in bonis temporalibus, in statu, vel honore, quod sit accidentarium voto, nisi constet ex natura voti, vel aliter, voventem voluisse se in

tali

tali eventu obligare. Nam in tali casu materia non est eadem, nec voventes intendunt communiter se obligare. Neque tunc est obligatio præstandi aliquid aliud loco rei promissæ: quia votum non obligat ultra intentionem voventis, quæ non est obligandi se ad aliud, quam ad id, quod vovet, nisi illud fuerit in hoc inclusum saltem virtualiter. At voti obligatio non cessat ob difficultates postea obvenientes, quas, si vovens prævidisset, non vovisset. Hæc enim omnia præcogitare poterant, ac debebant. Quod si non fecerint, sibi imputent; & media idonea adhibeant, ut votum implere possint. 3. Irritatione, dispensatione, vel commutatione. 4. Defectu conditionis positæ, si votum sit conditionatum. Quia vovens noluit se obligare, nisi conditione illa posita. Si vovens voti conditionem honestam per dolum, fraudem, aut minas impediat, peccat contra votum, & remanet obligatus, quia vovens sub conditione aliqua honesta tenetur eamdem conditionem non impedire; alioquin votum esset illusorium.

Sed quid, si materia voti fiat impossibilis solum quoad aliquam partem, vel modum?

Resp. Tunc si materia commode dividi possit, & soleat, vovens tenetur ad eam partem, quam potest. Quia censetur partes illas divisim promisisse, nisi constet oppositum expresse intendisse. Hinc si non potes dare pauperibus centum, quos promisisti, teneris dare decem, quos potes. Si vero res promissa dividi nequeat, aut non soleat, ad nihil teneris: ut si voveris ædificare Ecclesiam, & postea non habeas pecuniam sufficientem, nisi ad ponenda fundamenta, ad nihil teneris; quia partes Ecclesiæ non divisim, sed collective tamquam unicum objectum promisisse censeris, nisi contrarium expresse intenderis. Quod si actus non possit fieri solum quoad circumstantiam, seu modum, qui non fuerit intentus principaliter, nec ut conditio necessaria ad obligationem substantialem; tunc res promissa implenda est quoad substantiam: quia tunc substantia actus fuit principaliter intenta, & absolute promissa, circumstantia vero, seu modus, ut aliquid accessorium. Sic qui vovit jejunium in pane, & aqua, & potest solum servare jejunium ordinarium, ad hoc tenetur. Secus si quis non vovit substantiam actus, nisi dependenter a tali modo, qui nequeat servari, ut sæpe fit, cum modus ille notabiliter minuat difficultatem actus: ut si vovisti ire Romam equo, vel rheda, & postea utrumque desit, non teneris ire pedibus. Si vero modus, aut circumstantia sit solum possibilis, res autem principalis impossibilis, cessat obligatio voti, quia non fuit intentio

se obligandi, nisi dependenter a principali. Cæterum si impossibilitas, aut impedimentum non sit perpetuum, eo postea sublato votum impleri debet. Secus si sit perpetuum, nec vovens tenetur in aliud commutare, nisi hoc vovisset.

Quæst. VIII. Quænam vota, & a quibus irritari possunt?

Irritatio voti est ablatio ejus obligationis facta nomine proprio ab eo, cujus potestati subjecta est voluntas voventis, vel materia voti. Duplex est, alia directa, quæ directe cadit in votum, efficitque; ut votum sit nullum defectu conditionis ad illud requisitæ, scilicet consensus ejus, cui voluntas voventis subjecta est: alia indirecta, quæ cadit dumtaxat in materiam voti, seu quæ fit tantum ratione materiæ alteri subjectæ remanente voto.

Resp. 1. Vota omnia eorum, quorum voluntas subjecta est potestati dominativæ alterius, possunt ab eo directe irritari, nec postea reviviscunt. Ita communiter, quia eorum vota tacitam, ac implicitam habent hanc conditionem, *Si superior non contradixerit*. Nam nemo potest vovere contra jura alterius. Quamdiu tamen non irritatur votum, servari debet; quia licet non sit firmum, est tamen validum, donec Superior contradicat, ex *cap. Monacho*, 20. q. 4. Quare in hujusmodi votis non includitur hæc conditio affirmativa, *Si Superior consenserit*, sed negativa superius dicta, aut alia similis. Hinc ex communi sententia, 1. Vota impuberum, etiam implenda tempore pubertatis, possunt directe irritari a patre, vel in ejus defectu ab avo paterno, aut tutore, qui vices patris gerit; non autem a matre, nisi sit nutrix. Ratio est dispositio Juris Canon. quod votis impuberum ob horum judicii imbecillitatem apposuit hanc tacitam conditionem, *Nisi pater, vel tutor contradixerit*, cap. *Puella*, 20. q. 2. Multi docent eadem vota impuberum a patre irritari posse tempore pubertatis. Quia vota illa per tractum temporis non amiserunt prædictam conditionem. Sed juxta varios id jam non potest tutor; quia eo ipso quod pupillus fit pubes, tutor fit curator; cui persona pupilli, seu minoris non committitur sicut tutori. Limita, modo liberi in pubertate talia vota non ratificaverint, scientes non fuisse firma; nam hæc ratificatio est nova voti emissio; 2. Superiores (16) Religiosorum possunt directe irrita-

(16) Superior irritare etiam de ejus scitu & consensu edita; potest vota inferiorum suorum quia non censetur consentire nisi revo-

ritare omnia vota suorum subditorum, exceptis votis, quæ ex instituto Religionis fiunt, & voto strictioris Religionis. Constat ex communi Doctorum sensu, & usu in Religionibus recepto, & cap. *Monacho* cit. & ex Thom. 2. 2. q. 88. art. 8. ad 3. Idque vel ex natura status Religiosi, & voti obedientiæ, cap. 27. *de elect. in* 6. vel ex dispositione Ecclesiæ per usum statuta, quæ de votis Religiosorum idem decrevit ac de votis impuberum. Potest quoque valide Prælatus secundum communem sententiam irritare votum subditi a se, vel a prædecessore æquali, aut inferiore approbatum. Quia per istam approbationem non amisit, nec a se abdicavit jus suum. Sed hoc non videtur omnibus certum. Fatentur autem omnes talem peccaturum, si sine causa consensum revocet, quia abutitur sua potestate contra bonum subditi, impeditque majus Dei obsequium. Novitiorum vero vota non possunt directe irritari, cum sint adhuc sui juris: sed solum potest suspendi executio votorum personalium, quatenus impediunt observantiam regularem, & eorum rectam gubernationem: ita ut si egrediantur a Religione, statim reviviscat eorum obligatio. Porro Religiosi, & quivis subditi dominativæ alterius potestati ex communi sententia licite, ac meritorie ea omnia bona opera vovent, quæ nec Regula, nec Superiorum præcepto eis interdicta sunt; & talia vota statim obligant non expectato Superiorum consensu, donec ipsi non contradicant.

Resp. 2. Vota, quorum materia est alteri subjecta, possunt ab eo indirecte irritari, etsi ante subjectionem facta fuerint, ex cap. *Noluit* 33. q. 5. Quia nunquam licet jus alterius violare. Hinc secundum communem sententiam 1. Irritari a patre possunt indirecte, & ratione materiæ vota impuberum, quæ obsunt disciplinæ, & convenienti gubernationi familiæ. Sic potest suspendere obligationem voti perpetuo abstinendi a carnibus. At nihil potest circa vota puberum, quæ nullatenus ejus potestati officiunt, ut sunt certæ preces, votum castitatis, religionis &c. nam pubes in ordine ad obsequium divinum, habet jus disponendi de se, & suis actionibus personalibus,

revocabiliter, nec, consentiendo, privare se jure suo, revocandi hujusmodi vota. Alias irritari non possent a successore: nihilominus Superior hoc facere non potest, nisi ex rationabili causa.

Abbatissæ & Priorissæ irritare possunt vota monialium quæ eorum domus seu familiæ administrationi præjudicium afferunt vel incommodum: quia ad hoc sufficit sola domus seu familiæ administratio. Petrus Collet.

bus, quæ non adversantur rectæ gubernationi familiæ; 2. Maritus potest indirecte irritare vota uxoris, & vice versa uxor mariti, quæ officiunt usui matrimonii, prolis educationi, & gubernationi familiæ, ut sunt vota peregrinandi, sæpius jejunandi &c. quia juri mariti obsunt; non autem vota de certis precibus, aut continentia post ejus mortem servanda. Possunt (17) tamen ambo ex communi consensu continentiam vovere. 3. Herus potest suspendere executionem votorum famuli, & ancillæ, quatenus solum impediunt, vel imminuunt obsequium sibi debitum.

Observa. Vota directe irritata nunquam reviviscunt; quia Superior contradicendo ei efficit, ut sint nulla defectu conditionis requisitæ. At vota indirecte irritata suspenduntur solum, quamdiu materia est subjecta alteri, & reviviscunt, ac obligant, quando desinit ei subesse: quia votum erat validum absolute, & ob solam materiæ subjectionem suspensum erat.

Resp. 3. Qui vota irritandi potestatem habent, illa valide irritant etiam sine causa justa: quia ad validum usum juris sui non requiritur causa. Peccant tamen si sine causa faciant, ut patet ex dictis.

Quæst. IX. Quinam possunt dispensare in votis, & juramentis?

Resp. 1. Papam, & Episcopos habere hujusmodi potestatem constat ex Matth. 16. & 18. & ex perpetuo Ecclesiæ usu. Et sane talis potestas ad commune bonum fidelium expedit, Immo necessaria est. Dispensatio autem voti est absoluta condonatio rei Deo promissæ facta nomine, & vice Dei a Superiore tamquam ejus Vicario, qui tamen tunc non dispensat in lege divina servandi votum; sed solum ipsam rem promissam remittit nomine, ac vice Dei, & tamquam ejus œconomus. Lex autem divina non obligat ad servandam promissionem Deo factam, cui Deus per suum Vicarium cessit.

Resp. 2. Potestas ordinaria dispensandi &c. competit solis

---

(17) Licet nec vir absque consensu uxoris, nec uxor absque consensu viri vovere possit castitatem qua parte impedit debiti redditionem: potest tamen absque mutuo consensu licite & valide vovere castitatem qua parte solum impedit debiti exactionem, ut ex cap. *quidam*, de convers. conjug. Doctores communiter affirmant. Et ratio est, quia conjugati in exigendo sui juris sunt. In junioribus tamen conjugatis quoad lectum non separatis, non exigendi votum non est de facili concedendum: quia multis periculis est obnoxium.

solis Prælatis habentibus jurisdictionem in foro externo. Nam hæc potestas, utpote jurisdictionis, ad externam Ecclesiæ gubernationem pertinet. Hinc eam habent 1. Papa erga omnes fideles in omnibus votis. 2. Episcopi erga suos subditos in votis Papæ non reservatis. Item habentes jurisdictionem quasi episcopalem eam dispensandi potestatem habent, ut ordinariam. Potestatem vero delegatam habent, qui ab iis accepere. Vota autem Papæ reservata præter solemnia, sunt quinque, scilicet castitatis perpetuæ, ingrediendi Religionem approbatam, & peregrinationis in Jerusalem, ad Limina Apostolorum, & ad Sanctum Jacobum in Compostella, *Extravag. Etsi Dominici*, de pœnit. Quæ tamen si conditionata fuerint, pertinent ad Episcopum ante impletam conditionem.

Resp. 3. Ex communi sententia ad valorem dispensationis requiritur etiam justa causa. Quia Deus non dedit hominibus potestatem relaxandi sine causa vota, & juramenta sibi facta. In dubio tamen de sufficienti causa potest subditus stare judicio Prælati dispensantis, vel commutantis. Ita S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 12. ad 1. Justæ autem causæ dispensandi hæ recensentur: honor Dei, utilitas Ecclesiæ, commune bonum Reip. spiritualis, uno verbo pietas, utilitas spiritualis, & necessitas. Quamquam causarum aliquæ videantur solum sufficere ad votum commutandum: nam longe gravior requiritur causa ad dispensandum, quam ad commutandum, & raro utendum est pura dispensatione; sed admittenda est aliqua commutatio.

Quæst. X. Quinam (18) possunt commutare vota?

Com-

(18) Ex multis Bullis SS. Pontificum variis mendicantium ordinibus concessis Confessarii ordinum mendicantium habent ab iisdem Pontificibus delegatam ex privilegio potestatem commutandi, & dispensandi vota omnia Summo Pontifici non reservata, etiam jurata. Ita communis Theologorum sententia.

Hinc confessarii mendicantes dispensare possunt, 1. In voto non petendi dispensationem, vel ea non utendi. 2. In voto castitatis non perpetuæ. 3. In voto paupertatis & obedientiæ etiam perpetuæ, emisso in sæculo, exceptis illis quæ fiunt ex vi particularis instituti a Sede Apostolica approbati, cujusmodi est votum obedientiæ quod in sua Professione emittere solent Tertiarii & Tertiariæ Carmelitici Ordinis. 4. In voto assumendi Ordines Sacros, vitam eremiticam, &c. 5. In voto peregrinationis ad Virginem Lauretanam, & quarumcumque aliarum peregrinationum, exceptis tribus ab Auctore indicatis q. IX. resp. 2. 6. In voto transeundi ad Religionem strictiorem, non quoad substantiam (qua ratione est re-

ser-

Commutare vota est mutare materiam voti in aliam sub eadem obligatione. Igitur.

Resp. 1. Quisque potest privata auctoritate, & sine alia causa commutare votum suum in id, quod evidenter melius est, & aliunde non præceptum, modo id Ecclesia non prohibuerit. Est saltem communis sententia. Id enim constat ex cap. 3. *de jurejur.* nam debitum rei minus bonæ abunde, & perfectius solvitur Deo in re meliori, quæ semper est Deo gratior, & in qua etiam res promissa continetur virtualiter saltem quoad finem voti, qui est, rem gratam Deo facere. Hinc votum recitandi septem Psalmos commutari potest a vovente in votum audiendi sacrum. Multi excipiunt vota Papæ reservata, quod eorum commutationem sibi reservaverit, nisi in statum Religionis commutentur. Porro melius hic censetur, quod spectatis omnibus est Deo gratius; tale autem non est semper id, quod secundum se, & ex genere suo præstantius est, sed quod saluti voventis magis expedit, cupiditates efficacius coercet, & voluntatem Deo perfectius subjicit. In dubio, an opus sit melius requiritur auctoritas Prælati cap. 1. *de Voto*. Et de hoc omnes consentiunt.

Resp. 2. Ex communi sententia votum non potest valide commutari privata auctoritate in minus bonum: quia tunc intercedit partialis dispensatio, quæ necessario requirit potestatem Ecclesiasticam. Immo requiritur potestas Superioris ad commutationem voti in æquale. Est saltem communior sententia. Nam jura non dicunt sufficere auctoritatem privatam nisi ad commutandum in evidenter melius, ex cap. 1. *de Voto*. Deinde alia res non melior solvi nequit sine consensu creditoris, scilicet Dei, cujus Superior vices gerit, arg. ex lib. 2. *de reb. cred.*

Resp. 3. Ex communi sententia: non solum ad licitam, sed etiam ad validam commutationem in minus bonum præter auctoritatem requiritur justa causa; quia in illa admiscetur aliqua dispensatio, qua condonatur aliquid, quod ex voto debetur Deo. Requiritur etiam aliqua causa, sed minor, ad commutationem validam in æquale. Ad hoc tamen juxta multos sufficit major devotio ad illud æquale præstandum, cum non fiat relaxatio, sed

---

servatum) sed quoad qualitatem illam strictiorem, sicut & in voto quo quis vovisset peregrinari pedibus in Jerusalem quoad illam circumstantium, *pedibus*. Ita communis sententia.

ſed mera translatio obligationis. Si tamen Superior bona fide proceſſerit, putans eſſe cauſam juſtam, licet talis non ſit, juxta multos valet commutatio; quia bona fides Superioris eſt pro cauſa.

Reſp. 4. Ex communiore ſententia quicumque habet poteſtatem diſpenſandi, etiam ſolum delegatam, habet etjam poteſtatem commutandi. Nam qui poteſt plus, poteſt & minus in eodem genere, ex reg. 53. jur. in 6. Cui autem ſolum conceſſa eſt poteſtas commutandi, is non habet poteſtatem diſpenſandi; quia hæc major eſt, nec in illa continetur. Immo non poteſt commutare, niſi in æquale: nam vox, & natura commutationis æqualem ſubrogationem importat, & commutatio in minus continet aliquam diſpenſationem admixtam. Ita S. Carol. *in inſtruct. Confeſſ.* Et ex communi ſententia.

Obſerva 1. Peregrinationes recte commutantur in jejunia, largas eleemoſynas, crebram confeſſionem, & Euchariſtiæ ſumptionem: quia hæc plerumque ſunt magis ſalutaria, & Deo gratiora. 2. Juxta multos, ei, cujus votum commutatum eſt, licet ad prius redire: nam commutatio facta eſt in ejus favorem, cui proinde renuntiare poteſt. Excipit Reginaldus, ſi commutatio facta ſit in melius, & acceptata a vovente, eo quod acceptatio talis commutationis vim habeat novi voti: unde implere prius eſſet commutare votum ex meliori in minus bonum, quod non licet privata auctoritate, & ſine juſta cauſa. 3. Si opus ſubrogatum fiat impoſſibile, vel indifferens, juxta multos vovens non tenetur implere prius, etiamſi poſſit; quia hujus obligatio per commutationem extincta eſt.

CAPUT QUARTUM.

De Juramento.

Quæſt. I. QUid eſt juramentum?

Reſp. Eſt aſſumptio divini teſtimonii ad confirmandum, non quidem, ut hic & nunc veritatem aliquo miraculo teſtetur; ſed quando, & quomodo ei placuerit, ſive in hac vita, ſive in univerſali judicio. Hinc juramentum differt ab adjuratione, quæ eſt actus, quo quis alterum rogat, vel ei præcipit aliquid per Deum, 1. Theſſal. 5. Ad juramentum duo ex communi ſententia requiruntur. 1. Intentio ſaltem virtualis jurandi, ſeu Deum in teſtem aſſumendi. Ita S. Thom. 2. 2. q. 98.

2. q. 98. art. 3. ad 2. Nam juramentum est actus humanus, quatenus juramentum est, ac proinde ab intentione jurandi proficisci debet. 2. Locutio, qua Deus in testem advocetur. Quæ locutio non solum in verbis consistit, sed etiam in quovis signo, quo exprimitur Dei invocatio, v.g. nutu, contactu Evangelii, elevatione manus &c. quando hæc fiunt ex intentione jurandi. Immo illa locutio potest esse mere interna, & sic juramentum potest esse mere internum. Hinc 1. Modi loquendi, quibus Deus in testem non adducitur non sunt juramenta, ut cum dicitur: *tam verum est, quam lucet, quam loquor*. Juraret tamen, qui animum habens Deum, ut testem invocandi, adhiberet verba, vel alia signa, quæ alioqui de se talem jurandi vim non habent, ut si quis cum intentione jurandi diceret: *In veritate hoc faciam*, ut notat Sanchez. Hæc vero locutio, *Tam verum est, quam Deus existit* est blasphemia, si loquens intendat significare tantam esse in suo dicto certitudinem, quanta est in veritate fidei: sed non est juramentum, nisi per hæc verba intendat adducere Deum in testem. 2. *Certissime, sine dubio, in veritate* &c. & similes locutiones non sunt juramenta: secus si dicatur *in veritate Dei*, vel *Christi*. 3. Ex communi sententia non sunt ordinarie juramenta hæ formulæ: *in fide mea, per fidem meam*, quia ordinarie accipiuntur de fide seu fidelitate humana, sine ullo respectu ad Deum. Item juxta multos istæ: *in conscientia mea* &c. quia saltem apud doctos significant solum hominem loqui ex veritatis notitia, & conscientiæ dictamine: plerique tamen oppositum tenent. Ex communi sententia non sunt ordinarie juramenta, hæ formulæ: *in fide boni viri, in fide boni christiani*, vel Sacerdotis ob dictas rationes. Ab iis tamen abstinendum est ob scandalum: nam non omnes ita hæc verba intelligunt, & sunt juramenta apud eos, qui existimant esse, vel apud quos per consuetudinem accipiuntur, velut juramenta. Si autem per illas phrases intelligitur fides divina, erit juramentum. Quare rudes interrogandi sunt, an per illas formulas intenderint Deum in testem advocare. 4. In istis locutionibus, *Deus scit, coram Deo loquor*, spectanda est intentio loquentis. 5. Istæ locutiones, *Abnego Deum per mortem, per ventrem, per caput Dei* sunt potius blasphemiæ, quam juramenta, nisi quis per tres posteriores locutiones intenderet Christum adducere in testem. 6. In omnibus modis loquendi habenda est ratio usus, & spectandæ sunt circumstantiæ, & intentio loquentis. Porro in dubio de intentione judicari debet secundum communem verborum, quorum fit usus, acceptionem.

Quæst. II.

Quæst. II. Quotuplex est juramentum?

Juramentum dividitur 1. In explicitum, quo Dei testimonium expresse invocatur dicendo v. g. *Deum testor*, *juro per Deum* &c. Et implicitum, quo implicite solum Deus adducitur in testem, ut, *Per Deum*, *Vivit Deus*: vel cum quis jurat per creaturas nobiliores, in quibus Dei potentia, vel alia perfectio specialiter elucet, vel quæ habent specialem relationem ad Deum, *juro per cælum*, *per terram*, *per templum*, *per Evangelium* &c. Ex Matth. 23. item per Sanctos intuitu Dei, vel *per meam animam*, *in anima mea*, quia censetur Deus in his splendens adduci in testem. 2. In solemne, quod fit certa verborum formula: vel coram Notario, & duobus testibus, vel in judicio, vel contactu Evangelii, & Reliquiarum. Et simplex, quod fit absque solemnitate. 3. In contestatorium, quo Deus solus, ut testis vocatur, v. g. *Per Deum*. Et execratorium, quo Deus in testem simul, & vindicem advocatur, unde fit per imprecationem, ut *Puniat me Deus*. Item *Per meam*, *vel alterius vitam*, aut *salutem* &c. Cum autem execrationes, quæ Dei nomen, vel Sanctorum, aut nostra mysteria continent, ex ira proferuntur, tunc sunt blasphemiæ, quia contumeliose pronuntiantur. 4. In assertorium, (19) quo confirmatur dictum, vel factum de præsenti, vel præterito, aut propositum de futuro sine promissione. Et promissorium, quo quis confirmat promissum, & se obligat alicui ad aliquid pro futuro. Hocque est vel absolutum, vel conditionatum, quod scilicet habet conditionem expressam, aut tacitam ex dispositione juris, vel intentione jurantis.

Quæst. III. An, & quando licet jurare?

Resp.

---

(19) Insuper dividitur juramentum in judiciarium quod fit in judicio; & in non judiciarium quod fit extra judicium. Judiciarium est voluntarium, cum ex libero partium consensu præstatur: est vero necessarium, cum lex aut judex illud præcipit. Datur etiam juramentum judiciarium. Quod vocatur *juramentum calumniæ*, quo partes protestantur se incipere ac prosequi velle litem, nisi propter bonam fidem & persuasionem quam habent, possidendi jus ita se gerendi *sine calumnia*, idest sine dolo, fraude, mendacio, injustitia; & aliud quod vocatur *juramentum decisorium*, quod præcipitur a judice, ut lis dirimatur. Rursus juramentum est, aut verbale quod exprimitur verbis; aut reale quod consistit in signis verbis æquivalentibus; aut mixtum, quod ex signis & verbis constat. Denique in materiale quod consistit in externa verborum pronuntiatione, sed sine jurandi intentione: & in formale quod consistit in reflexa prolatione eorumdem verborum intentioni jurandi annexa.

Resp. 1. Licet cum certis (20) conditionibus jurare, ex Deuter. 6. Psalm. 62. & Traditione Ecclesiæ. Et ratio est, quia juramentum est actus latriæ, quo jurans tacite testatur Deum habere rerum omnium cognitionem, & veracitatem infallibilem, ac providentiam rerum humanarum. Immo est obligatio jurandi 1. Quando a Superiore legitimo exigitur: 2. Quoties necessarium est ad subveniendum proximo.

Resp. 2. Ut licite fiat juramentum, requiruntur tres conditiones, ceu comites, scilicet veritas, judicium, & justitia. Ita omnes & constat ex Jerem. 4. *jurabis, Vivit Deus, in veritate, & in judicio, & in justitia.* Veritas exigit, ut jurans prudenter, & certo judicet esse verum id, quod dicit, & moraliter certus sit a se verum effecturum id, quod promittit. Judicium, ut cum discretione, consideratione, maturo examine veritatis, ac reverentia, nec sine necessitate, & gravi causa juretur: Justitia demum exigit, ut juramentum promissorium, vel assertorium de futuro sit de re licita, & honesta.

Quæst. IV.

(20) Conditiones omnes quæ ad juramentum requiruntur ad tres classes revocantur; 1. Ad eos qui jurant, ex quorum parte ut, juxta jus naturale, juramentum licitum sit, sufficit, ut habeant usum rationis, & juramenti gravitatem percipiant: juxta jus humanum vero requiritur, ut testes esse possint, & numquam pejeraverint, cap. 14. 22. q. 5. cap. 25. Nemo pariter cogi potest ad jurandum, antequam annum 14. attigerit; si ante quis seipsum sponte offerat, sequenda est loci consuetudo, & judicum prudentia. Causs. 2. quæst. 5. cap. 4. juramentum interdicitur clericis, ead. causs. 2. quæst. 5. capit. 2. nihilominus in casu necessitatis, vel magnæ utilitatis Sacerdos jurare potest, ut docet D. Thom. hic. art. 10. 2. Ad illos per quos juratur: porro jurari non potest nisi per verum Deum, & nisi ei tribuendo id quod illi convenit. Hinc jurare per falsos Deos est peccatum mortale. Unde non licet ab aliquo petere, ut juret per falsos Deos; quia hoc est rem determinate malam ab eo petere. 3. Ad modos & materiam juramenti, vel a jure ecclesiastico, vel a jure naturali & divino præscripta. Modi a lege ecclesiastica præscripti amplius non subsistunt. At juxta jus naturale & divinum tria requiruntur ut licite juretur, veritas nempe, judicium, & justitiam, ut etiam asierit & probat Auctor.

Pœnæ a jure canonico contra perjuros latæ sunt, 1. Ille qui pejerat, vel alium ad pejerandum impellit, jejunare debet 40. Diebus in pane & aqua; & postea septem annis pœnitere, ac denique per reliquum vitæ numquam esse sine pœnitentia. 2. Perjurus privari debet a judice beneficiis quæ possidet, & declarari inhabilis ad illa possidenda. 3. Nequidem post pœnitentiam admittitur, ut testimonium ferat. 4. Cum ejus crimen est notorium, incurrit infamiam. Pontas V. jurament. Petrus Collet tom. 2.

Quæst. IV. An semper est mortale, si una ex illis conditionibus desit?

Resp. 1. Si veritas desit, vel putetur deesse, vel dubia sit juranti, est perjurium, & semper mortale peccatum, etiam in re levi asserta. Ita omnes Theologi. Nam Deus non potest sine gravi irreverentia, & injuria adduci in testem falsitatis, sive in re magna, sive in parva, vel jocosa, S. Thomas 2. 2. q. 98. art. 2. & 3. August. serm. 28. de verb. Apost. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propositionem: „ Vocare Deum in testem mendacii levis, non „ est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit „ damnare hominem. " Quare omne perjurium proprie dictum mortale est, etiamsi joco fiat. S. Thom. 2. 2. q. 78. artic. 3. ad 2. Porro latius a S. Hieronymo & jure aliquando sumitur, nempe pro quolibet juramento illicito, etiam vero, sine necessitate. Ergo peccat mortaliter. 1. Qui jurat id, de quo dubitat, vel non est certus: Immo pejerat; nam mentitur, asserens tamquam certum id, quod putat tale non esse. 2. Qui jurat verum putans esse falsum. 3. Qui jurat id, quod verum est, & tale putat, sed levibus conjecturis adductus. 4. Ex communi, qui aliquid juramento promittit sine voluntate implendi: Vel si juret id, quod scit sibi esse impossibile, quia non potest habere propositum efficax implendi; idque etiamsi res sit moraliter tantum impossibilis, quia jurat se facturum id, quod judicare debet non facturum. Item si dubitet an possit, aut debeat præstare: nam in his omnibus deficit certa veritas de præsenti, quam semper in re qualibet habere debet juramentum promissorium.

Resp. 2. Quoad defectum judicii constat 1. Esse semper mortale, si defectus considerationis sit circa juramentum ipsum, vel circa veritatem propter periculum pejerandi. Hinc peccant mortaliter, qui factum, quod auditu tantum, vel aliis signis non omnino certis cognoverunt, tanquam certo cognitum jurati affirmant. Si vero defectus considerationis sit solum circa necessitatem, & gravitatem rei, ex communi sententia est solum venialis, seclusis contemptu, scandalo, & periculo jurandi falsum. Constat 2. Esse peccatum, saltem veniale, jurare sine necessitate, vel magna utilitate, Matth. 5. & Jac. 5. Id enim sine irreverentia contra divinam majestatem esse non potest. Sic illicita sunt juramenta urbanitatis gratia emissa, ut non ingrediendi, vel egrediendi prius. Ea tamen non videntur violari, si jurans altero urgente præcedat, quia illud juramentum cedens in honorem alterius remittitur ab eo, qui contendit, ut jurans prior ingrediatur.

Non

Non est tamen ex communi sententia mortale, jurare sine necessitate, vel super re levi, aut vana, sed vera & licita; modo absit contemptus, scandalum, & periculum pejerandi: quia in hoc non censetur gravis irreverentia. Ita S. Antonin. p. 1. tit. 14. c. 4. Qui tamen sæpe jurant sine necessitate, pejerandi periculum incurrunt, & proinde mortaliter peccant.

Resp. 3. Quod spectat ad defectum justitiæ, constat 1. Eum, qui jurat se facturum rem illicitam sine animo faciendi esse perjurum, quia juramentum mendacio confirmat. 2. Eum, qui jurat se facturum rem graviter illicitam, duplex peccatum mortale admittere; unum, quod velit rem graviter malam; alterum contra Religionem. Hinc cap. *Qui Sacramento* 22. quæst. 4. Ita jurantes integro anno communione privantur, eisque pro consequenda absolutione eleemosynæ, fletus, & jejunia præscribuntur. 3. Esse pejus jurare de re venialiter mala patranda, quam de re indifferenti, vel de honesta sine causa. Communius tamen docent esse solum veniale grave; quia putant non esse gravem irreverentiam. 4. Esse mortale contra religionem juramento confirmare injuriam mortalem. An autem propriam culpam mortalem præteritam affirmare cum jactantia, & delectatione sit præter culpam lethalem jactantiæ, & delectationis mortale peccatum contra Religionem alii asserunt, quia putant esse gravem irreverentiam, alii probabilius negant, quod juramentum per se non cadat in illam assertionem, ut malam, sed ut veram.

Nota. Per præceptum, *Non assumes nomen Dei in vanum*, non solum prohibentur omnia juramenta contra honorem Dei facta, sed etiam quælibet usurpatio ejus nominis.

Quæst. V. Quæ, & quanta est obligatio juramenti promissorii, & assertorii de futuro?

Resp. Est obligatio sub mortali præstandi rem licitam juramento promissam, vel assertam, saltem si res illa sit gravis. Ita omnes ex Matth. 5. & ex c. 10. de jurejur. Talis enim obligatio est obligatio virtutis religionis; & ex præcepto colendi Deum, tenditque ad firmanda pacta inter homines, controversiasque dirimendas: unde necesse est, ut ex tali juramento nascatur gravis obligatio servandi promissa.

Dissentiunt Theologi inter se, si res sit levis: communiter tamen, aut saltem communius docent, juramentum promissorium obligare tantum sub veniali in re levi, sive res levis sit tota materia promissionis, sive solum pars illius.

Nam

Nam rem futuram promittens juramento, Deum adducit in testem, se habere animum implendi promissum, & se obligare ex auctoritate Dei ad illud præstandum pro capacitate rei, scilicet materiæ seu rei promissæ. Unde si rem juramento promissam cum animo eam vere præstandi omittat, non mentitur, quia nihil dicit, aut facit contra mentem, sed solum eam mutat, proindeque non inducit Deum in mendaciis, sed infideliter agit, nolens nunc præstare rem sub auctoritate divina promissam. Quæ infidelitas est irreverentia in Deum, mortalis quidem in re gravi, sed venialis in re levi. Negant autem eum, qui aliquid juramento promittit, proprie assumere Deum in testem futuræ executionis juramenti, quemadmodum censent contrariæ sententiæ patroni, quorum hoc præcipuum est suæ assertionis fundamentum: sed adduci solum volunt in testem præsentis promissionis, & obligationis promissa perficiendi inde ortæ, & tanquam fidejussorem quoad executionem futuram: eo ferme pacto quo in humanis contractibus cum quis assumitur testis promissionis, non censetur inductus fuisse ad testificandum falsum, si postea non servetur promissum; sed solum ut attestetur de contractu præsenti, & obligatione inde orta: Fatentur tamen rem juramento promissam dari debere etiam ex reverentia debita auctoritati divinæ, quæ interposita fuit ad corroborandam promissionem. Quare si promissio non impleatur, peccatur contra reverentiam auctoritati divinæ debitam, sed aut graviter, aut leviter, sicuti supra dictum est. Unde peccatur non solum contra virtutem justitiæ, & fidelitatis, verum etiam contra religionem propter interpositionem auctoritatis Dei. Juramenti autem promissorii veritas consistit in conformitate ejus cum proposito se obligandi, vere promittendi, & promissa perficiendi.

Nota. Licet juramenti obligatio non transeat ad hæredes, cum sit personalis; tenentur tamen ex justitia implere juramenta realia defuncti, quæ non fuerunt per vim extorta: nam succedunt in onera realia defuncti, sicut in ejus jura. Defunctus autem per promissionem juramento confirmatam contrahit onus, & debitum reale, quod proinde transit ad hæredes. Debent etiam impleri erga hæredes, promissoria; quia actiones, & jura defuncti transeunt ad illos: item jurans obedientiam alteri ratione dignitatis, & officii v. g. Episcopo, tenetur vi juramenti obedire omnibus ejus successoribus in ea dignitate, vel officio, ex cap. 4. de jurejur.

Resp. 2. Juramentum promissorium habet easdem conditiones, limitationes, & extensiones expressas, ac taci-

tas, quas promissio, vel contractus, cui adjicitur, habet ex mente contrahentium, ex dispositione juris, vel recepta consuetudine, eodemque modo explicandum est, ex cap. 25. de jurejur. & l. ult. cod. *de non numer. pecun.* Nam talis est intentio jurantis, & juramentum addit solum obligationem religionis. Sic v. g. jurasti puellæ nuptias, scilicet nisi illa fornicetur &c. quia promissio ipsa sic intelligitur, nec aliter obligat. Hinc juramentum conditionatum non obligat ad rem promissam, donec impleatur conditio, ex capit. 3. de jurejur. Quia conditio suspendit pactum; & proinde juramenti obligationem. Obligat tamen ad expectandum eventum conditionis.

Resp. 3. Juramentum de futuro sine promissione obligat. Quia simplex assertio de futuro confirmata juramento obligat ex virtute religionis ad faciendam veram rem assertam de futuro: & ad id se obligat jurans se aliquid facturum, absque promissione. Porro de juramentis servandi statuta Communitatis, Collegii, Capituli &c. docet Sanchez si statutum sit tanti momenti, ut obliget sub mortali, obligabit juramentum sub mortali, si secus sit, sub veniali. Ratio est, quod hic non juret præcise servare rem illam in statuto contentam, sed statutum ipsum quale est. Ita Sanchez, qui inde infert virtute hujus juramenti non teneri jurantem ad observanda ea statuta, quæ recepta non sunt, aut in desuetudinem abiere; quia hoc juramentum est de solis statutis servandis, quatenus obligant. Unde eo etiam solo modo juramentum obligabit ad statuta servanda, quo recepta sunt. In generalibus vero juramentis obediendi Prælato, aut Rectori jurata obedientia non censetur exigi, inquit Reginaldus, nisi idipsum exprimatur præcipiendo in virtute præstiti juramenti, vel alia verborum forma æquivalenti.

Quæst. VI. Quibus casibus juramentum non obligat?

Resp. His. 1. Si sit de re illicita, etiam venialiter reg. jur. 38. in 6. nam juramentum non est vinculum iniquitatis, ex c. 18. *de jurejur.* immo qui rem illicitam faceret ob juramentum, bis peccaret, ut patet. Quare non obligat juramentum de re, quæ sit in damnum tertii, cap. 28. *de jurejur.* vel contra bonum publicum, aut legem divinam, vel Ecclesiasticam, vel etiam civilem, nisi hæc sit immediate in favorem privati, cui licite renuntiare possit, ex Concil. Lat. III. capit. 16. 2. Si sit de re, quæ neque ex se, neque ex fine, aut circumstantiis ad Dei obsequium, vel hominis utilitatem conducit. Immo tale juramentum est peccatum, cum sit abusus sancti, & terribilis nominis Dei. Aliud est, cum res de se indiffe-

indifferens ordinatur ad finem bonum, ad quem conducit, vel est utilis alteri, in cujus gratiam jurata est: ut si jurasti, te nullas merces nisi a Tito empturum, obligaris: nam juramentum de opere honesto obligat. 3. Si sit de re impeditiva majoris boni, & contraria consiliis Christi; ut si jures te non ingressurum Religionem: nam Deus non vult illud servari, cum majus Dei obsequium impediat. Obligat tamen, si res illa sit promissa homini, & ei utilis, quia habet jus ad illam, nisi vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum injustum ex cap. 25. *de jurejur.* 4. Si sit de re impossibili; nam ex Reg. jur. *impossibilium nulla est obligatio*. 5. Si fuerit error vel dolus circa rei promissæ substantiam: nam jurans non habet intentionem jurandi rem illam, circa quam errat, sed aliam, quam apprehendit: ut si jures te daturum vas aliquod, putans esse æneum, cum sit aureum. Idem dic, si error versetur circa causam finalem: ut si jures te daturum viginti Petro, eo quod falso asserat tibi favisse in aliquo negotio. 6. Si promissio jurata acceptata non fuerit ab homine, in cujus gratiam facta est. Quia juramentum, sicut ipsa promissio, includit hanc conditionem: si ab altero acceptetur. Secus si promissio facta sit in honorem Dei, ut si alteri juramento promittas te v. g. Sacramenta suscepturum. Tunc enim est votum juratum, quod statim a Deo acceptatur.

(*) Nota. Ex iis, quæ ab Auctore superioribus in quæstionibus sunt explicata, facile patet, jure meritoque ab Apostolica Sede vel ex ipso juramenti abusu damnatas, ac sub pœna etiam excommunicationis prohibitas esse societates, quæ vulgo dicuntur, *de' liberi Muratori*, seu *de* Franc Macons, scilicet a Clem. XII. Const. quæ incipit, *in eminenti*, & a Bened. XIV. Const. cujus initium est: *Providas Rom. Pontificum*. Ut autem sciant Sacræ Religionis Ministri, qua ratione cum hujusmodi hominum genere se gerere debeant, gravissimas præfatæ damnationis, & prohibitionis causas, quo in Benedictina Constit. recensentur ordine, referemus; ac pœnas recensebimus, in quas hujusmodi homines, eorumque fautores incurrunt.

Prima itaque est, „ quod in hujusmodi societatibus, „ & conventiculis cujuscumque religionis, ac sectæ ho- „ mines invicem consociantur; qua ex re satis patet, „ quam magna pernicies Catholicæ Religionis puritati „ inferri valeat: altera est arctum, ac impervium secreti „ fœdus, quo occultantur ea quæ in hujusmodi conven- „ ticulis fiunt . . . . Tertia est jusjurandum, quo se hu-

„ jusmodi secreto inviolabiliter servando adstringunt, „ quasi liceat alicui, cujuslibet promissionis, aut jura- „ menti obtentu se tueri, quominus a legitima potesta- „ te interrogatus, omnia fateri teneatur, quæcumque ex- „ quiruntur, ad dignoscendum, an aliquid in hujusmodi „ conventibus fiat, quod sit contra Religionis, aut Reip. „ statum, & leges. Quarta est, quod hujusmodi Socie- „ tates non minus civilibus, quam Canonicis sanctioni- „ bus adversari dignoscuntur; cum scilicet jure civili om- „ nia Collegia, & Sodalitia præter publicam auctorita- „ tem consociata prohibeantur, ut videre est in Pande- „ ctarum Lib. XLVII. Tit. 22. de Collegiis, & Corpo- „ ribus illicitis &c. Quinta est, quod jam in pluribus „ Regionibus memoratæ Societates, & Aggregationes Sæ- „ cularium Principum legibus proscriptæ, atque elimina- „ tæ fuerunt. Ultima demum, quod apud prudentes, „ & probos viros eædem Societates, & Aggregationes ma- „ le audierunt, eorumque judicio, quicunque eisdem no- „ men darent, pravitatis, & perversionis notam incurre- „ rent. “

Prohibetur autem in antea dictis Constitutionibus, „ ne quis sub quocumque prætextu, aut quæsito colore „ audeat, vel præsumat prædictas societates inire, vel „ propagare, confovere, ac in suis ædibus, seu domi- „ bus, vel alibi receptare, vel occultare, iis adscribi, „ aggregari, aut interesse, aut potestatem, vel commo- „ ditatem facere, ut alicubi convocentur, iisdem aliquid „ ministrare, sive consilium, auxilium, vel favorem pa- „ lam, aut in occulto, directe, vel indirecte, per se, „ vel per alios quoquomodo præstare, nec non alios hor- „ tari, inducere, provocare, aut suadere, ut hujusmodi „ societatibus adscribantur, annumerentur, seu intersint, „ vel ipsos quomodolibet juvent, ac foveant: sed omni- „ no ab iisdem societatibus, cœtibus, conventibus, col- „ lectionibus, Aggregationibus, seu Conventiculis pror- „ sus abstinere se debeant, sub pœna excommunicationis „ per omnes, ut supra, contrafacientes ipso facto absque „ ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per quem- „ quam, nisi per Nos, seu Rom. Pontificem pro tempo- „ re existentem, præterquam in articulo mortis con- „ stitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere. “

Quæst. VII. An juramentum injuste extortum obliget?

Resp. Affirm. nisi sit de re illicita. Nam est verum juramentum, ex cap. 6. & cap. 8. de jurejur. Nec Ecclesia tale juramentum irritat, sicut votum ex gravi metu injuste extortum. Hinc reus tenetur non fugere, etiam cum periculo mortis prævisō, si juravit non fugiturum: nam jura-

Juramentum de re licita præstitum in gratiam tertii obligat. Hinc etiam qui latroni ex metu mortis juravit se daturum pecuniam, & insuper eum non denuntiaturum; non tenetur quidem ad non denuntiandum, quia hæc pars juramenti est illicita, utpote contra bonum publicum: sed tenetur pecuniam promissam tradere, non quidem ex vi promissionis injuste extortæ, cum actio injuriosa non possit dare jus injurianti in injuriatum invitum: sed ex religione erga Deum, cui soli acquiritur obligatio: ideoque fur semper tenetur accepta restituere ob injuriam illatam. Potest tamen jurans juramenti relaxationem petere, vel solutam pecuniam repetere. Ita S. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 3.

Quæst. VIII. Quid dicendum de juramento ficto, & doloso?

Resp. 1. Juramentum exterius factum sine animo jurandi est semper intrinsece malum. Nam est intrinsece malum avertere finem principalem juramenti, qui est firmare veritatem, & sinceritatem, & pacta. At, qui ficte & dolose jurat, avertit finem principalem juramenti. Hinc Innocent. XI. damnavit hanc propositionem. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis. 2. Hinc juramentum sine animo jurandi factum etiam de veritate, in contractibus, in judiciis, in re quavis gravi semper est mortale contra Religionem. Ita docet communis sententia, quoties juramentum legitime petitur, vel sponte fit. Sed idem dicendum videtur, etiamsi minus legitime exigatur. A fortiori semper est mortale sic ficte jurare falsum, cum hoc sit semper gravis irreverentia in Deum.

Resp. 2. Etsi juramentum factum sine animo jurandi, sit solum fictio juramenti; tamen est obligatio faciendi, quod juratur, ratione injustitiæ, vel damni inde orti, vel orituri, vel scandali, si non præstetur. Immo juramentum dolosum, saltem si non injuste exigatur, impleri debet ex virtute Religionis, quia præceptum naturale religionis obligat ad tuendum honorem divinum, etiam efficiendo id, quod rationabiliter potest credi fuisse divino testimonio confirmatum; alioquin minueretur per se loquendo honor divinus.

Resp. 3. Qui jurat cum restrictione mentali, aut æquivocatione 1. Peccat mortaliter contra religionem; est perjurus, ex S. August. epist. 224. Nam restrictio mentalis, & æquivocatio proprie, ac simpliciter dicta, sunt mendacium, cum neque ex se, neque ex circumstantiis habeant vim significandi totam propositionem internam, sed solum significent id, quod verba in sensu obvio præseferunt

runt in talibus circumstantiis, quod quidem est contra mentem. Hinc Innocent. XI. damnavit hanc propositionem. „ Qui mediante commendatione, vel munere ad „ magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare Juramentum, „ quod de mandato regio a similibus exigi solet non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum. " 2. Talis peccat etiam contra justitiam, quando juramentum juste exigitur, vel sponte fit, ut in judiciis, contractibus &c. Nam violat jus, quod alter habet, ne decipiatur, & ut clare, sincere & secundum ejus intentionem juretur, Ita S. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 4.

Resp. 4. Juramentum factum cum animo jurandi, sed sine animo se obligandi, vel implendi, 1. Est obligatorium: nam est verum juramentum. Obligatio autem ista ex natura rei est inseparabilis a juramento, supposita materia licita. 2. Ex communi sententia semper est mortale, tum propter irreverentiam in Deum; tum quia est perjurium, cum sit mendacium juramento confirmatum. Hinc Clerus Gallic. ann. 1700. has propositiones, ut perniciosas, & bonæ fidei contrarias damnavit. „ Qui intentionem jurandi non habet, licet falso juret, non „ pejerat, etsi alio crimine tenetur, puta mendacii alicujus. Qui jurat cum intentione se non obligandi, „ non obligatur ex vi juramenti. "

Quæst. IX. Quot modis tollitur obligatio juramenti promissorii?

Resp. Ex communi sententia his. 1. Materiæ mutatione, videlicet si res jurata fiat postea impossibilis, vel illicita ob superioris prohibitionem, vel prorsus inutilis ad intentum finem, vel noxia ei, cui promissa est, S. Thom. q. 98. art. 2. ad 3. Item ex communi sententia, si fiat aliqua mutatio ita notabilis, ut res jurata videatur in alio statu constituta, & diversa notabiliter ab ea, quæ promissa est, ex c. 17. & 25. *de jurejur.* Nam talis mutatio quasi aliud objectum facit, ad quod jurantis intentio non extenditur, ut si jurasti te jejunaturum certo die, & eodem die in morbum incidas. Hinc parentes, qui jurant se punituros liberos, vel heri famulos, non tenentur eos puniri, si pœna jurata digni non sint; vel licet pœna digni sint, si punitio videatur plus obfutura, quam profutura; vel si filius corrigi paratus veniam petat nam notabiliter mutatus est status rei; & juramentum comminatorium habet hanc conditionem subintellectam: *Nisi sit melius non servare*, *Nisi punitio utilis sit*. Idem dic si id accidat, quod si fuisset juramenti tempore, jurans temerarius,

rarius, ac insipiens haberetur: nam tunc ad id nullatenus se extendit jurantis intentio.

2. Condonatione, seu remissione facta ab eo, in cujus solius favorem juratum est, ob subtractionem materiæ; nisi res promissa fuerit principaliter in honorem Dei. 3. Commutatione facta a Superiore justa de causa, si promissio facta sit Deo. Si vero facta sit in utilitatem hominis, & ab eo acceptata res promissa potest commutari cum ejus consensu. 4. Irritatione facta ab eo, cui persona, seu voluntas jurantis, vel materia juramenti subjecta est, sicut dixi de voto. Recole, quæ superius dicta sunt cap. 3. Quæst. VIII. 5. Si alter non servet promissa, cap. 3. *de jurejur.* Ratio horum generalis est, quia in juramento promissorio, sicut in voto, & promissione hæ conditiones generales secundum canones, & communem usum includuntur; *Si potero*, *Si res non mutetur notabiliter*, *Si acceptes*, *Nisi remittas &c.* Unde non impleta conditione cessat obligatio. 6. Demum dispensatione, quæ fieri potest ob justam causam a Superiore habente ordinariam potestatem dispensandi in votis, ut sunt Episcopi, non tamen ii, qui solum habent potestatem delegatam dispensandi in votis; nam juxta stylum Curiæ Romanæ una potestas ab altera distinguitur. Juramentum tamen promissorium, sicut votum factum in commodum tertii, & ab eo acceptatum non potest sine ejus consensu relaxari, nec commutari etiam in melius a Superiore, cum alter per acceptationem jus ad rem illam acquisierit, nisi in tribus casibus 1. Ob bonum commune quod privato præferri debet. 2. In pœnam alicujus criminis in materia, quæ superioris jurisdictioni subjacet. 3. Ratione injuriæ illatæ, ut cum juramentum fuit metu, vel fraude extortum &c.

Quæst. X. An licet exigere juramentum ab eo, qui prævidetur pejeraturus?

Resp. Non licet personæ privatæ etiam in judicio. Ita S. Thom. q. 98, art, 4. Quia nullus habet jus exigendi juramentum, nisi quatenus ad debitam conducit recuperationem, ad quam non conducit, cum alter prævidetur pejeraturus. Legatur Aug. sermon. 28. de verbis Apost. Hoc procedit etiamsi alter sponte se offerat, ob allatam rationem, aliasque ei similes. Id tamen licet judici ad instantiam partis: Quia id exigit juris ordo, & officium judicis, qui debet procedere secundum publicam scientiam, ad quam hoc juramentum inservit. Quo casu non judex, sed is, cui dicere debet, censetur juramentum exigere. Ita S. Thomas supra.

Sed quid si dubites, an alter sit pejeraturus?

 Resp.

Resp. Tunc potes exigere juramentum in re gravi. Quia in dubio nemo præsumitur malus, aut peccaturus; & hoc potest esse utile ad recuperandum id, quod tibi debetur, nec aliter potes illud recuperare.

Quæst. XI. Quid dicendum de consuetudine jurandi?

Resp. Quisque tenetur sub mortali consuetudinem jurandi sine necessitate vitare, & contractum evellere. Quia hæc affert periculum pejerandi; ut constat experientia, & ex c. *26. de jurejur.* Ex S. August. S. Chrysost. hom. 14. ad popul. Isidoro &c. Unde talis consuetudo prohibetur Eccli. 23. Quod verum est etiam de consuetudine jurandi absque advertentia, an juretur, nec ne: Patet ex resp. ad q. præced. & sane, quamvis juramenta inadvertenter, & sine animo jurandi prolata sunt, habent tamen turpitudinem, & deformitatem objectivam, ob quam graviter disconveniunt naturæ rationali, unde homo tenetur ea non velle neque in se neque in causa: quippe quæ exterius sonant perjurium, & eum sensum ingerunt auditoribus. Hæc autem juramenta indeliberata sunt sufficienter voluntaria, ac libera in causa, nempe in consuetudine, & negligentia extirpandi eam. A fortiori id verum est de consuetudine jurandi advertenter, & indiscriminatim, sive verum, sive falsum, vel jurandi advertenter circa rei juratæ veritatem.

CAPUT QUINTUM.

De Vitiis, & Peccatis Religioni oppositis.

PEccata Religioni opposita sunt ex genere suo mortalia, & cæteris paribus graviora iis, quæ sunt contra alias virtutes morales: nam opponuntur virtuti inter Morales præstantissimæ. Hæc duplicis generis sunt: alia opponuntur per excessum, & nomine superstitionis comprehenduntur. Alia per defectum, quæ irreligiositatis nomine exprimuntur.

ARTICULUS I.

De Superstitione, & ejus speciebus.

Quæst. I. QUid est superstitio?

Resp. Est cultus inordinatus, ac vitiosus veri, vel falsis numinis. Unde duplex est generatim; una ex parte rei cultæ, & est cultus falsi numinis; & alia ex parte modi colendi, qua verus

Deus, ſed modo inordinato, colitur; & dicitur vitioſus cultus veri Dei.

Quæſt. II. Quotuplex eſt ſpecies ſuperſtitionis?

Reſp. Duplex eſt ex parte modi colendi verum Deum, ſcilicet cultus falſus, & ſuperfluus. Cultus falſus eſt, cum falſa miracula prædicantur, vel ſcriptis mandantur; vel cum falſæ Reliquiæ obtruduntur; vel cum auctoritate propria proponitur aliquid, tanquam inſtitutum a Deo, vel ab Eccleſia, quod reipſa non eſt; vel adhibentur cæremoniæ veteris Legis, quæ ſunt a Deo repudiatæ: vel cum laicus Deum colit tanquam publicus Eccleſiæ miniſter. Hæc ſuperſtitionis ſpecies eſt ſemper ex ſe mortalis: quia gravem irreverentiam Deo infert. Cultus ſuperfluus eſt modus veri Dei colendi præter Dei, & Eccleſiæ inſtitutionem, aut communem fidelium uſum, & inutilis ad honorem Dei, ad excitandam ſpiritus devotionem, vel domandam concupiſcentiam: ut orare adhibito certo numero, ſitu, colore cereorum: nam cum exterior Dei cultus ad interiorem ordinetur, omnis ille qui ad interiorem non conducit ſuperfluus eſt; qualiſcunque illum adhibentis ſit intentio. Hæc ſuperſtitio juxta communem ſententiam eſt ſolum venialis, modo actio aliunde nulla lege ſit prohibita, & abſit ſcandalum, & contemptus cæremoniarum Eccleſiæ, ac communis fidelium uſus; quia & materia levis, & irreverentia non cenſetur gravis ob ſimplicitatem: ſecus, ſi fiat poſt prohibitionem Superioris. Si tamen in Miſſa, vel in adminiſtratione Sacramentorum, relictis Rubricis, aliæ cæremoniæ etiam pro ſua devotione, & ſecluſo contemptu adhiberentur, videtur non poſſe excuſari a mortali ob materiæ gravitatem, & periculum grave, & gravem præſumptionem. Cultus dicitur etiam ſuperfluus ratione certitudinis non nixæ promiſſioni divinæ.

Reſp. 2. Quinque ſunt ſpecies ſuperſtitionis ex parte objecti, quod colitur, nimirum idololatria, divinatio, vana Obſervantia, ad quam revocantur maleficium, & Magia.

Quæſt. III. Quid, & quotuplex eſt Idololatria?

Reſp. Idololatria eſt actus, quo cultus ſupremus, & ſoli Deo debitus tribuitur creaturæ, ut oblatio ſacrificii facta idolo, genuflexio, ſuffitus &c. Hinc patet eſſe ſcelus maximum, cum per ipſam graviſſima injuria Deo inferatur, ex S. Greg. Nazianz. orat. 38. & Tertull. lib. de Idolol. cap. 1. Sunt autem per ſe tria ſigna externa propria Idololatriæ nempe Sacrificium, Templum, & Altare, quæ proinde ſine gravi crimine nulli creaturæ offerri poſſunt. Alia vero ſigna; quibus Deus colitur, ut genuflexio, incli-

inclinatio capitis, latriæ, vel inferiori cultui convenire possunt, & ab intentione, vel a circumstantiis determinantur.

Resp. 2. Triplex est Idololatria; alia perfecta, qua quis divinum honorem Idolo defert, quia falso putat esse Deum. Alia minus perfecta, cum quis creaturæ cultum externum soli Deo debitum defert, non credens eam habere Divinitatem, sed ex pravo affectu v. g. ex odio veri Dei; hæc ob malitiam voluntatis est crimen gravius, quam perfecta. Et alia simulata, cum quis sine existimatione Divinitatis, & interno affectu colendi, sed ex solo metu mortis supremum cultum creaturæ exterius solum exhibet. Hæc est etiam semper peccatum mortale propter gravem injuriam in Deum; estque crimen læsæ majestatis Divinæ. Est etiam mendacium perniciosum contra religionem, & confessionem fidei, cum cultus exterior sit signum interioris.

Quæst. IV. Quid, & quotuplex est Divinatio?

Resp. 1. Divinatio est significatio, vel inquisitio occultorum ope dæmonis expresse, vel tacite invocati. Dico, *occultorum*, idest, quæ ab homine propria industria cognosci nequeunt. Quod si res illæ a solo Deo cognosci possunt, ut sunt secreta cordis, & futura libera, involvitur tacita Idololatria, ut patet. Si vero sint tales, quas dæmon naturaliter scire potest, ut sunt actus externi hominum præsentes, vel præteriti; est nihilominus mortalis culpa: quia continet invocationem, & societatem saltem implicitam cum dæmone jurato Dei hoste, quod quamdam defectionem a Deo, & gravem in eum irreverentiam continet.

Resp. 2. Divinatio ex parte objecti duplex est: nam alia fit cum expressa dæmonis invocatione, vel alicujus usurpatione, per quod putatur dæmon cooperari. Alia est, cum ad occultorum notitiam obtinendam adhibentur media vana, & improportionata, quæ nec a Deo instituta sunt, nec a bonis Angelis exhibentur, nec habent connexionem naturalem cum illa; ut dum quis cupit furem cognoscere invertendo cribrum, aut proferendo certa verba.

Resp. 3. Divinatio ex parte medii multiplex est; scilicet præstigium, cum dæmon variis apparitionibus oculos perstringit; necromantia, quæ fit per mortuos in speciem suscitatos; chyromantia, quæ per lineas manus; aruspicium, quod per viscera animalium; auspicium, quod per motum, situm, aut numerum avium; augurium, quod per garritum avium, astrologia judiciaria, quæ per situm, & concursum syderum; sors divinatoria; item divinatio,

natio, quæ fit per somnia, vel signa in aere, aqua, igne, corporibus terrestribus apparentia &c. Sed ex communi sententia hæc omnia inter se non differunt specie morali, quia non habent malitiam notabiliter inter se diversam.

Nota 1. Aliquos effectus naturales v. g. serenitatem pluviam conjicere licet ex avium, & animalium motu, garritu, volatu; nam hæc sunt proportionata cognitioni saltem probabili. 2. Duplex est astrologia; alia naturalis, & licita, qua ex syderum concursu prænuntiantur eclypses, venti, pluviæ, frigus, æstus, & similes effectus, qui cum illis connexionem naturalem habent. Alia judiciaria, qua ex syderum concursu futura libera prædicuntur. Hæc a Scriptura, Patribus, & multis Conciliis, & utroque Jure, & a Sixto V. Const. 17, graviter damnatur, ac prohibetur; cum actus liberi non possint per astra cognosci. Sicque astrologia illa continet superstitionem, sicut aliæ divinationes, cum fundetur in astris, tanquam in signis. Quod si fundetur in astris, tanquam in causis, erit etiam hæresis; nam tollitur libertas humana. 3. Triplicis generis sunt sortes, nempe divisoriæ, quibus decernitur, cui aliquid tribuendum sit. Licite adhibentur sive ad hæreditatis divisionem, sive ad litis compositionem, quando jus utriusque partis apparet æquale, & utraque pars in sortitionem consentit. Item cum non apparet ratio, cur alter alteri in aliquo commodo, vel incommodo debeat præferri, ex Prov. 18, Sortes tamen omnes vetitæ sunt in electionibus Ecclesiasticis, cap. 3. *de sortib.* Nec licet etiam officia sæcularia sorte distribuere ob periculum eligendi indignum, aut minus dignum. 2. Consultatoriæ, quibus inquiritur, quid in aliqua re obscura sit agendum, suntque illicitæ, nisi ex inspiratione Divina fiant; quia continent saltem tentationem Dei, & periculum deceptionis diabolicæ. Immo sunt superstitiosæ, si a dæmone cognitio expectetur. Quare sub anathemate prohibentur, cap. *Sortes* 26. quæst. 5. 3. Divinatoriæ, quibus inquiritur res occulta, vel futura: sunt vera superstitio propter tacitam in illis invocationem dæmonis; & graviter prohibentur multis canonib. *cons.* 26. quæst. 5. 4. Licet aliqua somnia possint a Deo immitti; qui tamen facile, & temere somniis credit, non excusatur a culpa gravi, etsi dicat se credere illa esse a Deo. Quia morali periculo demoniacæ deceptionis se exponit. Eccli. 34. Quando autem somnium ad peccatum, vel ad aliquid imprudens, aut vanum impellit, aut post somnium homo remanet animo turbato, & minus prompto, ac propenso ad opera virtutum, certum est illud non esse

a Deo.

a Deo. Itaque divinatio per somnia est mortale peccatum superstitionis; nam in illis tacita cum dæmone initur societas. Hinc graviter prohibetur a Deo. Lev. 19. & Deut. 18.

Quæst. V. Quid, & quotuplex est observatio vana?

Resp. 1. Observantia vana est superstitio, qua quis ex observatione eventus fortuiti actiones suas vane dirigit. Non differt a divinatione, nisi quod hæc ad cognitionem occultorum ordinetur, illa vero ad effectum externum, vel opus observantis. Quare quæ dicta sunt de divinatione, debent cum proportione accommodari vanæ observantiæ.

Resp. 2. Dividitur 1. In expressam, & tacitam, ac implicitam, sicut de divinatione dictum est q. 4. resp. 2. 2. In tres species. Prima est ars notoria, qua ad scientiam aliquam repente, & sine studio acquirendam usurpantur media vana, & improportionata, ut verba ignota, certæ preces, aliqua potio &c. & tunc tribuitur dæmoni, quod soli Deo convenit, scilicet infundere scientiam. Secunda est observantia sanitatum, qua ad sanandos morbos hominum, vel animalium, aut vitam, ac valetudinem conservandam adhibentur media vana, & per se inania, ut certa signa, nomina ignota, certæ figuræ, numeri, characteres ignoti &c. aut etiam remedia naturalia, sed quibus aliqua frivola, seu vana adjunguntur, tanquam necessaria, ut herbæ collectæ in vigilia S. Joannis Bapt. aut etiam adhibentur preces, verba Scripturæ, gestatio reliquiarum &c. cum vana circumstantia, ut si inserantur aliqua falsa, apocrypha, incerta, aut verba ignota, ineptaque, aut aliud hujusmodi observetur. Tertia est observantia eventuum, qua quis ex eventu fortuito conjicit aliquid prosperi, vel adversi, & inde actiones suas moderatur: ut si quis mane domo egrediens pedem offendat, & ideo domum revertatur timens aliquid infausti: Quod prohibetur cap. *Quis* 26. q. 7. cognoscitur autem, & fit vana observantia 1. Si ad effectum aliquem obtinendum adhibeatur aliquid, quod nullam habet proportionem naturalem, nec a Deo per se, vel per Ecclesiam institutum est ad talem effectum, aut communi usu fidelium approbatum, ut si quis gestet amuleta, ligaturas, involucra falsis characteribus consignata contra vulnera, vel subitam mortem &c. 2. Si medio naturali, vel supernaturali adjungatur aliqua res, vel circumstantia falsa, aut vana tanquam necessaria, & efficax. 3. Cum preces, aut verba sacra, aut Reliquiæ usurpantur cum certa persuasione obtinendi infallibiliter effectum; ut si recitentur preces promittentes recitantibus mortis subitæ,

vel

vel certi periculi vitationem: nullæ enim preces talem vim absolutam, & infallibilem habent. 4. Cum ex rebus, aut verbis sacris effectus vanus expectatur, ut si proferantur verba sacra, ut anulus moveatur; nam in omnibus prædictis non potest effectus expectari, nisi a dæmone, cum Deus se rebus vanis non immisceat: ideoque tunc est saltem tacita dæmonis invocatio, & cum eo pactio.

Quæst. VI. Quid est Magia?

Resp. Magia generatim est ratio efficiendi mira, hoc est, quæ habent causam occultam, sed creatam; in quo mira differunt a miraculis, quæ superant omnes vires naturales, & a solo Deo fieri possunt. Duplex est Magia, naturalis & est ratio efficiendi mira industria humana absque dæmonis opera, unde est licita: & superstitiosa & est ars efficiendi mira ope dæmonis, estque species vanæ observantiæ. Hæc duplex est ratione finis, seu effectus: nam vel exercetur ad ostentationem, aut commodum proprium, vel alienum, & vocatur simpliciter magia; vel fit ad nocendum aliis, & tunc dicitur maleficium.

Quæst. VII. Quale peccatum est divinatio, & quævis vana observantia, ac Magia?

Resp. Est semper mortale de se, a quo sola ignorantia invincibilis excusat, qualis est non in rudibus, qui moniti se ab iis non abstinent, vel qui in dubio ea exercent. Nec potest esse veniale ratione materiæ. Est communis sententia; ex Deuter. 18. ex Patribus, & multis Conciliis, ex cap. 3. *de sortileg.* Porro hæc veritas probata manet ex illorum definitionibus, ac divisionibus superius traditis. Nec obstat, quod aliquis testificetur se renuntiare omni pacto; quia reipsa facit contra suam pactionem, hoc ipso quod medium vanum usurpat; nam facto ipso opem dæmonis implorat, & vult tacitum pactum. Gravius tamen crimen est, si invocatio, & pactio sit explicita, cum sit expressa voluntas dæmonem verbo, aut facto invocandi, ideoque in Confessione explicari debet. Legatur S. August. l. 2. de Doctr. Christ. c. 33.

Quæst. VIII. Quid est maleficium?

Resp. Est ratio nocendi aliis ope dæmonis; unde continet triplicem malitiam moralem, scilicet contra religionem, charitatem, & justitiam. Duplex est: aliud dicitur veneficium, quo alicui in propria persona, vel animabus damnum infertur, morbis, doloribus, morte &c. fitque multis modis, utendo vel causis naturalibus cognitis ope dæmonis, aut signis, ut cum imagines pinguntur in aliqua parte, & tunc alii læduntur in simili parte corporis; vel signa quædam aliorum corporibus, aut vestibus applicando, quibus durantibus male afficiuntur. Aliud est

ama-

amatorium, seu philtrum, quod adhibetur ad carnalem amorem vel odium excitandum dæmone humores, & phantasiam commovente; unde oritur gravis tentatio, quæ tamen libertatem non adimit: quare qui philtro infecti in rem veneream consentiunt, vere peccant mortaliter. Porro maleficium tolli potest. 1. Exorcismis, oratione, pœnitentia, jejunio, & aliis pietatis operibus. 2. Remediis ex medicina petitis 3. Destructione, seu combustione signorum, quibus annexum est pactum, præcise, ut operum diaboli, ex Rituali Roman. *de Exorcismis*. At non licet (21) illud tollere per aliud maleficium, vel superstitionem, ut patet. Divinatores, Magi, & Malefici non sunt absolvendi, nisi omne pactum cum dæmone, & commercium abjurent, ac dissolvant, & omnia signa, artis magicæ instrumenta, libros, schedas, ligaturas comburant, & damna illata resarciant. Quod si chyrographum dæmoni dederint, non necesse est illud ab eo extorqueri; nam ad ejus destructionem sufficit pœnitentia.

ARTI-

(21) Licitum est petere a malefico, ut tollat maleficium modo licito; quia per se licitum est ab eo petere, ut injuste nocere desinat, cum ad id teneatur. Quod si maleficus licitum maleficii destruendi modum non cognosceret, nihil ab eo petendum esset; quia tunc non posset licite maleficium destruere. Cum vero dubium est, an meleficus licito vel illicito modo usurus sit, tria respondet Suarez. 1. Hortandus est, immo & minis cogendus ad utendum modo licito, si qua sit spes eum usurum. 2. Si probabilius sit, eum usurum medio licito, poterit ab eo peti, ut maleficium solvat; & hoc aliqui extendunt, quamvis etiam a dæmone modum illum licitum accepisset, cum non videatur illicitum uti scientia a dæmone accepta, quæ in se nihil mali habet, modo sine relatione ad dæmonem exerceri possit. 3. Demum si petens timeat, ne maleficus illicito modo maleficium destruat, immo si probabiliter credat, aut etiam moraliter certus sit maleficium a mago illicito potius quam licito modo destructum iri, adhuc ejus destructio, juxta eumdem Suarez, & alios quos citat, necnon juxta Salmanticenses quibus consentire videtur Petrus Collet, peti potest: quia tunc peto rem quam habeo jus petendi, & quæ ab alio licite præstari potest, & sine qua grave damnum imminet meæ saluti. Contrarium censent Cajetanus, Delrio lib. 6. disqu. magich. & quidam alii; sed eorum rationes infirmæ reputantur a prælaudato Petro Collet.

ARTICULUS II.

De Irreligiositate.

IRreligiositas est peccatum, quo Deus in se, vel in rebus, aut personis sacris inhonoratur. Quintuplex est species, scilicet blasphemia, tentatio Dei, sacrilegium, simonia, & perjurium, de quo jam egi.

Quæst. I. Quid est blasphemia, & quotuplex?

Resp. Blasphemia est locutio contumeliosa in Deum. Triplex est specie diversa, nempe hæreticalis, imprecativa, & mere dehonestativa. Hæreticalis est ea, quæ hæresim continet, & sic duplicem habet malitiam moralem, nempe contra fidem, & religionem. Fit autem vel attribuendo Deo id, quod ei non convenit: ut si dicatur tyrannus, crudelis, injustus &c. vel de eo negando, quod ei convenit, ut si dicatur non esse omnipotens. Vel tribuendo creaturæ, quod Dei proprium est, ut si dicatur dæmon aliquid creasse.

Imprecativa ea est, qua quis Deo malum imprecatur; ut si dicas; Utinam Deus non esset! Hæc odium Dei continet. Mere dehonestativa est ea, qua per modum contumeliæ & contemptus enunciatur aliquid Deo conveniens, ut illud Juliani, *Vicisti Galilæe*: aut indignanter, & irreverenter, irrisorie, exprobrative, contumeliose nominatur Christi mors, caput, vel sacramenta, mysteria: quapropter hæc graviter prohibentur cap. *Si quis* 22. quæst. 1.

Revocantur autem ad blasphemiam alia signa contra Deum, licet verba non adsint, ut in cælum spuere, infrendere dentibus &c. Item blasphemiæ sunt vituperia, & verba contumeliosa tum contra res sacras, cum ad Deum eorum auctorem redundent: tum contra Sanctos, quia redundant in Deum, qui in iis specialiter elucet ob eximiam sanctitatem, quæ est excellentissima divinæ naturæ participatio, & ad hoc sufficit virtualis habitudo, S. Thom. quæst. 13. art. 1. Quare capit. 2. *de maledict.* graviter punitur proferens aliquam hujusmodi blasphemiam. Immo blasphemia est maledicere creaturis irrationabilibus, quatenus sunt creaturæ Dei, vel ejus instrumenta, ut tempestati: nam iis maledicere sub ea ratione est maledicere creatori. S. Thom. quæst. 76. art. 2. Blasphemia tamen immediate in Deum prolata gravior est, quam in Sanctos, & in Sanctos gravior est, quam in alias creaturas, ut per se patet. Rursus blasphemia alia est cordis, seu mere interna; alia oris, seu externa,

na, quæ verbis, aut aliis signis exprimitur. S. Thom. quæst. 14. art. 1.

Quæst. II, Quale peccatum est blasphemia?

Resp. Omnis blasphemia est per se peccatum mortale, nec admittit parvitatem materiæ. Ex Psalm. 36. & Lev. 24. & ex S. Hieron. l. 7. in Is. cap. 18. Nam quælibet Dei contumelia, vel maledictio est gravis injuria, & contemptus Dei.

Nota 1. Ad mortalem blasphemiam non requiritur intentio externa, & formalis Deum inhonorandi; sed virtualis, & interpretativa sufficit, nempe cum quis libere profert ea, quæ ex propria significatione, vel communi apprehensione, & ex modo proferendi, aliisve circumstantiis Dei inhonorationem continent, quamvis id fiat sine ullo pravo in Deum affectu, sed ex joco, vel ad iram, aut indignationem exprimendam. Quia hæc per se tendit in gravem Dei inhonorationem. Gravior tamen injuria esset, si hoc fieret ex directa intentione Deum inhonorandi, vel ex animo in Deum irato; & tunc sæpe conjungitur cum odio saltem abominationis in Deum.

Nota 2. Blasphemia hæreticalis, & imprecativa debet declarari, ut plura peccata specie diversa. Nam prior præter irreligiositatem, seu contumeliam Dei continet malitiam hæresis, si adsit assensus internus; vel si desit, negationis externæ fidei contra præceptum confitendi fidem; posterior vero malitiam odii Dei contra Dei charitatem. Item blasphemiæ contra Sanctos differunt specie ab iis, quæ proferuntur contra solum Deum. Nam irreverentia, quæ fit contra aliquem Sanctum habet malitiam contra duliam, quæ inclinat ad colendum Sanctos propter eorum excellentiam supernaturalem creatam, & contra virtutem religionis, quæ præcipit cultum Dei propter excellentiam increatam Dei. Immo blasphemiæ contra B. Virginem specie ab iis, quæ proferuntur contra alios Sanctos, differunt; cum hyperdulia specie differat a dulia propter diversitatem maximam excellentiæ in qua fundatur cultus Deiparæ. Secus de blasphemiis in alios Sanctos prolatis.

Nota 3. Qui habet consuetudinem blasphemias proferendi, vel sibi, aut aliis dæmonem, aut grave malum imprecandi tenetur sub mortali efficaciter proponere, & serio conari eam evellere: alioquin toties peccat, quoties ad eam advertens id omittit: quia vult saltem interpretative permanere in morali periculo peccandi. Et quamdiu eam consuetudinem non retractat, nec curat emendare, imputantur ei ad culpam mortalem blasphemiæ omnes, quæ ex ira aliqua, aut alio passionis motu, etsi

sine

ſine advertentia ad verborum ſenſum, profert. Ita Toletus, Delugo, & alii multi. Quia ſunt ſufficienter liberæ in cauſa non retractata, quam emendare non curat. Quod ſi quis contritione elicita labitur ex inadvertentia, & non ex negligentia, excuſatur a culpa: quia blaſphemiæ illæ impetu naturali effuſæ non ſunt voluntariæ nec in ſe, nec in ſua cauſa. *Quicunque* (22) *vero blaſphemiam audierint, eum verbis acriter objurgare teneantur, ſi citra periculum ſuum id fieri poſſe contingat, eumdemque deferre, vel notificare apud judicem Eccleſiaſticum, ſeu Sæcularem intra triduum debeant*, ait Leo X. in Concil. Later. V. ſeſſ. 9.

Nota 4. Appellatio nominis Dei, vel Jeſus, vel Sanctorum per modum loquendi, non tamen contumeliæ, ut, *O Jeſu bone! &c.* licet non ſit blaſphemia, eſt tamen vana uſurpatio nominis Dei, & culpa venialis contra Religionem. Unde prohibetur Eccli. 23.

Nota 5. Aſſidua nominatio dæmonis licet ſine imprecatione, ſed per modum loquendi, cum chriſtianum non deceat, omnino vitanda eſt, & ratione ſcandali poteſt eſſe grave peccatum, ut notat Layman.

Quæſt. III. Quid eſt tentatio Dei, & quale peccatum?

Reſp. Tentatio Dei eſt dictum, vel factum, vel omiſſio ad capiendum experimentum divinæ alicujus perfectionis,

---

(22) Multæ pœnæ ac pœnitentiæ decretæ identidem fuerunt a Summis Pontificibus, præſertim vero a Leone X. in Concilio Later. V. ſeſſ. 9. a S. Pio V. in Conſtitutione quæ incipit, *cum primum* a Gregorio IX. cap. *Statuimus*, de Maledicis, & a quampluriinis Provincialibus Conciliis contra blaſphemos. Gregorius IX. in prælaud. cap. „ blaſphemum ſeptem diebus dominicis præ foribus templi ſtare decernit, dum Miſſarum ſolemnia celebrantur. Ultimo dierum illorum abſque pallio & calceamentis, ligatum corrigia circa collum exomologeſim facere; ſeptem præcedentibus feriis ſextis in pane & aqua jejunare, tres aut duos pauperes, aut unum ſaltem reficere, ab Eccleſiæ aditu illis diebus abſtinere. Quam pœnitentiam ſubire ſi renuat, Eccleſiæ interdicatur ingreſſu, & in obitu eccleſiaſtica careat ſepultura". Pius vero can. *Si quis* 22. q. 1. ſtatuit, blaſphemum, ſi eſt eccleſiaſticus eſſe deponendum, ſi laicus, eſſe excommunicandum. Denique in veteri Pœnitentiali Romano, ille qui *ſemel inconſiderate* blaſphemaverit ex præcipiti linguæ motu, ſeptem dies in pane & aqua; ſi ſecundo, vel tertio „ increpatus id fecerit, dies quindecim in pane & aqua pœnitere jubetur". Item audientibus blaſphemias injungitur blaſphemos corrigere, ſi ſine periculo id fieri poſſit, eoſque denuntiare; ut etiam Auctor dicit.

(23) Ad

nis, ut potentiæ, bonitatis &c. vel voluntatis, per effectum extraordinarium a Deo temere expectatum: Deus autem tentatur dupliciter. 1. Expresse, cum ex directa intentione experimenti sumendi de aliqua perfectione Dei aliquid fit, vel omittitur: ut si petatur miraculum, ut innotescat Dei potentia aliis mediis omissis. 2. Implicite, & interpretative, quando fit, vel omittitur id, quod ad nihil aliud videtur ordinabile, nisi ad explorandam aliquam Dei perfectionem, aut voluntatem, ut si quis non uteretur remediis ab obtinendam salutem, sperans, quod sine illis eam a Deo percepturus sit. Huc etiam pertinent eæ probationes justitiæ, vel innocentiæ, quæ fiunt per ferrum candens, vel per aquam, aut per duellum, aut aliter &c. damnatæ cap. Mennam 2. q. 5. & cap. ult. *de purg. vulg.* Si tamen ista ex intentione experiendi, an Deus innocentiam hoc etiam modo tueatur, esset tentatio Dei expressa.

Resp. 2. Omnis tentatio Dei prohibetur Deut. 3. & Matth. 4. Estque per se peccatum mortale, sive fiat expresse, ac directe: sive fiat indirecte, & tacite; nam semper est gravis in Deum irreverentia. Item mortale est ex sola curiositate petere miraculum, ut patet. Tentatio Dei quandoque adjunctam habet infidelitatem: ut si quis dubitans de Dei perfectione, vel providentia eam miraculo experiri cupiat. Quandoque est etiam contra charitatem propriam, ut si conjuncta sit cum periculo vitæ, aut gravis læsionis. Licet tamen petere a Deo miraculum ad bonum finem, vel ex speciali ejus inspiratione, vel si necessitas justa, aut pia utilitas adsit, quando omnia media naturalia non sufficiunt, modo id petatur cum humilitate, & res tota divinæ voluntati committatur.

Quæst. IV. Quid est sacrilegium, & quotuplex?

Resp. 1. Sacrilegium est violatio, seu indigna tractatio rei sacræ, hoc est rei Deo dicatæ, sive ad Dei cultum specialiter destinatæ. Violatur autem res sacra, cum aliquid fit, quod peculiariter sanctitati illius repugnat.

Resp. 2. Cum triplicis generis sit res sacra, scilicet persona, locus, & res aliæ; idcirco tres sunt sacrilegii species, personale, locale, & reale.

Sacrilegium (23) personale est, quo indigne tractatur per-

(23) Ad hanc sacrilegii speciem pertinet violenta injectio manuum in clericum etiam conjugatum, si deferat habitum & tonsuram clericalem, & alicujus Ecclesiæ servitio vel ministerio ab Episcopo deputatus eidem Ecclesiæ serviat, aut ministret, prout

persona sacra, ut Clericus, vel Religiosus. Quod fit quatuor modis, 1. Eos injuste percutiendo, aut quamlibet aliam actionem violentam, & contumeliosam in eos injuste exercendo, contra privilegium Canonis, *Si quis suadente*. 2. Eos subjiciendo Tribunali sæculari contra privilegium fori. 3. Imponendo eis tributa, vel onera publica sine legitima auctoritate contra immunitatem Ecclesiasticam; nam hæc privilegia eis concessa sunt intuitu Religionis. 4. Omne peccatum contra castitatem a Religiosis, vel Clericis sacro Ordine insignitis commissum est sacrilegium; quia per votum corpus, & animam specialiter Deo consecrarunt, quoad fugam omnis actus venerei. Hoc etiam incurrunt alii, qui cum ipsis peccant, cum eis cooperentur. Item cujuslibet voti violatio est sacrilegium; nam eo ipso, quod res per votum Deo dicata est, jam est jure divino ad Dei cultum destinata, ideoque sacra.

2. Sacrilegium locale est violatio (24) loci sacri, ut templi, & cœmeterii. Talis est omnis actio irreverentiam loci includens, aut specialem habens cum sanctitate loci repugnantiam, sive ex natura rei, sive ex prohibitione Ecclesiæ, videlicet 1. Effractio, spoliatio, incensio Ecclesiæ, eversio altaris, cap. 22. *de sentent. excommun.* 2. Homicidium, effusio illicita sanguinis, aut seminis humani, sepultura excommunicati non tolerati, aut non baptizati. 3. Usus profanus Ecclesiæ, tanquam vulgaris loci, ut si in ea fiant negotiationes, exercitium judiciorum sæcularium, seditio, colloquia vana, & profana, & id genus alia, quæ cultum divinum turbare, aut impedire possunt: Cap. *Decret. de immunit.* in 6. Ex Concil. Gen. Lugdun. II. 4. Extractio (25) violenta rei e loco sacro, ubi lex asyli viget.

---

prout habetur in Tridentino sess. 23. cap. 6. sicut & violenta injectio manuum in Religiosos etiam Novitios utriusque sexus.

(24) Nomine loci sacri non intelliguntur etiam privata oratoria, vel Eremitoria non consecrata, nec benedicta, quæ immunitate non gaudent, etiamsi Missa in eis de licentia Episcopi fiat. At gaudent monasteria ex Constitut. Gregorii XIV. & Hospitalia Episcopi auctoritate fundata, cap. *Ad hæc*, de Rel. dom.

(25) Inter res violenter extractas e loco sacro præcipue intelligenda est persona quævis baptizata, quantumcumque criminosa quæ gaudeat immunitate. Dico, *quæ gaudeat immunitate*: quia sunt baptizati qui ob insignia quædam scelera non gaudent immunitate. Tales porro sunt; publici latrones, viarumque grassatores & viatorum aggressores. 2. Agrorum depopulatores, homicidia, vel mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis earumque cœmeteriis committentes. 3. Proditorie occi-

viget. 2. Furtum, sive rei sacræ, sive profanæ in loco sacro, quamvis ibi non depositæ, ut crumenæ occulta abscissio, ex capit. *Quisquis* 27. quæst. 4. Nam ad reverentiam Ecclesiæ pertinet, ut res omnes in ea positæ a furtis, & injuriis sint liberæ. 6. Convivia capit. 4. distinct. 42.

3. Sacrilegium reale est indigna tractatio rei sacræ distinctæ a persona, & loco. Res autem illæ dicuntur sacræ, quæ vel sanctitatem producunt, ut sacramenta; vel quæ sacra significant, ut verba Scripturæ; vel quæ sacra repræsentant, ut Imagines Christi, & Sanctorum, item cæremoniæ sacræ; vel quæ sunt particulæ, aut res Sanctorum, ut Reliquiæ; vel quæ ad cultum Dei, & ejus ministrorum sustentationem, usu sque pios sunt consecrata, seu destinata, ut vasa sacra, ornamenta, item bona temporalia Ecclesiæ, cap. 4. & seq. 17. q. 4. & c. *Nulli* 2. q. 2. & ex Conc. Gener. Later. II. can. 10. & aliis. Porro etiam sola omissione committitur sacrilegium, ut si chrisma, vel SS. Eucharistia non satis custodiatur clavibus adhibitis; vel si vasa sacra &c. non sint satis munda, & decora, ex capit. 1. & 2. *de custod. Euchar.* vel permittantur species corrumpi in Pyxide &c. Cum autem in his rebus diversa sit ratio sanctitatis; ideo diversas constituunt species rerum sacrarum; & sic earum violationes sunt sacrilegia diversæ speciei. Ex his constat quid, & quotuplex sit sacrilegium reale.

Quæst. V. Quale peccatum est sacrilegium?

Resp. Est peccatum mortale ex genere suo, quia per illud Deus in rebus sacris inhonoratur: & quia ratio ipsa dictat sancta sancte tractanda esse. Potest tamen esse veniale ob levitatem materiæ, ut si unus assis in Ecclesia surripiatur. Porro cum sacrilegium novam speciem peccati constituat ratione specialis deformitatis oppositæ religioni, semper debet exprimi in confessione. Hinc circumstantia personæ sacræ in luxuria, & loci sacri in furto declaranda est: nam utrumque continet duplicem malitiam specie diversam: unam contra religionem, alteram contra castitatem, vel justitiam. Immo quia omnia sacrilegia non sunt

---

dentes proximum suum. 4. Hæretici. 5. Læsæ majestatis rei in personam ipsius Principis. Hos omnes Gregorius XIV. excipit in sua constit. *Cum alias*, ita tamen ut brachium sæculare eos extrahere non possit sine licentia expressa Episcopi, vel Officialis ipsius, & nonnisi cum interventu personæ ecclesiasticæ, ab eo auctoritatem habentis, nec immediate deducantur ad carcerem sæcularem, sed ad ecclesiasticum, donec Episcopo probatum sit crimen.

sunt ejusdem speciei infimæ, nec gravitatis, debet quoque exprimi, in qua re fuerint commissa.

Quæst. VI. An omne peccatum in loco sacro commissum contrahit speciem sacrilegii?

Resp. 1. Certum est contrahere, si sit specialiter ab Ecclesia prohibitum in loco sacro, quales sunt actus supradicti.

Resp. 2. Omne peccatum saltem externum in Ecclesia commissum contrahit inde malitiam sacrilegii. Quia tale peccatum repugnat sanctitati loci Deo consecrati, & propriæ ejus institutioni, quæ est, ut Deus in eo pie colatur. Multi vero negant de actu mere interno: quia, inquiunt, nullam habet relationem ad locum sacrum, utpote sensibilem. Sed hæc ratio non omnes convincit.

ARTICULUS III.

De Simonia.

Quæst. I. QUid est Simonia?

Resp. Definitur studiosa voluntas emendi, aut vendendi pretio temporali aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Dicitur 1. *Studiosa voluntas*, idest volitio deliberata, ac libera. 2. *Emendi*, vel *vendendi*, hoc est, non dandi, & accipiendi gratis, sed interventu pretii temporalis. Nam his verbis intelligitur omnis contractus non gratuitus, sive nominatus, sive innominatus, ut docent omnes cum S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 1. ad 5. Quare sufficit emptio, & venditio virtualis. 3. *Pretio temporali*, quo intelligitur pecunia, & res omnis pecunia æstimabilis, ac quævis commoditas temporalis. Secundum omnes cum S. Gregor. cap. *Sunt* 1. q. 1. & S. Thom. q. cit. art. 5. Simoniæ pretium triplex est. 1. Munus ab obsequio, idest quodvis obsequium, servitium, ministerium in rebus temporalibus præstitum, vel præstandum. 2. Munus a manu, scilicet pecunia, aut res omnis mobilis, vel immobilis pretio æstimabilis, ut gemmæ, prædium &c. 3. Munus a lingua, nempe favor, patrocinium, laus apud alium &c. Nam hæc sunt pretio æstimabilia, & commodum temporale pariunt, cap. *Salvator* 1. q. 3. 4. *Spirituale*, idest, res, vel actio sacra, vel ad salutem animæ specialiter ordinata, vel ad cultum Dei pertinens, ut dona Spiritus Sancti, Sacramenta, benedictiones, reliquiæ Sanctorum &c. Item omnis potestas supernaturalis, ejusque usus; ut omnis actus ordinis, vel jurisdictionis Eccles. Hinc concio, exhortatio, catechesis facta a ministro Ecclesiæ est materia simoniæ, cum ad

salutem animæ immediate ordinetur. Secus de munere, & actu docendi Theologiam, quia potest propriis viribus acquiri, & per se primo non ordinatur ad salutem animæ. 5. Per *spirituali annexum* intelligitur id, quod ad spirituale ordinatur, & ab eo dependet; aut ei conjungitur. Potest autem conjungi vel antecedenter, ut jus Patronatus, quod supponitur præsentationi ad beneficium; altaria, vasa sacra, quæ antecedenter ordinantur ad sacrificium Missæ: vel concomitanter, ut labor intrinsecus, & necessarius administrationi Sacramentorum; vel consequenter, ut proventus beneficii, qui supponit officium Divinum. Jamvero allata definitio stricte sumpta est Simoniæ juris Divini, non simoniæ juris Ecclesiastici, saltem omnis. Sic autem potest generatim simonia omnis definiri: quævis pactio, & acceptio rei spiritualis, vel spirituali annexæ, lege prohibita ob reverentiam rei sacræ. Porro præter simoniam apertam datur etiam simonia palliata.

Quæst. II. An ad simoniam requiratur intentio formalis dandi, vel accipiendi rem temporalem, ut pretium rei spiritualis?

Resp. Nego; sed sufficit voluntas dandi, vel accipiendi spirituale, non gratuito, sed pro temporali, sive ut pretio, vel compensatione, sive ut motivo saltem principali. Item sufficit intentio virtualis commutandi spirituale pro temporali, inclusa in voluntate obtinendi spirituale per temporale, & vicissim. Ita enim colligitur ex Act. 8. & cap. 34. *de Simon.* ex Conc. Gener. Lateran. I. cap. 1. & ex cap. *Ex multis* 1. quæst. 3. Et sane per hoc tractatur res spiritualis, ut commutabilis, & comparabilis re temporali, non ut donum gratis dandum, & accipiendum; & temporale moraliter loquendo, & in æstimatione prudenti, temporale reipsa se habet, ut pretium, cum non alio titulo detur, quam ad obtinendum spirituale contra illud Christi præceptum, *Gratis accepistis, gratis date*. Porro aliud est cum datur temporale per modum stipendii, & sustentationis: nam lex naturalis postulat, ut sustentatio spectato statu suppeditetur ei, qui in alterius commodum occupatus est.

Quæst. III. Quotuplex est Simonia?

Resp. Dividitur 1. In eam, quæ est juris Divini, quæ ideo prohibita est, quia mala est ex natura sua. Talis est emptio, aut venditio etiam virtualis rei aut actionis sacræ: & in eam, quæ est juris humani, quæ solum est mala, quia prohibita est: sive est pactio, aut commutatio, seu acceptio, quæ ex natura sua non habet malitiam simoniæ, sed solum ex Ecclesiæ prohibitione, facta

ex motivo religionis, seu intuitu reverentiæ erga res sacras.

Dividitur 2, In mentalem, conventionalem, realem, & confidentialem. Simonia mentalis est datio, vel acceptio rei spiritualis pro temporali, aut viceversa nullo interveniente pacto, etiam tacito; ut si quis serviat Episcopo hac intentione, ut pro obsequio temporali ei procuret beneficium, nulla tamen verbis, vel nutibus facta conventione. Hæc autem est vera Simonia, & ejusdem speciei coram Deo cum simonia reali, ex capit. 34. *de Simon.* Dicitur mentalis, quia non apparet exterius, sed in mente manet. Conventionalis est pactio simoniaca expressa, vel tacita, seu implicita, sed nondum tamen executioni mandata saltem ex utraque parte. Nam alia est pure conventionalis, quæ neutra ex parte completa est; alia conventionalis mixta, & semirealis, quæ ex una tantum parte completa est, ut si post pactionem initam conferatur ab uno beneficium, sed ab alio non detur temporale, vel e contra: unde participat aliquid de reali. Realis est pactio simoniaca ex utraque parte completa saltem inchoate; quod addo, quia ad simoniam realem sufficit solutio partis pretii cum receptione rei spiritualis, vel spirituali annexæ. Simonia (26) confidentiæ est, cum quis alteri beneficium procurat eligendo, præsentando,

(26) Confidentiæ reus non est qui sine ullo pacto dat beneficium alteri, confidens hunc eidem beneficio in favorem tertii renuntiaturum esse, si forte ad aliud v. g. ad Episcopatum promoveatur. Pariter a confidentia, immo & a peccato immunis est qui, accepto canonicatu, beneficium quod ante possidebat abdicat in manu præsentatoris, quem precatur ut illud nepoti suo conferat: quia preces, si bona fide fiant, pactum nullum involvunt, & plenam patrono relinquunt potestatem ac libertatem conferendi beneficium cui voluerit. Pontas. V. *Confidentia* cas. 9.

Ast multi existimant veram reperiri confidentiam, aut saltem magnum ejus periculum, si Petrus e. g. beneficium resignet Mævio cum obligatione ejusdem vel alterius conferendi nepoti Petri, & Mævius resignationem acceptet, quin directe aut indirecte conditionem acceptet, immo cum vera intentione conditionem hanc non implendi. Ratio est, quia Pius V. in Bulla 85. statuit, „ ut si quis quacumque „ auctoritate .... beneficium „ ecclesiasticum qualecumque ex „ resignatione, vel cessione cujuscumque personæ .... etiam sola dimittentis intentione receperit, hac confidentia „ censeatur “; & infra; „ licet ipsum confidentiæ crimen „ alterius tantum partis confidentia sit admissum “. Hæc autem verba naturaliter &, ut sonant, intellecta, ostendunt ad confidentiam sufficere, malam unius partis intentionem alteri parti cognitam, ejusque silentio quasi approbatam.

do, postulando, resignando, commendatione, vel alia ratione cum confidentia, hoc est cum pacto expresso, vel tacito, ut is, cui (27) procuratur, illud aliquando resignet procuratori, vel alteri, aut ut pensionem, vel fructus aliquos ex eo præstet. Hæc simonia graviter prohibetur a Pio IV. Bulla 85. & a Pio V. Bulla, *Intolerabilis*. Dicitur confidentialis, eo quod procuratio beneficii nitatur confidentia pactionis, vi cujus beneficium ipsum, vel fructus illius ex pactione expectatur.

Quatuor modis committitur. 1. Per accessum, ut cum Prælatus volens tibi per ætatem incapaci procurare beneficium, illud confert alteri ea conditione, ut, quamprimum capax fueris, illud accipias. 2. Per ingressum, ut cum quis beneficium sibi collatum ante captam ejus possessionem alteri resignat eo pacto, ut illud postea ingrediatur, si iste moriatur, vel dimissurus sit. 3. Per regressum, cum quis beneficium a se possessum alteri resignat ea conditione, ut iste sibi, vel alteri idem beneficium resignaturus sit convenienti tempore. 4. Si præsentans, resignans, conferens &c. paciscatur expresse, vel tacite; ut pensio, vel pars fructuum beneficii sibi, vel alteri detur. Porro ad hanc simoniam requiritur, ut accessus, ingressus, & regressus sint in idem beneficium. (28)

Quæst. IV. Quibus casibus est simonia juris Divini, ideoque indispensabilis?

Resp. Ea generatim prohibentur ut simoniaca jure divino, naturali, & positivo, quæ cum sint (29) spiritualia,

---

(27) Ast non est simonia confidentialis si quis, canonicatum suo pinguiorem postulans, hunc acceptet cum pacto suum remittendi in manus Capituli, in hypothesi quod ei constet, futurum ut beneficium quo se exuit nonnisi digno conferatur: nam ipse id solum promittit ad quod jam tenebatur, cum duos canonicatus simul possidere non possit. Ita Sambovius & Pontas ibid. cas. 7.

(28) Hinc non est simonia confidentialis, cum præsentans, eligens, & conferens exigunt ut promovendus promissum temporale refundat in remunerationem, nisi per illud temporale intelligantur fructus beneficii ad cujus provisionem concurrerunt; alias omnis simonia esset confidentialis, quod tamen falsum est, cum Pius IV. & Pius V. omnem confidentiam ad quatuor recensitos casus restringant. Et hoc (ait Habertus, Tr. de Rel. cap. 8. parag. 2. maxime notandum est, quia pœnæ in confidentiarios sancitæ graviores sunt quam quæ in alias Simoniacorum species decernuntur; eo quod talis simonia plures in Ecclesiam abusus invehit.

(29) Spirituale hic non sumitur pro incorporeo, sed pro supernaturali. Porro supernaturale, vel est tale *formaliter & per essentiam*, ut gratia actualis, & habitualis, virtutes infusæ, dona

lia, vel ſpiritualibus annexa computantur pro temporali ſpeciatim vero ſequentia. 1. Dare, (30) vel accipere temporale pro virtutibus ſupernaturalibus, donis Spiritus Sancti, Sacramentis, quavis functione ſpirituali. Ita omnes.

---

na Spiritus Sancti, quo etiam ſpectant character, & ſimilia; vel *cauſaliter*, ratione ſpiritualis effectus quem producit, quo ſenſu ſacramenta, ſacramentalia, & alia quæ gratiam pariunt, ſupernaturalia dicuntur, vel *effective*, prout eſt effectus a cauſa ſupernaturali proveniens, ſeu efficienter ſeu finaliter: ſic actus prophetandi ſpiritualis eſt, quia naſcitur ex cauſa ſpirituali, & ad ſalutem vel fidem Eccleſiæ ordinatur; tales etiam ſunt effectus gratiarum gratis datarum; item benedictiones, uſus juriſdictionis eccleſiaſticæ, diſpenſationes, facultates excommunicandi aut abſolvendi a cenſuris, collationes beneficiorum, &c. Et hæc omnia ſunt materia Simoniæ.

(30) Accipere aliquid pro ſacramentis, quatenus conſtant ex materia & forma vera eſt ſimonia; quia ſacramenta ſic ſumpta ſunt res valde ſacræ & ſupernaturales; aſt non eſt ſimoniacum vendere id quod in ſacramentis materiæ remotæ locum habere debet; quia hæc materia ſecundum ſe, & ut antecedit actionem ſacram, res eſt naturalis, temporalis, & pretio æſtimabilis, ut patet in pane, vino, oleo, &c. Peracta vero conſecratione, aut benedictione res eaſdem ſecundum ſe ſpectatas vendi poſſe juxta jus naturale, non minus quam vendi poſſint veſtes benedictæ, calix conſecratus, &c. docet Suarez cap. 14. cavendum tamen eſt, ne venditio hæc ab Eccleſia prohibita ſit, ut prohibita eſt venditio chriſmatis, ſeu olei catechumenorum, & infirmorum; cap. *In tantum* ut notat Natal. Alex. tom. 2.

Nihil accipi poteſt pro materia proxima Sacramentorum, v. g. pro ablutione in baptiſmo, &c. quia hæ actiones eatenus ſolum vendi poſſunt quatenus ſunt ſacræ, cum nullam aliam habeant utilitatem quam ſpiritualem. Idem ob eamdem rationem dicendum de forma ſacramentorum, ut notat Decoq. & Bonac. diſput. 1. quæſt. 4. part. 1.

Quoad ſacramentalia, quorum nomine veniunt, tum res religioſo cultu conſecratæ, ut chriſma, oleum ſacrum, Agnus Dei, aqua benedicta, &c. tum ritus quo res illæ conſecrantur; qui ritus vocantur ſacramentale tranſiens, ſicut res quæ per ipſum efficiuntur ſacræ, ſacramentale permanens. Quoad ſacramentalia, inquam, tenendum eſt, ſacramentalia, tum tranſeuntia tum permanentia vendere ſimoniacum eſſe, cum ſint vel actiones in ſe ſacræ, vel ſacræ res quæ a poteſtate ſupernaturali procedunt, & ad finem ſupernaturalem ordinantur. Aſt ſacramentalia permanentia vendi poſſunt ratione materiæ, dummodo pluris non emantur aut vendantur quia ſacræ, niſi obſit lex eccleſiaſtica: nam hujuſmodi rerum materia eſt ſecundum ſe pretio æſtimabilis, nec valorem ſuum amittit ob conſecrationem, licet novum non aſſequatur.

Communis ſententia eſt ex Alexand. III. cap. 16. & Innocentio III. cap. 36. *de Simon.* non poſſe aliquid exigi pro ſacro chriſmate ſine ſimonia. Atque hic non ſimoniæ ſolum, ſed & injuſtitiæ crimen agnoſcit Suarez cap. 14. n. 13. quia, inquit, Epiſcopi ex diſpoſitione Eccleſiæ tenentur gratis de hac materia ſuis

nes. Nam hæc omnia ad finem supernaturalem per se primo ordinantur, ideoque inæstimabiles pretio temporali. 2. Dare, vel accipere temporale pro beneficio Ecclesiastico, etiam simplici, & solum quoad jus percipiendi fructus temporales. Est communis sententia, & colligitur ex cap. *Salvator* 1. q. 5. Et sane jus percipiendi fructus temporales beneficii est jus tales fructus obtinendi ministerio spirituali, cujus exercendi jus habeatur: beneficium enim est propter officium, ex cap. ult. *de rescript.* in 6. & ex Conc. Trid. sess. 21. cap. 3. Quapropter jus illud percipiendi fructus vendi non potest, quin vendatur primario, & & directe jus exercendi officium spirituale, & ipsum officium, ex quo hoc jus provenit, ex cap. *Si quis* 1. q. 3. Quod fieri non potest, S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4. Potest tamen Papa ex plenitudine potestatis titulum, seu jus officii spiritualis abrogare, & temporale beneficii ob Ecclesiæ necessitatem, vel majorem utilitatem alienare. Et tunc temporale beneficii separatum a titulo nil haberet spirituale, nec proinde ejus distractio esset simoniaca. Idem est de commenda clericali, ac beneficio, cui æquivalet, quia principale in ea est spirituale ministerium, cui spirituale commodum consequenter annexum est. 3. Omnis transactio in beneficiis, (31) vel aliis rebus

suis Ecclesiis providere. Secus est de aliis, qui Episcopi non sunt.

Similiter vendi non possunt Ecclesiæ, ex cap. 15. *De Sim.* & cap. *Si quis objecerit*, ubi speciatim decerni videtur, templa, nequidem ratione materiæ vendi posse, aut redimi; secus est de altaribus portatilibus, aliisque similibus.

(31) Transactio est conventio onerosa super jure dubio & incerto ad componendam litem jam motam, vel movendam. Hinc ad veram transactionem requiritur, 1. Conventio onerosa. 2. Jus super quo transigitur dubium esse debet. 3. Transactio fit ad impediendam, vel redimendam litem.

Porro illicita est simoniaca omnis transactio qua remittitur, vel retinetur spirituale pro temporali, ut Auctor dicit. At si in transactione detur spirituale pro spirituali, non erit id ex natura rei illicitum; unde Episcopi qui de jurisdictione circa aliquam Ecclesiam contendunt, transigere, sic intra se possunt, ut uni contingat jurisdictio, alteri beneficiorum provisio, vel ut alternatim visitent. Ita Suarez cap. 51. n. 9.

Etsi vero spirituale pro spirituali transigendo dare licitum sit ex natura rei, id tamen juxta canones in materia beneficiali prohibetur fieri privata auctoritate, cum omnis pactio in materia beneficiali, privata auctoritate facta, simoniaca sit.

Porro ex cap. 2. *de Transact.* auctoritas qua talis transactio in materia beneficiali licite fieri potest, est auctoritas Episcopi; quia talis transactio ut plurimum æquivalet permutationi; permutatio autem coram Episcopo fie-

bus spiritualibus facta compensatione cum re propria temporali, nam tunc spirituale commutatur cum temporali. 4. Dare. (32) vel exigere temporale non solum pro receptione ad Religionem, ut patet, sed etiam pro sustentatione ingredientis Religionem, quando bona Monasterii sufficiunt. Ita multi. Quia jus vivendi ex bonis Religionis ex institutione Ecclesiæ, & mente fundatorum annexum est professioni; ita ut illud obtineri nequeat, nisi ratione professionis, quæ est quid spirituale: & quia admissio in Religionem est admissio ad omnia jura Religiosorum, inter quæ est jus vivendi ex bonis Religionis. Quare cum Alexand. III. cap. *Non satis* Innocent. III. cap. *Dilectus*, & Concil. Gener. Lat. IV. cap. *Quoniam de Simonia* graviter prohibeant, ne aliquid exigatur pro professione, in hoc juris naturalis observantiam præcipiunt. Si autem monasterium sit pauper, nec possit plures sustentare, non est simonia exigere aliquid ab ingredi volentibus: quia illud exigitur, ut habeat monasterium, unde ei possit providere, & ut alii Religiosi non careant necessariis, ad quæ jus jam acquisitum habent. Ita S. Thom. in 4. distinct. 25. quæst. 3. artic. 2. ad 7. Sed tamen erit injustitia, & simonia, si quid amplius exigatur ultra id, quod requiritur ad hunc finem. Quod tamen intelligendum est moraliter, nec consistit in indivisibili.

Nec

---

po fieri potest. Ita Suarez, cap. 51. num. 16. Bonac. part. 5. quibus adstipulatur Pirling. lib. 5. tit. 22. num. 3. docent etiam insuper Episcopum ad dirimendam litem applicare posse sine simonia uni beneficium litigiosum cum onere, ut alteri collitiganti pensionem solvat; ex cap. 21. *de Præb.* & cap. 25. *de Transact.* idque docent communiter Doctores. Ex his tamen multi docent, pensionem hanc non posse super ipso beneficio imponi, seu ad vitam ejus cui assignatur, sed tantum super persona beneficiarii, ut habet cit. c. 21. *de Præb.*

(32) Quandonam monasterium satis dives censeri debeat, ut nihil ob ingredientibus recipere possit, non ita præcise determinari potest; sed standum est determinationi Synodi Trid. sess. 25. cap. 3. *de Regul.* ubi sancitur, „ in temporalibus monasteriorum facultatibus eam ineundam esse rationem, ut Monialium numerus commode sustentari possit “. Quapropter in determinanda communitatum commoditate pensari debent omnes loci, temporis, ac personæ circumstantiæ, & attendi debet non solum præsens, sed & futurus Monasterii status, & mala, seu infortunia probabiliter eventura.

Ex Natali Alexand. & aliis pro victu Novitiorum vel Novitiarum potest congrua pensio recipi per totum probationis annum; quia ex Tridentino sess. 25. cap. 16. non fiunt membra communitatis, nisi cum eidem se professione solemni alligant.

Nec obstat, quod dicitur Martinus V. exemisse Moniales a pœnis latis ab Urbano IV. Nam pœnæ violationi juris divini appositæ sunt juris Ecclesiastici: unde tolli possunt, remanente jure naturali, & divino, quod prorsus indispensabile est.

(*) Non adeo facile cum Auctore pronuntiandum est, simoniacum esse consuetum dotale subsidium, quod a cœnobiis exigitur a Puellis se se Deo devoventibus. Nam usus ubique receptus eam approbat, quodque magis est Sacr. Congregat. Concil. die 8. Septemb. 1683. Simonia immunem pronuntiavit, idemque confirmavit die 14. April. 1725. ut ait Bened. XIV. lib. 7. de Syn. Diœc. capit. 58. additque Sacr. Congregat. Concil. adhærendo doctrinæ Sanctæ Thomæ 2. 2. quæst. 100. artic. 3. ad 4. sæpius decrevisse a singulis Sanctimonialium cœnobiis ad normam Decreti Trident. sess. 25. capit. 3. *de Regular.* tot esse Moniales recipiendas, quot, Episcopi judicio, ex communibus redditibus, aut consuetis eleemosynis sustentari possint; censuisse itidem a Monialibus inter præfinitum numerum comprehensis, seu in demortuarum locum subrogandis, nihil esse Monasterio pendendum; nisi interim Monasterii redditus fuerint imminuti, nec amplius pares sint consueto sororum numero sustentando: ab his vero, quæ ultra præfinitum numerum recipiuntur, dotem persolvendam dixisse, cujus fructibus ali queant, quemadmodum refert Fagnanus in capit. *Non amplius de institut.* num. 14. Deinde Sacrarum Urbis Congreg. Decreta vindicat, & Vanespenium refellit, qui in suo tract. de simon. circa ingressum in Religionem capit. 3. §. 3. absolute asserit, contra jus naturale, & divinum peccare monasteria, *quorum proventus sunt sufficientes, ut numerum aliquem Religiosorum sustentent, & tamen nullum gratis ad monasterium admittunt*. Nam si quid ab ingredi volente recipiatur pro onere, quod assumit monasterium, sustentandi Religiosum, ad quod cæteroquin subeundum sufficiunt monasterii redditus, est simonia tantum juris Ecclesiastici, cum pretium sumatur pro onere alendi personam religiosam, quod est temporale, & pretio æstimabile. Sed, quod jus ad alimenta e monasterii proventibus percipienda profluat ex ipsa professione religiosa, & idcirco Ecclesia, ne ulla ratione pretium pro ea accipi videretur, districte vetuit, quidpiam ab eo exigi, cui monasterium necessaria ad victum stipendia subministrare potest; atque hujus criminis reos in Simoniacam classem retulit. Addit præterea, cum versemur in simonia, quæ ortum habuit a sola lege Eccles. mirum non esse hanc potuisse

nunc

persona sacra, ut Clericus, vel Religiosus. Quod fit quatuor modis, 1. Eos injuste percutiendo, aut quamlibet aliam actionem violentam, & contumeliosam in eos injuste exercendo, contra privilegium Canonis, *Si quis suadente*. 2. Eos subjiciendo Tribunali sæculari contra privilegium fori. 3. Imponendo eis tributa, vel onera publica sine legitima auctoritate contra immunitatem Ecclesiasticam; nam hæc privilegia eis concessa sunt intuitu Religionis. 4. Omne peccatum contra castitatem a Religiosis, vel Clericis sacro Ordine insignitis commissum est sacrilegium; quia per votum corpus, & animam specialiter Deo consecrarunt, quoad fugam omnis actus venerei: Hoc etiam incurrunt alii, qui cum ipsis peccant, cum eis cooperentur. Item cujuslibet voti violatio est sacrilegium; nam eo ipso, quod res per votum Deo dicata est, jam est jure divino ad Dei cultum destinata, ideoque sacra.

2. Sacrilegium locale est violatio (24) loci sacri, ut templi, & cœmeterii. Talis est omnis actio irreverentiam loci includens, aut specialem habens cum sanctitate loci repugnantiam, sive ex natura rei, sive ex prohibitione Ecclesiæ, videlicet 1. Effractio, spoliatio, incensio Ecclesiæ, eversio altaris, cap. 22. *de sentent. excommun.* 2. Homicidium, effusio illicita sanguinis, aut seminis humani, sepultura excommunicati non tolerati, aut non baptizati. 3. Usus profanus Ecclesiæ, tanquam vulgaris loci, ut si in ea fiant negotiationes, exercitium judiciorum sæcularium, seditio, colloquia vana, & profana, & id genus alia, quæ cultum divinum turbare, aut impedire possunt: cap. *Decret. de immunit.* in 6. Ex Concil. Gen. Lugdun. II. 4. Extractio (25) violenta rei e loco sacro, ubi lex asyli viget.

---

prout habetur in Tridentino sess. 23. cap. 6. sicut & violenta injectio manuum in Religiosos etiam Novitios utriusque sexus.

(24) Nomine loci sacri non intelliguntur etiam privata oratoria, vel Eremitoria non consecrata, nec benedicta, quæ immunitate non gaudent, etiamsi Missa in eis de licentia Episcopi fiat. At gaudent monasteria ex constitut. Gregorii XIV. & Hospitalia Episcopi auctoritate fundata, cap. *Ad hæc*, de Rel. dom.

(25) Inter res violenter extractas e loco sacro præcipue intelligenda est persona quævis baptizata, quantumcumque criminosa quæ gaudeat immunitate. Dico, *quæ gaudeat immunitate*: quia sunt baptizati qui ob insignia quædam scelera non gaudent immunitate. Tales porro sunt, publici latrones, viarumque grassatores & viatorum aggressores. 2. Agrorum depopulatores, homicidia, vel mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis earumque cœmeteriis committentes. 3. Proditorie occi-

rum sine auctoritate Prælati (33) nullo interveniente pacto. Item resignatio extra Curiam Rom. in favorem certæ personæ, & resignatio cum pacto, ut Resignatarius suum beneficium cedat tertio; vel cum confidentia accessus, aut regressus. Nam in his non commutatur spirituale, nec spirituali annexum pro temporali: unde licet commutare beneficia cum auctoritate Episcopi, Clem. *de rer. permutat.* & Papa potest in aliis dispensare. 2. Venditio officiorum sacristæ, œconomi, defensoris, advocati, procuratoris Ecclesiæ &c. de quibus cap. *Salvator* 1. quæst. 3. 3. Acceptio munerum, etsi modicorum, sponte, & gratis oblatorum ex occasione examinis ad Parochiam, ex Conc. Trident. sess. 24. cap. 18. Item ex occasione collationis Ordinum, tonsuræ, litterarum dimissoriarum, (34) aut testimonialium, ex Trid. sess. 21. cap. 1. Dixi, *ex occasione*. Nam dare, vel accipere (35) aliquid pro collatione prædictorum est simoniacum jure divino: cum ista sint actus pro-

(33) Prælatus, sive Superior coram quo facienda est permutatio est Episcopus loci in quo situm est beneficium. Ita omnes, & id expresse habetur c. 5. *de rerum Permutat.* & cap. un. tit. eod. ubi duo notanda sunt: 1. Episcopi nomine a multis intelligi eos qui, licet Episcopi non sint, habent tamen jurisdictionem quasi episcopalem: 2. Eam solam permutationem admitti posse ab Episcopo, quæ est beneficii cum beneficio, & quæ pure fit, idest sine onere, pacto, aliquo, &c. Hæc enim non valet, nisi fiat coram Papa & ab eo approbetur.

Permutatio beneficiorum inæqualium inæqualitate dignitatis cum pensione, aut alia re pretio æstimabili, non potest, etiam cum Papæ consensu fieri: quia tunc venderetur, saltem ex parte, spirituale pro temporali. Permutatio vero beneficiorum inæqualium propter temporale fieri non potest modo prædicto nisi coram Papa. Ita ex usu jamdudum recepto, a quo recedere tutum non est.

(34) Hoc verum est in locis in quibus Notariis aliquid salarii quantumvis tenuis, ab Episcopo constitutum est; & tunc tam dantes quam accipientes pœnas a jure inflictas ipso facto incurrunt: at ubi Notariis nihil omnino salarii est constitutum ibi ex eodem Concilio pro dimissoriis aut testimonialibus recipere possunt „ decimam tantum unius aurei partem, „ idest *Julium unum*, seu septem aut octo solidos. “

(35) Simoniaci etiam sunt, tum is qui præsentat, tum Episcopus qui ordinat aliquem, „ promissionem, vel juramentum ab illo recipiens quod „ super provisione sua “; seu, ut explicat Gonzalez cum aliis, super alimentis quæ Episcopus debet ei quem sine titulo ordinat, „ non inquietet eum, „ & nihil ab eo postulet; tuncque ordinator a collatione, „ præsentator vero ab executione ordinum per triennium, „ & ordinatus ab ordine sic suscepto, donec dispensationem „ super hoc per Sedem Apostolicam obtinere meruerit, noverint se suspensos “, ait Gregorius XIV. capit. 44. de Simon.

procedentes a potestate spirituali ordinis, & jurisdictionis, proindeque spirituales.

Quæst. VI. An permutatio rerum spiritualium inter se simoniaca sit, ideoque illicita?

Resp. Nego, si illæ non habent annexum aliquod temporale commodum, & nullum interveniat pretium. Constat ex definitione Simoniæ tam juris divini, quam juris humani.

Quæst. VII. An simoniæ reus est, qui temporale pro spirituali promittit sine animo implendi.

Resp. Affirm. Nam non solum datio, sed etiam promissio in jure prohibetur, ut simoniaca, capit. 12. *de Simon.* & Concil. Melphitan. capit. 1. Qui vero tali animo promittit temporale pro spirituali committit grave peccatum saltem injustæ deceptionis, scandali, inductionis, cooperationis ad simoniam mentalem alterius, & mendacii perniciosi, & irreverentiam infert rebus sacris, illis abutendo.

Quæst. VIII. Quale peccatum est simonia?

Resp. 1. Simonia juris Divini est semper per se peccatum mortale. Ita omnes ex lib. 4. Reg. cap. 5. Actor. 8. & Matth. 10. est enim gravis injuria in rem sacram, ejusque auctorem Deum. Nec potest esse venialis ex levitate materiæ, seu rei spiritualis, cum nulla sit, quæ non sit gravis momenti in se, & inæstimabilis pretio: neque etiam ratione rei temporalis pro spirituali datæ: nam quo vilior est res illa temporalis, eo majus rei spiritualis est vilipendium. Videtur autem esse peccatum non solum contra Religionem, sed etiam contra justitiam: nam iniquum est vendere rem suo dominio non subjectam contra voluntatem Domini, qui gratis dare jussit. Item est contra fidem, si simoniacus putet rem spiritualem esse venalem.

Resp. 2. Simonia juris Ecclesiastici est etiam mortale peccatum, cum sit graviter prohibita ex motivo Religionis, & pœnis gravissimis contra illam perinde ac contra Simoniam juris Divini latis, ut constat ex jure Canon. Est quoque contra justitiam defectu tituli, & materiæ legitimæ: unde omnes actus simoniaci sunt irriti, & obligant ad restitutionem. Porro quævis simonia est species quædam sacrilegii, cum sit indigna tractatio rei sacræ, ut patet.

Quæst. IX. An licet emere, aut vendere temporale spirituali annexum?

Resp. 1. Quod est quovis modo annexum spirituali, nunquam potest emi, aut vendi ratione spiritualis. Patet. 2. Temporale antecedenter annexum spirituali, seu

cui ſpirituale poſtea advenit, ut fundus, cui poſtea accedit jus Patronatus, vas, quod poſtea conſecratur, ſecluſa Eccleſiæ prohibitione, licite emi, ac vendi poteſt, ratione temporalis, materiæ, artificii, modo non vendatur carius ob ſpirituale annexum. Quia res illa retinet ſuum valorem intrinſecum, nec ita dependet a re ſpirituali, ut ea vendita hæc cenſeatur vendi. At venditio Eccleſiæ prohibetur cap. 15. *de Simon.* 3. Vendi nequeunt concomitanter annexa ſpirituali, & quæ ſunt ei intrinſeca, ſeu per ſe conjuncta, ut opera, ſeu labor neceſſarius ad exercendam functionem ſacram, v. g. Miſſam, Concionem &c. Ita communiter. Quia labor & opera intrinſeca actioni ſpirituali, & ab ea inſeparabilia, & ad eam neceſſaria coaleſcunt cum ea in unum opus morale, ejuſque conditionem accipiunt. Unde vendi non poſſunt, quin actio ſpiritualis vendatur, quod fieri non poteſt. Item operæ, & actiones, quæ per ſe neceſſariæ ſunt ad functionem ſacram, prout ab hominibus exerceri poteſt, non poſſunt vendi, nec pretio æſtimari, ut ſtudium, præparatio ad concionem &c. Secus ſi labor, fatigatio, vel aliæ actiones ſint ſpirituali extrinſeca, & per accidens adjuncta, ut fatigatio longioris itineris ad celebrandam Miſſam in loco diſſito; nam hæc nil includunt ſpirituale, & ab eo ſunt ſeparabilia, & aliunde ſunt pretio æſtimabilia.

Reſp. 4. Temporale conſequenter annexum ſpirituali, hoc eſt, quod præſupponit rem ſpiritualem, & ab illa dependet, vendi non poteſt ſine ſimonia: Quia quod eſt annexum conſequenter ſpirituali, ipſum ſpirituale ſupponit, & ſe habet, velut ejus acceſſorium: at acceſſorium naturam principalis ſequitur, ex reg. jur. 41. in 6. Quare ſimoniacum eſt vendere, aut emere jus percipiendi redditus eccleſiaſticos annexum officio ſpirituali, aut jus vivendi de bonis monaſterii annexum profeſſioni.

Quæſt. X. An licet dare, vel accipere temporale ob functionem aliquam ſpiritualem v. g. Miſſam, vel Concionem?

Reſp. 1. Certum eſt non licere dare, vel accipere temporale præciſe pro aliqua functione ſpirituali, vel labore ei intrinſeco; nam hoc eſt ſimoniacum jure divino. Item non licet accipere pretium præciſe pro obligatione ad ſpiritualia præſtanda; conſtat ex dictis. Hinc Cantoribus conductitiis, & muſicis non licet ſtipendia accipere, ut pretium ſui obſequii, ſed ſolum titulo ſuſtentationis honeſtæ: nam eorum officium ordinatur ad cultum divinum. 2. Licet temporale dare, & accipere per modum ſuſtentationis cum obligatione, ut fiat ſpirituale, v. g. celebren-

brentur Missæ, administrentur sacramenta. Ita enim habet praxis in Ecclesia recepta: tunc enim solum datur pecunia ad sustentationem ministri sub conditione spirituale ministrandi, non ut ejus pretium, quod nedum licitum, sed etiam justum, ex Matth. 10. cum justitia naturalis exigat, ut ei, qui in alterius gratiam, & commodum occupatus est, & se privat facultate vacandi rei sibi lucrosæ, sufficiens sustentatio spectato statu personæ suppeditetur, ex 1. Cor. 9. Immo „ *gratis* spiritualibus prius „ exhibitis licite possunt statutæ, & consuetæ oblationes, „ & quicunque alii proventus exigi a nolentibus, & va„ lentibus solvere auctoritate Superioris interveniente " ait S. Thom. 2. 2. quæst. 100. artic. 3. Non licet tamen quidquam exigere etiam a divitibus titulo sustentationis ad sepulturas, exequias, benedictiones nubentium, administrationem sacramentorum &c. per horum spiritualium subtractionem. Nam hoc graviter prohibet Concil. Gen. Lat. III. capit. 7. & Lat. IV. capit. 66. *Hoc enim haberet quamdam venditionis speciem*, ait S. Thom. sup. Hinc Concil. Const. sess. 8. damnavit hunc articulum VViclefi: „ omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro „ aliis, eis in temporalibus subvenientibus."

(*) Nota. Orientales Mahumetano imperio subjectos inopia pressos pro Sacramentorum administratione quidquam accipere, quod eleemosynæ, ut decimarum, quæ ipsis debeantur nomine honestare solent. Ut autem Episcopi, & Missionarii eos ab hac re amovere studeant, animadvertendum duximus: primum antiquis Ecclesiæ Orientalis Canon. sub gravissimis pœnis prohibitum esse, ne *non venales gratiæ in venditionem deducantur*, can. 29. Apost. can. 2. Chalced. & can. 5. septimæ Synodi Gen. Deinde ad Orientales etiam pertinere canones in Conciliis Lat. conditos super ab Auctore citatos, & Pontificias Const. quæ omnibus, & singulis ministris quidquam ob Sacramentorum administrationem exigere, & recipere prohibent, & simoniacum esse decernunt quidquid præsumptionem secum ferat venditionis rei spiritualis. Denique ex Const. SS. D. N. Bened. XIV. incip. *Apostolicam Prædecessorum*, qua approbatur Canon Synodi Nation. a Maronitis in monte Libano celebratæ ann. 1736. quo cavetur ne Patriarcha quidquam exigat a Parochis, aliisque in Sacrorum oleorum administratione, clare intelligimus non esse insimulandos avaritiæ, & simoniæ Orientales, qui inopia pressi occasione administrationis Sacramentorum, eleemosynam, seu charitativum subsidium ad eorum sustentationem necessarium recipiunt; id vero esse contra sacros canones, quin ad removendam omnis avaritiæ, & simo-

niæ suspicionem hoc quoque ministris procurandum est, ut ad Maronitarum exemplum, & juxta præscriptum cit. Const. non occasione administrationis Sacramentorum, sed alio tempore opportuno (nempe *die Dominica infra Octavam Solemnitatis B. M. Virginis Immaculatæ in cælum Assumptæ*) Parochis, aliisque Sacerdotibus Sacramenta fidelibus ministrantibus charitativa subsidia tribuantur: Licet autem non possint Parochi aliquid etiam a sponte dantibus pro administratione Sacramentorum accipere, possunt tamen pro eleemosyna, quod sponte offeratur, accipere ex decr. Sac. Congreg. Concil. 11. Febr. 1595. Sed an est (36) simonia vendere sepulturam?

Resp. Est simonia juris Divini, si vendatur locus sepulturæ, quatenus est sacer; seu ratione benedictionis. Item si quid detur pro sepeliendis mortuis, ex cap. 9. *de sim.* ex Concil. Gener. Later. Nam hæc est functio sacra. Est autem simonia juris ecclesiastici, si vendatur sepultura ratione materiæ, seu pro ipsa terra. Nam hoc ab Ecclesia prohibitum est ex motivo Religionis erga benedictionem annexam terræ sepulturæ atque ad vitandum periculum, & suspicionem simoniæ, ex capit. 41. *de simon.* & capit. 13.

Quæst. XI. An est simonia saltem mentalis præstare aliquid spirituale principaliter propter temporale taxatum, vel

---

(36) In hanc quædam certa sunt; ac primo quidem certum est, emi posse locum communem in quo emptor sepeliri possit; cujus rei exemplum habemus Gen. 23. ubi Abraham ab Ephron emit speluncam duplicem in sepulturam Saræ. 2. Certum est, etsi juxta jus naturale vendi possit sine simonia pars cœmeterii, aut templi pro sepultura, quia tunc non censetur vendi nisi materiale templi: hanc tamen venditionem tum Ecclesiæ tum imperii legibus prohiberi, ita cap. 41. *de Sim.* & l. 2. & 9. Cod. *de Rel. dom.* 3. Si quis, ait Cabasut. lib. 5. cap. 6. sibi suisque hæredibus velit sepulturæ locum ita proprium acquirere, ut non sit liberum deinceps aliorum fidelium corpora eo inferre, rationem prohibitionis a legibus factæ tunc cessare, ideoque aliquid ab eo exigi posse; tum quia obligatio qua se obstringunt qui Ecclesiæ gerunt curam ad non sepeliendum alium in hoc loco pretio æstimabilis est; tum quia usus ubique receptus ita obtinet.

Multi censent praxim emendi & vendendi locum honoratiorem Ecclesiæ pro sepultura, non ferendi majorem Crucem nisi pro certo pretio simoniacum esse: quia, inquiunt, locus honoratior non est talis nisi quia sanctior est, v. g. propior altari, &c. Ita S. Antoninus 2. p. t. 1. cap. 5. parag. 22. Suarez c. 14. num. 22. Sylvester & alii, contra alios, existimantes id simoniacum non esse, quamvis fateantur, optandum esse ut mutetur hæc clericorum agendi ratio, utpote quæ redoleat avaritiam ejusque suspicionem.

vel sponte oblatum v. g. recitare officium principaliter propter retributionem?

Resp. Affirm. Ita multi, præsertim Canonistæ: nam tunc temporale moraliter loquendo se habet æquivalenter ut pretium, & expetitur loco spiritualis, & res spiritualis moraliter loquendo temporali æquatur, aut postponitur, in quo præcipue ratio simoniæ consistit. Idque mortale est juxta S. Antonin. 2. part. tit. 3. cap. 5. Legatur D. Thom. Quodlib. 8. quæst. 6. art. 1. Distributiones autem quotidianæ institutæ sunt, ut clericorum negligentia in horis solemniter persolvendis earum privatione mulctetur, & hujus pœnæ metu impediretur: unde se habent ut removens impedimentum, non ut motivum persolvendi officium.

Quæst. XII. An est simonia dare, vel accipere pretium pro omissione actus spiritualis?

Resp. Affirm. Si omissio moraliter censeatur procedere a potestate spirituali, & habeat effectum moralem, ex cap. 14. *de Simon.* ut si v. g. omittas absolvere a censura, vel a peccatis post auditam confessionem, vel si præciscaris, ut non eligas talem. Si vero omissio actus spiritualis non censeatur in æstimatione prudenti exercitium potestatis spiritualis, neque intuitu rei spiritualis æstimetur, multi docent non esse simoniam, sed turpe lucrum, aut injustitiam, si actus erat jure debitus: ut si accipias pecuniam, ut non audias confessionem alterius. Est tamen in hoc quædam turpitudo simoniæ affinis, inquit Lessius: quia tacite indicatur actum spiritualem esse vendibilem, quod in ejus injuriam cedit.

Quæst. XIII. Quot modis committitur simonia in materia beneficiali?

Resp. 1. Simonia juris divini est promittere, dare, vel accipere aliquid pretio æstimabile pro collatione, electione, præsentatione, confirmatione ad beneficium, & generaliter pro quavis actione, qua jus etiam inchoatum ad illud acquiritur, vel qua dubium confirmatur. Quia res spiritualis commutatur cum temporali, & per temporale acquiritur spirituale. Hinc simonia est pensionem super beneficio dare, vel promittere mutuum. Immo simoniacum est aliquid exigere pro immissione, seu introductione in possessionem beneficii, vel installatione, ex cap. 9. & 36. *de Simon.* Nam per hoc acquiritur jus quoddam spirituale, nempe administratio, aut saltem aliquid connexum cum exercitio juris spiritualis. Item simonia est dare, vel promittere aliquid alteri, ut per se, vel per alium obsecret, aut curet, ut detur beneficium, c. *Præsentium* 1. quæst. 3. quia munere temporali intenditur ob-

tentio beneficii, & paratur via ad beneficium; eoque medio comparatur.

Resp. 2. Simoniaca est, & nulla saltem jure ecclesiastico non solum permutatio beneficiorum, & cujuslibet juris beneficia spectantis, sed etiam omnis in beneficiis conventio, pactio, vel conditio, quæ obligat ad id, quod non est jure debitum, si fiat privata auctoritate. Item resignatio sub conditione, pacto, vel onere, quod de jure inest beneficio, facta sine auctoritate Papæ, ex capit. 4. *de Simon.* & ex capit. 5. *de rer. permutat.* & capit. ult. *de pactis*. Hinc simoniaca, & nulla est omnis transactio, cessio beneficii, vel juris etiam dubii circa beneficium non gratuita, propria auctoritate facta, cap. 8. *de transact.* Item pactio ad impediendam, vel dirimendam litem super beneficio, si ita fiat, ut unus litigantium cedat juri suo pro pecunia, & alteri beneficium pacificum relinquat; nam in ea permutatur spirituale pro temporali compensando spirituale per temporale. Vel ut unus desistat modo alter solvat impensas factas, capit. 4. *de pactis*. Nam hæc impensarum solutio vel habet rationem pretii pro adeptione beneficii, cum non fuerint factæ in gratiam alterius, vel saltem suspecta est inter privatos. Licite tamen inter litigantes fit compositio per sententiam judicis ordinarii, vel delegati, vel etiam arbitrorum Ecclesiasticorum a Superiore deputatorum pro ineunda concordia, qui accedente partium consensu, & compromisso, adjudicent beneficium illi, cujus jus est probabilius, eique imponant pendendam alteri pecuniam certam, non in compensationem juris, sed ob bonum temporale pacis, & ut a lite recedatur cap. 2. *de arbitr.* Potest etiam in hoc casu ei, cui beneficium adjudicatur, imponi persolvenda annua pensio, imposita non beneficio, sed beneficiato, & ad hujus vitam, c. 21. *de præb.* Secus tamen est, si hæc compositio fiat privata partium auctoritate, etiam sub conditione, quod approbetur a Superiore. 2. Simoniacum est pactum reparandi Ecclesiam, dandi aliquid fabricæ, vel pauperibus &c. ad obtinendum beneficium, c. *Ex multis* 1. q. 3. nam est onus, quod jure non inest beneficio. 3. Idem dic non solum si beneficia permutentur sine auctoritate Ordinarii, sed etiam si permutantes compensent auctoritate propria inæqualitatem fructuum pecunia, vel pensione; aut si unus illorum alteri imponat aliquod onus, quod sit præter naturam permutationis, v. gr. omnes sumptus solvendo. Item si permutentur jura quælibet ad beneficia, vel actiones ad illa pertinentes, ut si unus cedat suæ præsentationi, ut alter sibi conferat aliam. Ex his intelligere potes, quid sentiendum sit de om-

de omnibus spiritualibus, quæ habent temporale annexum consequenter, etiamsi proprie, & in rigore non sint beneficia, qualis, v. g. Vicaria amovibilis ad nutum; Prælatura Religiosorum, licet non perpetua. 4. Simoniaca est omnis resignatio in favorem alterius; vel cum reservatione pensionis, facta sine auctoritate Papæ, ex tit. *Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*. Et constat ex usu, & praxi Ecclesiæ, & ita declaravit Concil. Rothomag. ann. 1581. & Bituric. ann. 1584.

Sed an in beneficiis conventio de remuneratione qualibet gratuita, seu obligatione dandi aliquid ex gratitudine sive temporali, sive spirituali est vere simonia?

Resp. Affirm. Tum quia omnis conventio, seu pactio in hac materia prohibita sunt, ut simoniaca. Tum quia hæc conventio ex se parit novam obligationem fidelitatis, & justitiæ pretio æstimabilem, obligationi gratitudini superadditam: proindeque tunc fit contractus, *do ut des*, vel *do, ut facias* ita communiter.

Nota 1. Præbendæ Canonistarum sunt materia simoniæ, ut resolvit Sac. Congreg. Cardin. ann. 1691. Nam videntur esse vera beneficia (licet non clericalia) propter jus perpetuum auctoritate Ecclesiæ constitutum, seu approbatum, percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, seu Deo dicatis, propter officium spirituale. 2. Ex Extravag. *Ambitiosæ* non licet locare fructus beneficii, vel monasterii ultra triennium. Sed juxta multos non est hæc restrictio in plerisque locis recepta; proindeque dicunt posse locari etiam ad tempus vitæ beneficiati. Porro id non fuit prohibitum ob periculum simoniæ; sed ne noceatur Ecclesiis, & successoribus.

Quæst. XIV. An est simonia dare, vel procurare beneficium ratione consanguinitatis?

Resp. Affirm. Si conferas, vel procures beneficium consanguineo, aut affini, ut inde honoratior, vel potentior, vel opulentior fias, aut tua familia. Item si beneficium procures extraneo, ut consulat tuis consanguineis, aut affinibus. Nam tunc datur spirituale intuitu commodi temporalis percipiendi. Div. Thom. in 4. dist. 25. q. 3. ad 7. Secus si gratis beneficium conferas, vel procures: illicita tamen est hujusmodi collatio, vel procuratio. Ita D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 5. ad 2.

Quæst. XV. An est simonia conferre, vel præsentare ad beneficium ob commendationem amici?

Resp. Affirm. Si favor humanus in eo principaliter intendatur: nam talis favor pretio æstimabilis est. Ita S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 5. ad 3.

Quæst. XVI. An licet (37) emere, vel redimere pensionem?

Resp. Ex communi sententia simonia est emere, aut vendere pensionem assignatam pro aliquo officio spirituali, v. g. pro Adjutore Episcopi, Concionatore &c. aut soli clerico concessam, sive in sustentationem, sive ad litem componendam, aut fructuum inæqualitatem compensandam in beneficiis. Nam pensiones illæ nil aliud sunt, quam Jus percipiendi fructus Ecclesiasticos medio officio spirituali. Cum autem hoc officium sit invendibile, ita & jus percipiendi fructus illos ab eo est inseparabile. Neque hæ pensiones redimi possunt, nisi tollatur spiritua-

le,

---

(37) Causæ a simonia excusantes sex recenseri solent; nempe 1. Liberalitas, seu gratitudo. 2. Stipendium & debita sustentatio. 3. Labor 4. Amissio commodi temporalis quo quis se privat faciendo opus spirituale. 5. Consuetudo legitima. 6. Redemptio vexationis injustæ.

Itaque 1. Gratuita donatio excusat a simonia. Ratio est, quia, quod omnino gratis datur, nec datur per modum pretii, nec ea intentione ut is cui fit donum temporale ad alterius doni refusionem incitetur.

Excusat 2. Titulus stipendii immunis ab omni simoniaca & injusta exactione, & pactione, & legitimæ sustentationis. „ quis „ enim militat, suis stipendiis „ unquam . . . . . quis pascit „ gregem, & de lacte gregis non „ manducat “? 1. Cor. 9. 3. Excusat labor: sed labor iste duplex est, intrinsecus nempe & extrinsecus, de quo consule Auctorem nostrum quæst. IX. resp. 3. 4. Excusat a simonia, sicut ab usura, lucrum cessans & damnum emergens: hinc simoniæ labem non contrahit, qui accipit pecuniam, non quidem ut alteri beneficium procuret, sed ut suum compenset laborem in scribendo, iter agendo, &c. hæc enim sunt pretio æstimabilia. At in hoc laboris solius, non autem beneficii aut laboris eventus, habenda est ratio, ut fatentur Doctores asserentes, simoniam admitti ab eo qui tradit alteri pecuniam, eumque promissis aut muneribus impellit, ut pro se beneficium a collatore postulet.

5. Excusat consuetudo legitima & laudabilis, qualis reputatur quæ ex pietate & liberalitate populorum orta est; quod enim ex tali consuetudine datur, non in pretium rei spiritualis datur, sed per modum oblationis & stipendii. Sed hic duo notanda sunt. 1. Nullam consuetudinem excusare a simonia jure naturali prohibita. 2. Non facile & temere præsumendum esse, simoniam jure positivo humano inductam, per non usum, vel per usum contrarium sublatam esse; sed videndum quid servent confessarii, Doctores, Prælati, & præsertim quid ferat curiæ Romanæ stylus.

6. Excusat redemptio injustæ vexationis quam scilicet patiuntur ii, qui vi aut alia iniquitate impediuntur a consecutione boni spiritualis in quo jus habent; ii enim si pecunia, aut muneribus ab hac vexatione se redimant, a peccato immunes sunt, quando occurrunt conditiones quas Auctor tradit q. XVII. resp. 1. & 2.

le, quod tolli non potest, nisi a Papa, a quo constitutum est. Secus de laicali pensione, quia talis pensio est quid mere temporale.

Quæst. XVII. An redemptio vexationis licita est in beneficiis?

Resp. 1. Simonia est redimere vexationem, seu oppositionem non injustam ad obtinendum beneficium. Ita omnes teste Suarez. Quia via per pecuniam directe pararetur ad beneficium; & media re temporali acquireretur spirituale, sin immediate, saltem mediate, etiamsi habeatur jus aliquod ad illud non omnino firmum, quia sic pretio jus firmum emeretur, quod non antea habebatur, quod est saltem ex parte emere jus spirituale. Immo ob eamdem rationem ex communi sententia, quando jus in re nondum est acquisitum, aut necdum plenum, non licet redimere vexationem injustam ab iis, ad quos spectat eligere, conferre, instituere, confirmare, præsentare, ex cap. 23. *de Simon.* Licet tamen vexationem iniquam redimere ab iis, qui solum impedire possunt; non juvare. Quia hac redemptione solum removentur impedimenta injuste apposita.

Resp. 2. Habenti jus in re acquisitum in beneficio plenum, ac certum, licet pretio, non tamen re spirituali, vexationem injustam redimere, & impedimenta injusta removere, ex cap. 28. quia non datur pretium pro re spirituali, cum hæc jam habeatur, sed solum pro liberatione ab injuria, quæ est quid temporale. An vero jam confirmato, vel instituto liceat pretio redimere vexationem, qua injuste impeditur a possessione capienda, controvertitur. Alii negant, quia possessio est aliquid spirituale, vel spirituali annexum, cum per illam obtineatur exercitium functionum, seu actuum spiritualium. Alii asserunt, quia possessio præcise sumpta, supposito titulo est factum quoddam corporale, quod non dat, sed supponit jus spirituale completum: nec est spiritualis, nisi ratione tituli, seu juris, cui annexa est. Et vero beneficium collatum, & acceptatum dat plenum jus in re, ita ut si sic provisus moriatur ante captam possessionem beneficium vacet per mortem. Jamvero ex S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 3. *Postquam jus jam acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere.*

Resp. 3. Simonia est redimere justam vexationem post obtentum, & possessum beneficium. In hoc enim casu jus in beneficio non est omnino certum, vel auferri potest. Vel si sit omnino firmum, necesse est, ut aliquod crimen sit patratum, propter quod beneficio ille esset privandus, & tunc pretio temporali emeretur conservatio rei spiritualis.

Resp. 4. Semper est simoniacum dare spirituale ad redimendam vexationem injustam, etiam post obtentum beneficium, item dare beneficium cum pacto, ne is, cui datur, in posterum vexet, vel noceat etiam injuste. Quia tunc spirituale datur pro temporali commodo.

Quæst. XVIII. An est simonia, saltem mentalis, suscipere Ordines, ut beneficium obtineatur principaliter ob ejus redditus?

Resp. Affirm. Quia in re spirituali viam sibi parat ad bonum temporale principaliter intentum; & ipsum spirituale, ut medium ad obtinendum temporale principaliter refert; atque ita suo agendi modo temporale spirituali æquiparat, aut etiam præfert. Ex Synod. Excestriensi ann. 1287. canon. 8. ex Fagn. in capit. *Ad nostram* de elect.

Quæst. XIX. An licet dare, vel promittere aliquid temporale alteri, ut faciat aliquod opus salutare in suam utilitatem v. gr. suscipiat Sacramenta, audiat Sacrum? &c.

Resp. 1. Licet, modo nulla imponatur obligatio illud faciendi. Quia tunc est solum donatio liberalis, facta ad alliciendum alterum ad bonum opus, sine obligatione mutua, & pacto oneroso.

Resp. 2. Simonia est dare, vel promittere temporale sub pacto, & conditione, ut alter obligatus sit ad faciendum opus bonum &c. ex cap. *Quam pio*, 1. q. 2. Patet ex præced. resp.

Quæst. XX. An accepta per Simoniam restitui debeant?

Resp. 1. Beneficia, Dignitates, Officia, (38) & alia ejusmodi simoniace accepta non possunt in conscientia reti-

(38) Quamvis juxta multos, pensio simoniace accepta, & acquisita dimitti non debeat: tamen alii censent, restituendi onus, non beneficiariis solum imponi a jure, sed & iis etiam omnibus qui rem quamcumque ecclesiasticam simoniace recipiunt; atque id probant ex capite, *Ea qua* 5. caus. 1. q. 3. Ita Habert. Et hoc valde probabile esse docet Bonacina ipse, qui contrariam opinionem amplectitur: unde infert Garzias part. 5. c. 9. n. 9. juris patronatus venditionem invalidam esse, illudque debere restitui. Idem allibi dicit de pensionibus.

Jamvero mediatores simoniæ commissæ in beneficio tenentur, si beneficiarius impar sit restituendo, non solum ad accepti pretii restitutionem, ut per se patet, sed etiam ad restitutionem fructuum quos beneficiarius accepit, vel non percepit sua culpa: mediatores enim sunt causa & cooperatores damni.

retineri, sed dimitti debent cum omnibus fructibus ante Judicis sententiam. Ex consensu Doctorum, sensu ac usu Ecclesiæ, ex cap. *Si quis datur*; & cap. *Ea quæ*, 1. q. 3. & aliis juribus citandis. Nam sine titulo justo possidentur, cum omnis collatio, provisio, & pactio simoniaca irrita sit, & nulla, saltem jure Ecclesiast. cap. ult. *de pactis*, & proinde careat omni effectu, nullumque jus tribuat, ut declaravit Martinus V. in Concil. Const. sess. 43. approbante. Idem declarat Paulus II. in Extravag. *Cum detestabile de Simon.* confirmata a Pio V. Videat. S. Thom. 2. 2. q. 100. artic. 6. Quod verum est, etiamsi simonia ipso proviso inscio commissa sit, nisi quis, ut eum inhabilem redderet, pecuniam dederit, vel ipse de simonia suspicans expresse contradixerit, capit. 27. & cap. 33. *de Simon.* Immo si sciens tertii simoniam in procurando tibi beneficio, illud admisisti; nulla est tua provisio, quamvis contradixeris, ut docent Suarez, Regin. Lessius, & alii. Quia acceptando cooperatus es executioni simoniæ cognitæ. Item si pecuniam ab alio promissam solveris, vel solutam reddideris, quamvis simoniæ contradixeris, vel eam ante acceptationem ignoraveris, ex cap. *Sicut tuis*, 33. cit. *de Simon.* Nam solutio illa pecuniæ, & consensus ille est moraliter pars contractus simoniaci. Secundum varios, ignoranti simoniam ab alio commissam non favet regula Cancellariæ, de triennii possessione ad præscriptionem; quia expresse exigit, ut possessio sit *absque simoniaco ingressu*. Secus docent multi alii, quia illa verba, *absque &c.* videntur in rigore requirere, ut simonia se teneat ex parte ingredientis beneficium, quod non evenit in casu proposito. Verum consuli debet usus Curiæ Romanæ. Porro ad nullitatem provisionis, & beneficii relinquendi, ejusque fructus restituendi obligationem sufficit simonia conventionalis occulta, & mixta, seu semirealis, quando nempe beneficium, vel officium datum est nondum dato pretio promisso; tunc enim provisio, & acquisitio est vere simoniaca, ideoque nulla. Nam ex juribus ad nullitatem sufficit, quod provisio sit simoniaca, ut satis patet ex cit. Const. Martini V. & ex Extravag. *Cum detestabile*, & ex can. *Et quæ* I. q. 3. Curiæ Romanæ consulendus est stylus. Si tamen acceptum sit beneficium nondum dato pretio; hoc non debet solvi: quia simonia fieret realis completa ex utraque parte, & sic contraheretur excommunicatio.

Resp. 2. Reliquiæ sacræ si vendantur, contractus est nullus. Quare restituto pretio restitui debent tamquam sub causa, & conditione acquirendi pretii. Si vero fundus propter jus patronatus ei annexum, vel sacra vasa pro-

pter

pter consecrationem carius vendantur, contractum esse validum censet Layman: quia spirituale est tantum accessorium his rebus; sed restitui debet excessus pretii, utpote sine titulo acceptus.

Resp. 3. Pretium, seu quodvis temporale simoniace acceptum, restitui debet etiam jure divino naturali. Nam qui dedit pretium, habet jus, ut res spiritualis gratis conferatur sibi, saltem ex hypothesi, quod detur, cum Deus dederit omnibus jus res spirituales obtinendi gratis, ex Matth. 10. proindeque pretium est contra jus dantis, injusteque acceptum est; unde debet restitui, can. *6. Si quis dator*, 1. q. 3. Hinc Alexand. VII. damnavit hanc propositionem. „ Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia pecunia interveniente non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur. "

Resp. 4. Si simonia sit realis in materia beneficiali, simoniace accepta debent restitui Ecclesiæ, in qua est beneficium, vel pauperibus loci etiam ante omnem sententiam, ex cap. 11. *de Simon.* Et est communis sententia. Sed si simonia (39) non sit in beneficiali materia, juxta multos accepta restitui debent ei, qui dedit; quia jure naturali res reddi debet ei, qui habet ejus dominium, nisi lex in pœnam ei reddi vetet: & cap. 19. *de Simon.* præcipitur reddi pecuniam ei, qui Religionem simoniace fuerat ingressus.

Nota. Qui dant, vel accipiunt, aut promittunt aliquid pro aliqua justitia, vel gratia apud Sedem Apostolicam obtinenda incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ reservatam; & justitia, vel gratia sic accepta nulla est, quamvis nondum completa sit promissio. Patet ex Extrav. *de sentent. excomm.* in *6.* innovata per Bullam 24. Gregorii XIII. Sed an simonia (40) mentalis ad restitutio-

(39) Similiter restitutio facienda est ipsi danti, quando beneficium necdum est collatum, non obstante quod simoniaca turpitudo 1. Versetur ex parte tam recipientis quam dantis, ut Doctores communiter colligunt ex cap. *Dilectus*. Multo magis restituendum est ipsi danti, si solum simonia intervenerit ex parte accipientis: cap. *Veniens* de *Sim*, ubi exactum Professionis intuitu, & datum ab eo qui licitam existimabat consuetudinem exigendi; ei restitui jubetur.

(40) In hoc negotio perpendendum est, an simonia mentalis injusta sit, an sit solum irreligiosa. Primam restitutioni obnoxiam esse, proindeque simoniace & injuste simul comparata

tionem obligat? Multi negant ex can. 46. *de Simon.* & ex S. Thoma 2. 2. q. 100. art. 6. ad 6. Dicunt autem talem esse usum Rotæ, & Pœnitentiariæ; adduntque Ecclesiam non irritare collationem beneficii, nisi simonia sit externa saltem implicite: nam Ecclesia non punit actus mere internos.

Quæst. XXI. Quænam sunt pœnæ contra simoniacos ipso facto latæ?

Nota 1. Nulla pœna ipso jure lata est contra simoniam, nisi ea commissa sit vel in Ordinatione, vel in Religionis ingressu, aut professione, in Ordinatione, aut beneficio, quo nomine comprehenduntur etiam officia quælibet jurisdictionem spiritualem habentia, ut Provincialatus, Prioratus, Guardianatus &c. Extrav. *Cum detestabile de Simon.* Quia in his tribus ob honores, dignitates, vel commoda temporalia frequentius committuntur, aut saltem majus est periculum. 2. Licet quælibet simonia etiam mentalis sit grave crimen, tamen consentiunt Doctores, nullam pœnam contrahi ob simoniam mentalem, ex cap. 46. cit. Neque etiam ob simoniam mere conventionalem, excepta confidentiali, ex Extrav. 1. & 2. & ex can. 1. q. 1. & ideo consentiunt nullam pœnam contrahi ob simoniam mixtam, seu semirealem. Nam donec res spiritualis acquiratur, non censetur plene consummata exterius simonia. An vero contrahantur pœnæ canonicæ si traditum sit beneficium, vel res spiritualis, licet pretium promissum nulla ex parte fuerit solutum, controvertitur. Toletus, & alii asserunt, quia simonia videtur completa exterius, sicuti contractus venditionis censetur completus, si res sit tradita, & pretium promissum, etsi nondum solutum. Alii nunc communius docent solam simoniam realem utrinque completam traditione rei spiritualis simul, & pretii, aut partis pretii inducere pœnas juris: nam juxta multos hæc est praxis Curiæ Romanæ & insuper pœnæ juris, præsertim graves impositæ pro aliquo actu, intelliguntur de actu perfecte completo, nisi lex aliud exprimat, ex reg. jur. *Odia sunt restringenda*. At secus est de nullitate provisionis, ut jam diximus.

Dixi, *aut partis pretii*. Nam si re spirituali tradita pro-

rata restituenda esse, & quidem jure naturali, ab omnibus admitti debet; cum certum sit apud omnes, justitiæ commutativæ violationem inducere onus restituendi.

Secundam non esse obnoxiam restitutioni, probabile est, & fundatum, saltem ex qua parte tenet, simoniam mentalem ad restitutionem non obligare, ut etiam Auctor sentire, & probare hoc loco videtur.

promissi pretii pars aliqua soluta fuerit, tunc secundum omnes contrahuntur pœnæ. Quia tunc vere temporale traditum est pro spirituali, & vice versa.

Resp. 1. Pœnæ simoniæ (41) in beneficiis, & officiis spiritualibus sunt 1. Excommunicatio Papæ reservata, quam ipso facto incurrunt tum simoniace eligentes, præsentantes, instituentes; tum sic electi, præsentati, instituti; item mediatores, & procuratores simoniacæ ordinationis, aut collationis beneficii secutæ. Ex Extravag. 1. *Cum detestabile* & alibi. 2. Omnis simoniaca electio, præsentatio, resignatio, provisio, collatio irrita est, nullumque jus tribuit ibid. & ex Conc. Const. supr. cit. Idque, ut dixi, etiamsi simonia sit solum conventionalis mixta. 3. Simoniace electus, vel provisus fit ipso facto inhabilis ad idem beneficium, nec potest illud Episcopi dispensatione obtinere, cap. 27. *de Simon.* & cap. penult. *de elect.* ubi excipitur, si sit beneficium simplex, & ipso electo ignorante, nec ratam habente simoniam commissam; tunc enim post puram resignationem potest Episcopus dispensare. Immo ex Bul. 5. Sancti Pii V. simoniacus fit etiam inhabilis ad quascumque alias dignitates, & quæcumque (42) alia beneficia obtinenda. Has autem pœnas ex communi sententia incurrunt etiam propria auctoritate beneficia permutantes, quod ii in jure dicantur simoniaci, & vere committant simoniam juris ecclesiastici. Item simonia realis in prælaturis Regularium easdem pœnas inducit ex Extravag. *Cum detestabile de Simon.* & ex Bul. supr. cit. Martini V.

Resp. 2. Pœnæ simoniæ confidentiæ ex Bul. 85. Pii IV. & 85. Pii V. sunt. 1. Excommunicatio Papæ reservata contra utrumque contrahentem, si sint inferiores Episcopis; nam hi incurrunt solum interdictum ab ingressu Ecclesiæ. 2. Privatio beneficii per confidentiam obtenti, & quidem ante omnem sententiam. 3. Inhabilitas ad idem beneficium, & alia acquirenda. 4. Pri-

(41) Nomine beneficii, cujus occasione incurritur excommunicatio Papæ reservata non intelligitur pensio: unde qui eam dant aut accipiunt simoniace, huic censuræ non subjacent, quia pensio non est beneficium: & pœnæ non sunt ultra canones in jure expressos ampliandæ. Ita Cabasut. Idem dicit Bonacina de Vicaria temporanea, quia nec ipsa est beneficium.

(42) At simonia non privat etiam ab iis beneficiis rite antea obtentis: quia hæc pœna nullibi in jure exprimitur: ut quæcumque post excommunicationem simonia invectam, beneficia, nec dum obtenta dispensatione, ac rehabilitatione a Pontifice nullatenus retineri possunt.

4. Privatio beneficiorum, (43) antea legitime possessorum, & pensionum prius obtentarum; non tamen juxta multos ante declaratoriam judicis sententiam, cum justo titulo possideantur; & dicunt ita esse usu receptum. 5. Beneficia per confidentiam collata, & accepta reservata sunt Papæ: fructus vero beneficiorum per confidentiam acquisitorum, & pensionum sic constitutarum reservantur Cameræ Apostolicæ.

Nota 1. Ut contrahantur hæ pœnæ, requiritur, ut datum sit, & acceptum beneficium; ut patet ex Bul. Pii IV. Non tamen necesse est, ut, qui beneficium accepit, pretium promissum solverit, vel beneficium alteri resignaverit, vel pensionem solverit, aut fructus beneficii ab alio recipi permiserit. Nam hoc specialiter statutum est contra hanc simoniam. Immo has pœnas incurrit beneficium recipiens, qui novit intentionem confidentiariam dimittentis, quamvis recipiat sine tali intentione, ex Bull. Pii V. 2. Soli recipientes per confidentiam privantur beneficiis, & pensionibus antea legitime acquisitis: resignantes autem, aut cooperantes incurrunt excommunicationem Papalem tantum, jure antiquo latam, si confidentiaria pactio sit ex utraque parte completa.

Resp. 3. Pœnæ simoniæ in Ordinatione sunt: 1. Excommunicatio Papæ reservata ipso facto contracta tam ab Ordinante, quam ab Ordinato, Extravag. *Cum detestabile*, quod multi extendunt ad primam tonsuram, ex capit. 11. *de ætat. præfic.* 2. Ordinatus suspensus est ab ordinibus non solum simoniace susceptis, verum etiam ab aliis, ibid. Ordinans vero suspensus est per triennium a collatione omnium Ordinum, ex cap. 45. *de Simon.* Per Bull. vero Sixti V. *Sanctum* suspensus est a collatione omnium Ordinum, etiam Tonsuræ, ab executione omnium Pontificalium, & interdictus ab ingressu Ecclesiæ. Sed

(43) Hic autem notanda hæc sunt: 1. Excommunicationem aliasque pœnas incurri etiam per confidentiam conventionalem, modo una ex parte ad executionem venerit; in quo confidentia gravius punitur quam alia quævis simonia in beneficiis. Ita Cabasut. & alii communiter. 2. Eisdem subjici pœnis confidentiariam pensionis ecclesiasticæ receptionem, quibus subjacet beneficii receptio; ita ex Bulla Pii IV. 3. Ex hoc verbo, *receperint*, quo utitur Bulla concludit Bonacina disp. 2. q. 1. p. 1. eos qui resignant sub confidentia non incurrere prædictas pœnas, quia non recipiunt, sed tradunt; idem docet Cabasutius: hoc autem ideo forte factum est quia homines ad recipiendum procliviores sunt quam ad dandum.

Sed dicunt hanc Bullam non esse usu receptam in plerisque locis. Qui autem nec sciens, nec volens simoniace ordinatus est secundum S. Thom. quæst. 100. artic. 6. ad 3. & alios non potest sine dispensatione Ordines exercere.

Resp. 4. Pœnæ simoniæ commissæ circa ingressum Religionis, & professionem sunt : 1. Excommunicatio lata contra personas singulares dantes, & accipientes. 2. Suspensio ab Officiis Capitularibus lata in Conventum, si consenserit. Utraque pœna ipso facto contrahitur, & Papæ reservatur, Extravag. *Sane de Simon.* 3. Simoniace scienter professus in aliud arctius monasterium in pœnam criminis detrudi debet, capit. 25. *de Simon.*

TRA-

TRACTATUS DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

HÆC materia pertinet ad virtutem Religionis: nam beneficii dotatio, & officium sunt actus Religionis, & pacta circa illud vetita sunt simoniaca.

Quæst. I. Quid est beneficium Ecclesiasticum?

Resp. *Est jus perpetuum* (hoc est, institutum, ut semper duret; unde Vicaria amovibilis non est proprie beneficium) *auctoritate Ecclesiæ* (hoc est Papæ, vel Episcopi, ad quos solos pertinet officia spiritualia instituere, eisque proventus annectere: hinc Capellaniæ a privatis, licet in perpetuum dotatæ pro Missarum celebratione, non sunt beneficia) *constitutum percipiendi fructus* (non autem fundus, qui semper remanet Ecclesiæ, cujus bona immobilia alienari non possunt sine justa causa, & licentia Papæ, alioquin alienatio ipso jure irrita est) *ex bonis Ecclesiasticis* (idest ad Dei cultum donatis, ex quibus erecta sunt beneficia) *propter officium spirituale*, hoc est ad functiones, seu actiones aliquas spirituales obeundas, quales sunt recitare horas canonicas, facere Sacrum, administrare Sacramenta &c. ex Concil. Trid. sess. 2. cap. 3. & cap. ult. de reserv. in 6.

Quæst. II. Quotuplex est beneficium?

Resp. Dividitur 1. in beneficium sæculare, quod Clericis sæcularibus: & in regulare, (1) quod Regularibus addi-

(1) Circa hanc divisionem, proponuntur sequentes regulæ cum suis exceptionibus. 1. Beneficium præsumitur sæculare, nisi probetur esse regulare, vel ex litteris fundationis, seu erectionis, vel ex continua & pacifica possessione ab uno vel pluribus beneficiariis per annos 40. cap. 6. *de Præb.* Hæc tamen regula locum non habet, cum beneficium regulare uni vel pluribus sæcularibus in commendam datum est. 2. Beneficia sæcularia a Regularibus possideri possunt, cum promoventur ad Episcopatum. Regularia vero a sæcularibus possideri possunt. 1. Si sæculares Religionem a qua pendet beneficium amplecti velint; 2. Si beneficium regulare detur in commendam sæculari.

Præterea beneficium regulare dividitur in *simplex*, ut est Prioratus quem simplicem vocant, & Canonicatus Regularis; & in *duplex*, ut Abbatia, & Prioratus tum conventualis tum claustralis: ille constituit hominem totius cœnobii superiorem; iste vero subest Abbati, & ab eo constituitur, ac pro nutu revocatur.

addictum est, & conferri debet. 2. In simplex, quod nullam habet annexam curam animarum, jurisdictionem, praeminentiam, dignitatem, administrationem, sed solum obligationem recitandi Officium divinum, & Missam celebrandi; ut Capellania, Canonicatus, item Praestimonium, quod est portio ex Ecclesiasticis proventibus detracta, & adolescentibus studiorum causa collata in titulum perpetuum, habetque annexum Officium spirituale: & duplex, quod aliquod ex praedictis annexum habet, ut Episcopatus, Parochiale beneficium, Abbatia, Praepositura, Cantoria &c. 3. in Manuale, quod potest ad Collatoris nutum auferri, ideoque deficit a proprietate beneficii ratione perpetuitatis; & in non manuale, quod adimi nequit, nisi ob crimen, vel irregularitatem. 4. In collativum, quod confertur per voluntatem absolutam, & liberam Praelati, in patronatum, quod confertur a Praelato ad praesentationem, vel nominationem factam per Patronum; & electivum, quod per suffragia electorum, accedente postea confirmatione, confertur. 5. In titulare, quod scilicet ad vitam, & cum plenitudine juris confertur; & in commendatum, quod solius administrationis, & custodiae causa datur. Quod si detur in vitam Commendatarii; tunc omnia fere jura ei competunt, quae titularibus. Unde commenda perpetua aequivalet beneficio in titulum dato. 6. In incompatibilia, quae annexam habent curam animarum, vel quae personalem residentiam postulant, ut sunt duo Episcopatus, duo curata beneficia, duae dignitates &c. vel quae in eadem Ecclesia instituta sunt ad eumdem finem, habentque idem onus, ac Officium eodem tempore persolvendum; qualia sunt v. g. duo canonicatus in eadem Ecclesia; & compatibilia, quae contrario modo se habent.

Quaest. III. Quot modis acquiruntur beneficia?

Resp. sex modis, 1. Collatione libera. 2. Praesentatione, & subsequa institutione. 3. Electione, & subsequa confirmatione. 4. Postulatione, & subsequa admissione. 5. Resignatione acceptata in favorem. 6. Permutatione approbata. Sex illis modis addi potest interdum sola electione jus habentium absque alia confirmatione; & tunc dicuntur beneficia electiva collativa, alia autem confirmativa. Observanda est hic regula Cancellariae de triennali possessore, quae statuit, „ ut si quis quaecumque beneficia „ ecclesiastica, qualiacumque sint, absque simoniaco in„ gressu, ex Apostolica, aut ordinaria collatione, aut ele„ ctione per triennium pacifice possederit, si se non in„ truserit, super hujusmodi beneficiis molestari nequeat; „ nec non impetrationes de beneficiis sic possessis factas,

„ irri-

„ irritas, & inanes censeri decrevit." Valet autem in utroque foro ex *Clement. de sequest.* quia Papa supplet id, quod deest ex justo titulo. Sed ad hoc requiritur titulus saltem coloratus, & capacitas possessoris, alioquin haberetur pro intruso. Secus est, si provisus habuerit impedimentum sibi cognitum, cum ei collatum est beneficium; v. g. defectum ætatis, censuram &c. etsi titulum coloratum habuerit, quia non possedit bona fide.

§. I.

De libera Collatione.

1. COllatio libera est concessio juris in beneficio realis, procedens ex mero arbitrio conferentis. Dicitur libera, ut distinguatur ab institutione, & confirmatione, quæ sunt quidem concessiones Juris, sed non liberæ.

2. Jure communi Episcopus (2) habet potestatem conferendi beneficia in Diœcesi sua vacantia. Hanc habere possunt etiam alii inferiores, ut Capitulum, Abbates. Si collator beneficii illud conferre neglexerit intra sex menses a die, quo notitiam vacationis habuit, vel si intra illud tempus indigno contulerit, collatio jure devolutionis pertinet ad proximum Superiorem, & sic gradatim ad Papam, a quo non regreditur Ordinario. 3. Licet debeat conferri beneficium pacto, vel conditione, Episcopus tamen potest exigere conditiones, quæ ex natura rei insunt.

§. II.

De Præsentatione, & jure Patronatus.

PRæsentatio est exhibitio personæ cujusdam ad beneficium, legitime facta per Patronum Superiori, ad quem pertinet institutio, quæ est concessio juris realis in bene-

(2) Summus Pontifex, tamquam supremus rerum ecclesiasticarum dispensator, habet jus conferendi beneficia per totam Ecclesiam. Quæ quidem conferre potest tribus modis. Primo jure præventionis, ut cum alicui confert expectativam ad beneficium primo vacaturum. Secundo jure concursus cum Episcopis aliisque collatoribus: quo casu valet collatio ejus qui prius contulit. Tertio jure devolutionis. Quando ex canonum dispositione collatio ad ipsum devolvitur ratione criminis, vel negligentiæ Collatoris, ut etiam Auctor innuit.

beneficio facta ad præsentationem Patroni. Præsentatio vero fieri potest etiam per Laicos, si jus patronatum habeant, cum non det jus in re, sed solum jus ad rem ex Canonum dispositione.

Jus patronatus est potestas præsentandi Clericum ad beneficium vacans; nam si non vacet, irrita est præsentatio, utpote præbens desiderandæ mortis occasionem. Hinc prohibita est promissio beneficii, antequam vacet cap. 2. *de concess. præb.* ex Concil. Lateran. III. Quod si fiat nulla est promissio, perinde ac provisio inde obtenta, ex reg. 22. Cancell. Pluribus (3) modis hoc jus acqui-

(3) Probabilius multi negant ex Tridentino sess. 14. cap. 12. ad acquisitionem patronatus sufficere, dedisse aream in qua Ecclesia constituitur. Si tamen tres simul ad Ecclesiæ fundationem concurrant, primus dando aream, seu solum: secundus Ecclesiam constituendo; tertius dotando, ii omnes in solidum Patroni efficiuntur.

Titulum patronatus ex dotatione Ecclesiæ ortum aliis præstantiorem esse & *firmiorem* communis tenet opinio. Porro tale jus ei qui fundat, dotat, aut construit Ecclesiam acquiritur, *etiamsi non petat, vel in pactum deducat*. Ita Gloss. ad canon. *Si quis Ecclesiam* 10. *de Consecrat.* dist. 1.

Cæterum præter modos ab Auctore nominatos, jus patronatus acquiritur etiam donatione, vel legato patroni. Sed hic quædam notanda sunt: ~~In~~ uno ~~sensu~~ docere canonistas juspatronatus simpliciter vendi; aut cum alio jure ~~temporali~~ commutari non posse: immo si vendatur gleba, seu fundus cui adhæret patronatus, transferri quidem jus ipsum Patronatus, nisi aperte excipiatur, sed venditio fundum afficit, non ipsum patronatum, cujus venditio, quocumque modo fiat, simoniaca est, quia juspatronatus non ita temporale est quin spirituali, juri scilicet præsentandi ad beneficia, annexum sit. 2. Quando juspatronatus transfertur cum universitate bonorum testamento vel emptione, non requiritur consensus Episcopi, cap. *Litteris*, & cap. *Cum secundum*. De jure Patron. Si vero per se transferatur in laicum, puta donatione, vel legato, requiritur licentia Episcopi; quæ non requiritur ex capite un. *de jure Patronat.* in 6. si translatio fiat in locum pium.

Patroni successor non potest mutare naturam, seu conditionem beneficii: quia „ ultima voluntas defuncti modis omnibus conservari debet “, caus. 13. quæst. cap. 4. Immo nequidem fundator ipse, si jam perfecta sit fundatio quidpiam in deterius mutare potest. Potest tamen vel ipse, vel ejus successor novas apponere conditiones quæ Ecclesiæ utiles sint, modo accedat Episcopi consensus, ut docet Panormitan. ibid. & ab Episcopo fieri potest mutatio notabilis, si fundatoris dispositio certa sit & rationabilis. Si dubia sit fundatoris intentio, ejus interpretatio ad Episcopum loci pertinet: si dispositio rationi & Ecclesiæ legibus non congruat, potest & debet Episcopus eidem se opponere, eamque, etiam renitentibus hæredibus, reformare.

Patronatus tribus modis finitur: 1. Cessione. 2. Privatione ex delicto, ut si quis juspatronatus vendere præsumpserit, vel bonorum suorum confiscationem promeruerit. 3. Præscriptione.

acquiritur. 1. Fundatione, seu donatione soli ad superædificandam Ecclesiam: 2. Ipsa Ecclesiæ ædificatione. 3. Dotatione Ecclesiæ: 4. Præscriptione. 5. Concessione Papæ.

Jus Patronatus dividitur in Ecclesiasticum, quod alicui competit ratione beneficii a se possessi, vel fundationis, aut dotationis: & in Laicum, quod alicui competit ratione fundationis Ecclesiæ, vel extructionis, vel dotationis factæ a se vel a suis prædecessoribus. Patrono laico conceduntur ad Præsentationem quatuor menses a notitia vacationis beneficii, sex vero Ecclesiastico. Si intra id tempus Patronus non præsentaverit, tunc potest Episcopus beneficium, cui voluerit, conferre, cap. 3. *de jure Patron.* Quod si duo, pluresque Patroni diversas personas nominent, potest Superior quam illarum maluerit præferre, sed tenetur semper in conscientia digniorem præferre. Si vero plures Patroni in unum consentiant, aliis dissentientibus; tunc, secluso scandalo, præfertur sententia majoris partis cap. 3. *de jure Patron.* Secus, alium pro suo arbitrio, etiam a nullo præsentatum Episcopus instituere potest. Idem dicas, si Patronus laicus duos successive præsentet ante institutionem. Secus de patrono ecclesiastico; nam prior ab ipso præsentatus debet institui, si fuerit dignus, c. 24. *de jure Patron.* alias neuter, quia jure suo pro hac vice excidit, cum Patronus Ecclesiasticus præsumatur nosse digniorem, quem proinde statim nominare debet.

(*) Nota. Circa præsentationem a Patrono Ecclesiastico faciendam ad Parochiales Ecclesias, SS. D. N. Benedict. XIV. Const. quæ incipit, *Reddite nobis*, qua tria ab Archiepiscopo Florentino proposita dubia resolvuntur, statuit. Primo, Patronum Eccl. ad beneficium curatum præsentare debere magis dignum inter approbatos ab Examinatoribus. Secundo, si nullus ex examinatis de judicio quæratur, debere Episcopum præsentato beneficium conferre, nec in Patroni judicium inquirere; secus, si quis ex concurrentibus judicio illi minime acquiescat. Tertio, si is, qui se digniorem existimat, & posthabitus est, appellationem interponat, admittendam esse tantum in devolutivo, at non retardare possessionem præsentati, si judicium Episcopi cum Patroni judicio conveniat; si vero non conveniat, tum si quis ex approbatis ab Examinatoribus, tamquam magis dignus prælectus est a Patrono, putet se gravatum esse ab Episcopo, neque ejus judicio acquiescere vult, & ideo provocat, ejus appellationem ad suspensionis effectum operari debere, & Ecclesiam Parochialem sub OEconomo remanere, donec lis finiatur. Pa-

tronus non potest seipsum præsentare, cap. 25. *de jure Patron.* sed potest filium, si idoneus est: id tamen potest Episcopus. Si Patronus laicus præsentet indignum, jubetur alium dignum præsentare: si Ecclesiasticus, privatur hac vice jure præsentandi.

§. III.

De Electione, Postulatione, & Confirmatione.

Electio est designatio personæ capacis ad Prælaturam, vel beneficium vacans, facta per suffragia. Triplici modo fieri potest ex Concil. Gen. Later. IV. cap. 24. vel per scrutinium, vel per compromissum, vel per inspirationem. Solum jus ad beneficium per electionem acquiritur. Ut autem ipsa valeat, hæc requiruntur. 1. Ut omnes eligentes sint saltem Subdiaconi, si agatur de electione virorum, ex Clem. 2. *de ætat.* & Concil. Trident. sess. 24. cap. 4. 2. Ut vocentur omnes, qui eligendi jus habent, cap. 28. *de elect.* 3. Ut eligatur is, in quem omnes, vel major, vel sanior Capituli pars consentit, ex Concil. Lateran. IV. cap. 24. hoc est, (4) canonicarum regularum omnium de electione observatrix.

Postulatio est facta ab Electoribus Superiori obsecratio, ut ad vacans beneficium, vel dignitatem admittere velit aliquem, qui eligi non poterat ob impedimentum canonicum, quod non est vitium corporis, aut animæ.

Confirmatio est concessio juris in beneficio facta a Superiore ei, qui electus, vel postulatus est. Porro electus debet, secluso impedimento, intra tres menses a notitia electionis acceptatæ petere confirmationem: alioquin electio est irrita, cap. 6. *de elect. in 6.*

§. IV.

(4) Hodie major pars supponitur esse sanior, Van-Espen part. 2. tit. 21. num. 23. Electio, nisi grave obstet impedimentum, intra trimestre fieri debet, si agatur de Prælatura sæculari, aut regulari, cap. 1. *de elect.* si de alio beneficio minori, intra sex menses a die vacationis moraliter notæ; alioqui jus conferendi pro hac vice devolvitur ad immediatum Superiorem, non collatoris negligentis, sed loci in quo situm est beneficium. Devolvitur etiam jus illud ad Superiorem, 1. Si electus electionis tempore qualitates ad beneficium requisitas non habeat; 2. Si eligatur indignus. Quod si pars major elegerit indignum, valet alterius digni electio a minori parte etiam in eodem scrutinio facta.

§. IV.

De Resignatione.

Resignatio est spontanea dimissio sui beneficii facta coram legitimo Superiore eam acceptante, scilicet Papa, vel Episcopo. Duplex est, altera simplex, seu sine ulla apposita conditione, & hæc fieri potest coram Collatore beneficii, & instituente; altera conditionalis, quæ fit, cum aliqua conditione, & hæc iterum duplex est, vel ut beneficium alteri designato conferatur, & dicitur Resignatio in favorem, vel ut resignans a resignatario aliud beneficium accipiat, estque permutatio. Sed operæ pretium est scire, quæ requirantur, ut resignatio sit valida, & licita. Quare

Dico 1. Ut resignatio in favorem, vel sub onere pensionis sit valida, requiritur 1. Ut beneficium sit resignantis. Quod si resignans commiserit delictum, ob quod certo privabitur beneficio, modo non teneatur illud dimittere ante sententiam judicis, resignatio ante illam facta valebit, sed potest postea irritari. 2. Ut sit spontanea, cap. 4. *de iis, quæ vi, metusque causa fiunt*, & cap. 6. *de renunc. & Clem. 2. de Pœnis*. 3. Ut in manu Papæ fiat, can. *Plerisque* 8. q. 1. 4. Requiritur consensus Patroni laici, si beneficium fuerit patronatum. 5. Debet acceptari a Papa; alioqui resignans non perdit jus suum, cap. ult. *de renunc. in c. 6.* Debet conferri beneficium ei, in cujus favorem resignatum est, non alteri, nec aliter. 7. Debet acceptari ab eo, in cujus favorem resignatur. Resignans autem post acceptationem Superioris manet sui beneficii possessor, donec resignatarius possessionem acceperit. 8. Si resignans sit infirmus, debet supervivere secunda die post resignationem; alias censebitur beneficium vacare per obitum, non per resignationem. Ita Regula Cancell. *de Infirmis*. 9. Resignatio facta in Curia Romana intra sex menses a die supplicationis oblatæ computandos, publicari debet in loco beneficii. Si autem fiat causa permutationis extra Curiam, debet publicari intra mensem. Ita Regula Cancellariæ. Hoc autem tempus potest a Papa prorogari ad partis petitionem.

Dico 2. Ut resignatio, etiam simplex sit licita, debet fieri ex justa causa bonum Ecclesiæ, vel spiritualem resignantis utilitatem spectante. Nam Clerici præsertim beneficiarii ratione sui status debent gloriæ Dei, & utilitati Ecclesiæ inservire. Casus, in quibus Episcopi, aliique acceptare possunt resignationes, recensen-

tur a S. Pio V. Const. 58. hisque duobus versibus continentur.

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere posse.

Dico 3. Ut resignatio in favorem sit licita debet insuper fieri ob utilitatem Ecclesiæ; quia scilicet alter judicatur aptior. Nam si resignatio, vel permutatio fiat ob consanguinitatem, vel alium affectum carnalem, est illicita; si vero fiat pro aliquo commodo temporali utriusque, vel alterius, est simoniaca. Porro jure communi non licet in periculo mortis resignare beneficium sub conditione tacita regressus, si convalescat æger, ex Conc. Trid. sess. 25. cap. 7. & ex Bull. 134. S. Pii V.

Dico 4. Ut resignatio, vel permutatio cum reservatione pensionis sit licita, præter consensum Papæ, & Resignatarii, requiritur causa justa, quæ est indigentia Resignantis. Nam ipsa resignatio beneficii non est causa justa pensionis exigendæ, cum jus percipiendi fructus fundetur in officio, quod resignans dimittit, & transfert in alium. Ratione autem officii præteriti nihil potest exigere, cum propter illud jam redditus perceperit. Quapropter non est alia justa causa, nisi prædicta, dispensandi a lege generali hanc reservationem vetante ob rationem allatam a Congregatione Cardinalium ad reformationem Ecclesiæ Deputatorum a Paulo II.

(*) Nota. Vide Constit. Bened. XIV. quæ incipit: *In sublimi Beati Petri Cathedra &c.* editam 4. Kal. Septembris 1741. tom. 1. pag. 71. in qua resignationes beneficiorum cum reservatione pensionis, & pacto eam cassandi per anticipatas, vel anticipandas solutiones, damnantur, & annullantur, adjecta pœna privationis beneficii, inhabilitationis ad alia assequenda, & restitutionis pecuniæ pro cassatione pensionis perceptæ, & irritantur cassationes, & extinctiones pensionum intra sex menses a capta possessione beneficii, ac etiam cessiones commodi exigendi pensiones intra sex menses a capta possessione.

§. V.

De Permutatione.

PErmutatio hic est a beneficiatis facta beneficii sui in manibus Ordinarii mutua resignatio ea lege, quod alterius beneficium alteri conferatur, & vicissim. Si permutan-

mutanda beneficia in diversis diœcesibus sint, requiritur auctoritas utriusque Episcopi. Si autem permutatio fiat cum adjectione oneris, vel pensionis, requiritur auctoritas Papæ. Quod si beneficia sint inæqualia, quoad dignitatem, vel jurisdictionem, est simonia juris divini hanc inæqualitatem compensare per aliquid temporale. Si vero sint inæqualia quoad fructus, Papa potest ad inæqualitatem compensandam imponere pensionem beneficio pinguiori, tanquam conditionem, ut alter indemnis servetur. Ad permutationem eadem requiruntur, quæ supra de resignatione dicta sunt. Quod si permutatione facta, beneficium deprehendatur subjectum liti; qui illud resignavit, debet litem prosequi: si evictum fuerit, alter redibit ad suum sine nova provisione, & sine nova in possessionem immissione, ex cap. 20. *de præb. in 6.*

Ut permutatio licita sit, requiritur justa causa, scilicet id, quod ad justam resignationem requiri paulo antea diximus, ex cap. 5. *de rerum permut.* Ita S. Thom. in 4. dist. 25. quæst. 3. art. 3. ad 8.

Quæst. IV. Quænam conditiones, seu dotes requiruntur, ut quis sit capax beneficii possidendi?

Resp. Ex communi sententia sequentes. 1. Torus (5) legitimus, cap. 1. *de filiis presbyt.* & capit. 10. *de elect.* 2. Clericatus, (6) seu prima Tonsura, sine qua irrita est cujus-

(5) Hic quædam notanda sunt. 1. Illegitimus dispensationem petens exprimere debet, an sit „ ex soluto & soluta, an ex „ soluta & conjugato, an ex „ Sacerdote, vel Monacho, vel „ moniali, &c. “ 2. Recurrere debet ad Datariam, ubi nomen, cognomen, & diœcesis exprimenda sunt; satis tamen fuerit ad Pœnitentiariam recurrere, si defectus natalium omnino occultus sit. 3. Dispensatio, utpote in præsenti casu odiosa stricte est intelligenda. 4. Professi in monasteriis ad Ordines promoveri possunt, & ad beneficia simplicia; non autem ad Prælaturas, nisi cum ipsis dispensetur.

(6) Et hæc collata esse debet a proprio Episcopo, vel mediantibus ejusdem dimissoriis. Etsi vero triplex sit Episcopus, proprius, originis scilicet, domicilii, & beneficii, & cap. 3. *de Temp. Ordinat.* in 6. ita ut absolute loquendo ad unum ex hisce recurrere licitum sit; tutius tamen, & usibus modernis magis consentaneum est, ut non ab alio petantur Ordines quam ab Originis Episcopo, per quem intelligitur, tum præcipue ille in cujus territorio quis carnaliter natus est, tum is etiam in quo baptizatus est. Tutius etiam fuerit, ut, qui ab alio Episcopo ordinatus est, a Papa obtineat litteras, *perinde valere*, ut docet Rebuffus. An autem necesse sit ut quis habeat tonsuram ipso præsentationis tempore, an sufficiat ut eam tempore collationis receperit, variant Juris periti.

cujusvis beneficii collatio, ex cap. *6. de transact.* & c. 1. *de Instit.* Si beneficium ex sua institutione, vel lege, aut consuetudine requirat certum Ordinem Sacrum, carens illo Ordine ad istud est inhabilis, cap. 22. *de elect.* ex consuetudine tamen satis est, si intra annum suscipiatur is Ordo, sed non debet ultra differri: *ex clem.* 1. *de ætat. & elect.* & Trid. sess. 22. cap. 4. 3. Ætas idonea cap. 7. *de elect.* Hæc autem varia requiritur pro varietate beneficiorum, ex c. cit. Conc. Trid. sess. 24. c. 13. & sess. 23. c. 6. & ex jure novo. 4. Cælibatus: (7) ita communiter ex cap. 2. 3. 5. & 8. *de Cleric. conjug.* 5. Immunitas a censura, & irregularitate etiam occulta, ex cap. 7. *de Cleric. excomm.* c. 8. *de ætat.* & c. ult. *de Cleric. pugnant.* & capit. 18. *de sent. excomm. in 6.* 6. Morum probitas, cap. 7. *de elect.* & Trid. sess. 33. cap. 1. improbo tamen facta collatio non est ipso jure irrita, sed irritanda, nisi crimen annexam habeat censuram, vel irregularitatem, c. 11. *de excess. prælat.* 7. Scientia ad omnia munia beneficio annexa recte obeunda requisita capit. *6. de elect.* ex Conc. Gen. Lat. III. & ex Concil. Trident. 8. Corporis aptitudo necessaria ad officium decenter præstandum. Cæcitas tamen superveniens non privat beneficio prius acquisito. 9. Vocatio Divina ex Heb. 5. 10. Intentio perseverandi in statu Ecclesiastico, & suscipiendi ordinem muneri suo necessarium, nisi occurrat postea justa causa, quæ alium statum suadeat; alioquin secundum communem sententiam Lessio teste peccatur mortaliter, quia Ecclesia decipitur in re gravi: *Nec absolvendus* (innodatus hoc crimine) *donec animum mutet aut beneficium dimittat*, ait Toletus. Multi tamen docent hunc non teneri ad restituendos fructus perceptos, si muneri suo satisfecerit; quia jus id nunquam statuerit, nisi de beneficio Parochiali suscepto sine animo recipiendi Sacerdotium intra annum: quo transacto, nisi justa causa impeditus fuerit, qui adeptus est tale beneficium, ipso facto illo privatur, c. 35. *de elect. in 6.* Qui vero sic acceptat Parochiam peccat mortaliter, & tenetur restituere fructus etiam ante omnem sententiam, nisi mutata voluntate illud reci-

(7) Ast si beneficiarius contrahat invalide, multi quidem censent etiam tunc vacare ipso facto beneficium ejus; alii tamen clericum hunc non tam actu privari, quam privandum putant. Et ratio est, quia, ideo canones aliquem privant beneficio, quia officio simul & beneficio vacare non potest; hæc autem ratio locum non habet, cum quis ob aliquod impedimentum dirimens invalide contrahit; is enim uxori vacare non potest.

recipiat, ibid. Item qui beneficium simplex requirens Ordinem Sacrum admittit sine animo certo illum recipiendi, peccat mortaliter; quia quisque tenetur de jure naturali velle esse idoneus ad munus, quod suscipit. Denique Dei gloria, animarum salus, & propria perfectio procuranda debet esse solum motivum suscipiendi beneficii ob hunc finem instituti.

(*) Nota. Iis, quæ ab Auctore exposita sunt, duo accedunt, quæ sunt a SS. D. N. definita, scilicet. Beneficia curata, aut residentialia conferri non posse Presbyteris, aut Clericis Congregationis Missionis, Constit. quæ incipit: *Quo magis uberes* &c. die 18. Decemb. 1742. Et beneficia Ecclesiastica sæcularia conferri non posse Canonicis Regul. Lateran. nec Sanctiss. Salvatoris absque indulto Apostol. Const. cujus initium est, *Quod inscrutabile* &c. die 9. Julii 1743.

Quæst. V. An licet habere plura beneficia?

Resp. Non licet sub mortali accipere ac retinere plura beneficia, etiam simplicia, & cum dispensatione Papæ; quando unum sufficit ad honestam sustentationem; nisi aliud postulet Ecclesiæ necessitas, vel utilitas, vel alia justa causa in utilitatem Ecclesiæ redundans. Ita S. Thomas, & omissis aliis Lessius, dicens esse fere communem sententiam. Immo videtur nunc communis. Nam Papa non est Dominus beneficiorum, sed solum dispensator. Præterea (8) jure communi prohibita est pluralitas beneficiorum a Conc. Gen. Lat. III. c. 13. & 14. & Lat. IV. c. 29. & Nicæno II. capit. 15. & a Trid. sess. 24. capit. 17. Est etiam vetita jure divino naturali, cum sit intrinsece mala, contineatque multas inordinationes (ut docet S. Thomas). Nam 1. Minuitur cultus divinus. 2. Ecclesia destituitur suis operariis. 3. Fundatores frustrantur sua pia intentione. 4. Iniquum est, ut unus stipendia pluribus Ecclesiæ ministris destinata accipiat. 5. Subsidio privantur alii pauperes Clerici, & forsan magis idonei, & Ecclesiæ utiliores futuri. 6. Inde profluunt scandalorum occasiones, & suppeditatur avaritiæ, luxus, & ambitionis materia, ex Conc. Lat. III. cap. 14. & Trid. cap. cit. addit hac pluralitate præverti ordinem Ecclesiasticum. Porro beneficio-

---

(8) Beneficium simplex habens, per se ad honestam sustentationem insufficiens, illud dimittere non tenetur, cum pinguius beneficium per se sufficiens, adipiscitur. Nam Concilium Tridentinum hoc permittit, quin requirat ut primum dimittatur, adepto secundo ad vitam sustentandam per se sufficiente.

ficiorum pluralitas non est intrinsece mala, nisi in circumstantiis, ubi non adest necessitas, vel utilitas Ecclesiæ; proinde tunc solum est illicita. Secus est licita, & immunis a peccato, ut docet Toletus: qui addit habere unum beneficium cum una commenda perpetua, seu ad vitam idem perinde esse, ac habere plura beneficia in titulum. Hinc Tridentinum sess. 24. cap. 17. expresse declarat, quod non licet plura beneficia, etiam commendata, habere.

Quæst. VI. An est culpa mortalis beneficium conferre indigno, vel minus digno?

Indignus dicitur, qui ad officium debite præstandum est ineptus ratione pravæ vitæ, vel ignorantiæ, vel morbi, aut similis impedimenti; vel putatur non futurus utilis Ecclesiæ, nec satisfacturus officio. S. Thom. quodlib. 8. quæst. 4. art. 6. Dignior censetur non absolute qui doctior est, vel sanctior, sed qui omnibus spectatis putatur melius officio satisfacturus, & futurus utilior Ecclesiæ ac bono animarum in illo beneficio, S. Thom. 2. 2. q. 63. artic. 3.

Resp. Igitur 1. Mortale est, quodvis beneficium, etiam simplex, conferre indigno, eum præsentare, eligere &c. dum haberi potest dignus. Ex Conc. Gen. Lateran. IV. cap. *Grave de Præb.* ubi postquam dignos assumendos esse declaravit, contrafacientes suspendendos esse a conferendis beneficiis jubet. Et ex Concil. Trid. sess. 7. cap. 3. Et sane recta ratio dictat beneficium non posse conferri ei, qui dotibus ad omnes ejus functiones digne obeundas caret, vel non putatur prudenter illi officio satisfacturus, nam talis promotio cedit in grave damnum injustum Ecclesiæ, quod secundum omnes compensari debet, & ab indigno acceptante beneficium, & a provisore, & a cooperatoribus. Hinc collator, (9) Elector, vel Patronus debet positive scire eum, cui beneficium datur, esse dignum; nec sufficit, si nesciat esse indignum.

Nota. Juxta omnes, teste Delugo, eligere indignum, seu ineptum ad officia sæcularia est semper mortale, tum contra charitatem, tunc contra justitiam. Quod verum est non solum de Rectore Reip. sed etiam de aliis, qui pote-

(9) Peccant etiam parentes qui, dum corruptos filiorum suorum mores norunt, curant, vel sinunt permittunt iis beneficia conferri. Item ille qui in ecclesiastici beneficii certamine, quod ex Tridentini Concilii Decreto institui solet, alios habuit competitores, vita & scientia se digniores quibus tamen præripuit beneficium.

potestatem accipiunt a Principe eligendi, aut vendendi illa officia. Qui vero sic operatur, eligitque, tenetur ad resarcienda damna, quæ ex indigni electione oriuntur.

Resp. 2. Ad beneficium annexam habens curam animarum, vel jurisdictionem, vel functionem magni momenti, ut concionandi, docendi &c. Item ad superioritatem Religiosorum eligere, postulare, proponere, aut præsentare dignum, omisso digniore, ex communi sententia est mortale. Ex Conc. Lat. III. cap. 17. Trid. sess. 24. c. 1. & 18. & S. Pio V. const. 33. & S. Aug. epist. 29. Et ratio est, quia Electores, Patroni, Collatores tenentur graviter ex officio, & fide debita Ecclesiæ distribuere officia, & beneficia, sicut bonum Ecclesiæ, & animarum, ad quod instituta sunt, exigit; & utilitatem Ecclesiæ, ac cultum divinum, quantum possunt, pro munere suo promovere. Porro hujusmodi peccatum est peccatum acceptionis personarum in gravi, de quo Jac. 2. Nam hoc peccatum consistit in eo, quod in jure dicendo, aut bonorum communium distributione id, quod debitum est uni propter aliquam causam, v.g. æquitatem, virtutem, meritum, doctrinam &c. datur alteri intuitu alicujus causæ v. g. amicitiæ, consanguinitatis, munerum &c. Unde tunc violatur justitia distributiva in re gravi. Hinc Innocent. XI. damnavit hanc propositionem; „ Cum dixit „ Concil. Trident. eos alienis communicantes mortaliter „ peccare, qui nisi, quos digniores, vel Ecclesiæ magis „ utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium vel 1. Videtur per hos digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto „ comparativo pro positivo; vel 2. Locutione minus pro„ pria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero „ dignos; vel tandem loquitur 3. Quando fit concur„ sus. " Ob easdem rationes ex communi sententia officia sæcularia magni momenti conferri debent sub mortali magis idoneis.

Resp. 3. Electores, Patroni, Collatores tenentur graviter curare, ut dignioribus beneficia etiam simplicia conferant. Est communis sententia. Ex cap. unic. *Ut Eccles. benef.* ex SS. Patribus, & potissimum D. Thom. 2. 2. q. 63. ad 2. & 3. & patet ex responsionibus præcedentibus. Alii tamen docent esse solum veniale, modo vere digni eligantur. Lessius vero concedit esse mortale, si id passim fiat. Idem docet (10) Delugo. Hinc resignans, & permutans tene-

(10) Sunt pariter qui distinguunt inter ipsa beneficia simplicia: quædam, inquiunt, ad debitum Ecclesiæ ordinem superflua

tenetur minus digno digniorem, qui in promptu est, præferre, tum ex charitate boni communis, tum ex justitia distributiva, perinde ac Electores, Patroni, &c. Porro si aliquod beneficium ex donatione dandum sit alicui ex tali capitulo, vel familia, dignior est eligendus. Si tamen nullus esset dignus, alius alibi quærendus esset, quia hæc fuit intentio Fundatorum, & Ecclesiæ, nec alia potuit esse.

Nota. Nulla esset culpa dare minus digno beneficium simplex, cum id postulet charitas, vel alia justa causa ad majus bonum Ecclesiæ spectans, aut redundans; ut si Clericus, præsertim Sacerdos, non possit inopia levari, nisi per beneficium simplex: vel si digniores reservandi sint pro beneficiis curatis: vel (11) ut Pastor minus idoneus a cura animarum amoveatur.

Quæst. VII.

---

flua sunt, qualis est capella, quam aliquis ad familiæ suæ sepulturam erigit; item Ecclesia Collegiata, quæ pro canonicis minime necessariis fundatur; alia vero ex se, sunt quodam modo necessaria ad debitum Ecclesiæ cultum, v. g. Canonicatus, & dignitates Ecclesiæ cathedralis, queis Ecclesia ipsa reditus donare deberet, nisi iidem privatá fidelium liberalitate donarentur. In primo casu „ Bonis Auctoribus non videtur mortale, „ prætermisso digniore, promovere dignum, “ ait Sylvius; præsertim si hoc fiat a fundatore, quia durum esset, institutorem capellaniæ eam non posse instituere pro nepote suo, si alii occurrerent clerici eo digniores.

(11) Alii insuper sunt casus in quibus sufficit, beneficium minus digno, sed vere tali conferre. Sic. 1. Potest Collator instituere dignum qui sibi a Patrono præsentatus est, licet alios noverit eo digniores qui neglecti sunt. Habert. De just. cap. 3. tunc enim collator eo modo se habet, ac si unus tantum idoneus esset præsentatus, cum non possit eum qui præsentatur, modo dignus sit rejicere. 2. Idem dicendum, si electio fieri debeat ex personis certæ communitatis, ut Papa ex Cardinalibus. Favet praxis, nec improbat ratio. 3. Id extendunt ad beneficium dandum alicui de certo collegio aut familia, putat tamen Sylvius, fundationem beneficii curati ea lege; ut ad ipsum semper assumatur aliquis de Fundatoris sanguine, aut de quodam pago, aut oppido; etiamsi offerat se alius longe dignior, non debere ab Ecclesia acceptari, cum hujusmodi personæ, ut plurimum non sint Ecclesiæ utiliores quam alii. At de resignante longe probabilius est, debere eum semper digniorem præferre; quia alioquin reipsa est causa damni quod patitur Ecclesia: unde non solum peccat resignans, sed amici quoque ejus & parentes, qui hujusmodi resignationes viribus totis procurare consueverunt, adeoque & malo consentiunt, & ipsum promovent.

Tam promovens, quam promotus, quando est indignus videntur ad restitutionem teneri: quia uterque est vere causa omnium malorum quæ patitur Ecclesia. Insuper promotus tenetur beneficium dimittere; quia provisio irrita fuit.

Quæst. VII. Quibus modis beneficia amittuntur? Resp. Quatuor. 1. Per mortem beneficiati. 2. Libera resignatione coram Superiore eam acceptante. 3. Per sententiam Judicis, ob crimen juxta Canones hac privatione puniendum, ut homicidium, simplex sacrilegium &c. 4. Dispositione Juris, idque quadrupliciter. 1. Per alterius beneficii incompatibilis consecutionem. 2. Per Matrimonium. 3. Per Professionem Religiosam. 4. Per aliquod crimen, cui privatio beneficii ipso jure annexa est: qualia sunt hæresis, schisma, simonia, falsificatio litterarum Apostolicarum, sodomia &c. Tamen juxta communem sententiam reus non tenetur statim ante sententiam declaratoriam criminis beneficium suum dimittere, nisi hoc expresse habeatur in jure. Sed tunc sententia Judicis declaratoria retrotrahitur ad diem commissi criminis; ita ut non solum omnes fructus beneficii ab illo die percepti amittantur, sed etiam resignatio, vel permutatio illius post crimen facta rescindi possit.

Quæst. VIII. Quænam observanda sunt de pensionibus?

Resp. Sequentia. 1. Pensio est jus percipiendi fructus ex alterius beneficio. Alia est laica, quæ propter temporale aliquod obsequium datur, nec exigit clericatum, adeoque laicis competere potest, ut procuratori, advocato &c. Alia clericalis, seu Ecclesiastica, quæ solis clericis conceditur. Et hæc est duplex, scilicet mere spiritualis, quæ datur clerico ob ministerium spirituale, v. g. concionatori, vicario parochi; & mixta, quæ quidem statum clericalem requirit, & in eo fundatur; non tamen ob ministerium spirituale, sed ad honestam sustentationem datur.

II. Ut

Sed an ad restitutionem teneatur etiam ille qui dignum prætulit digniori, perpendendum est, an beneficium per concursum dari debeat, vel non. Si primum, conveniunt communiter restitutionem fieri debere digniori prætermisso: is enim, licet secluso concursu non habeat jus stricte sumptum, habet tamen posito concursu, eique, si prætermittatur, fit injuria. Si vero beneficium ex concursu dari non debeat; quidam negant, ullam fieri restitutionem debere; quidam censent restituendum esse, non quidem digniori prætermisso: quia justitia distributiva quæ solum in hoc casu violatur restituendi privato obligationem non inducit: sed Ecclesiæ; quia beneficia primario propter communem utilitatem instituta sunt.

II. Ut pensio clericalis valide, & licite obtineatur; quatuor requiruntur. 1. Ut impetrans sit clericus, seu habeat primam tonsuram; non sit conjugatus, nec illegitimus, nec irregularis, nec ulla censura irretitus. Quod si pensio sit mixta, requiritur insuper; ut non habeat aliunde necessaria ad honestam sustentationem: si vero sit mere spiritualis, ut ministerium spirituale possit, & velit recte præstare. 2. Requiritur (12) dispensatio Papæ, & titulus juris canonici. Quare Episcopi pensionem constituere nequeunt, nisi in quibusdam casibus, in quibus facultas hæc eis a Conc. Trid. sess. 21. cap. 6. & sess. 23. cap. 18. conceditur. 3. Requiritur justa causa, sine qua ex communi sententia graviter peccarent & Papa, & impetrans: 4. Debet (13) esse moderata, ita ut beneficiario relinquatur, quantum satis est ad honestam sustentationem. Ex consuetudine non debet excedere tertiam partem fructuum, quamvis Papa ob justam causam possit majorem constituere.

III. Non licet habere plures pensiones, quando una sufficit.

IV. Pensio extinguitur. 1. Morte naturali, vel *civili*, aut degradatione pensionarii. 2. Per matrimonium, vel Professionem Religiosam. 3. Per varia delicta, qualia sunt hæresis, læsæ majestatis, aut Sedis Apostolicæ, item percussionis Cardinalis, vel Episcopi, in cujus diœcesi pensio percipitur.

V. Pen-

(12) Adeo verum est, requiri Papæ dispensationem, ut generatim quicumque recipit pensionem ante confirmationem Papæ teneatur ad restitutionem, cessetque ipsi pensio. Per accidens tamen, omnibus Episcopis permittitur impositio pensionis, 1. Ob paupertatem & senium ejus qui resignat. 2. Propter litis compositionem. 3. Causa permutationis ob inæqualitatem fructuum: Quibus in casibus pensio non extinguitur nisi morte pensionarii: quo superstite solvi debet etiam a successore.

(13) Pensio cum semper, tum præcipue moderata esse debet, si beneficium sit curatum. Cujusmodi beneficiis nulla pensio (secundum Tridentinum, sess. 24. cap. 13. *de Reform.* imponi potest) nisi excedant valorem 100. ducatorum. Beneficiarius autem pensione gravatus eam tenetur solvere sub mortali, uti colligitur ex gravibus pœnis; scilicet excommunicationis, & privationis beneficii, quibus solutio solet ipsi præcipi in litteris eam assignantibus. Denique pensionarius non potest vendere pensionem sine licentia Papæ; quamvis possit redimere quinque annatis, conveniendo cum beneficiario, ut istam accipiat summam pro pensionis extinctione, dummodo in resignatione vel cessione non intervenerit pactum de redimendo. Similiter non potest illam commutare cum beneficio: alias foret Simoniacus.

V. Pensionarius clericus, qui non est aliunde obligatus ad horas canonicas, tenetur sub mortali recitare quotidie parvum B. V. Officium; & si omiserit, non facit fructus suos, sed tenetur perceptos restituere fabricæ, vel pauperibus eodem modo, quo beneficiatus. Ita statuit Pius V. in Bull. *Ex proximo* Tenetur etiam tonsuram, & habitum clericalem gestare, ut statuit Sixtus V. Const. 92.

TRACTATUS

DE

VIRTUTIBUS MORALIBUS

ET VITIIS EIS OPPOSITIS.

Virtutes Morales sunt eæ quæ habent pro objecto attributionis immediato actus humanos, ut consentaneos naturæ rationali, utrationali, & legi divinæ; & pro formali ipsam honestatem elucentem in illis actibus. Quælibet autem virtus moralis seorsim sumpta habet pro objecto materiali certos actus honestos sibi proprios; & pro objecto formali specialem honestatem elucentem in suis actibus. Præter Religionem quatuor sunt primariæ virtutes morales, a quibus aliæ dimanant, unde dicuntur (1) Cardinales; nimirum Prudentia, Fortitu-

(1) Virtutes morales in genere tres proprietates habent; nimirum mediocritatem, connexionem, & permanentiam.

Mediocritas virtutum consistit in medio justo quod ipsæ servare debent. Theologi duplex medium distinguunt: alterum quod appellant *medium rei*, & consistit in puncto invariabili & firmo relate ad circumstantias locorum, temporum, & personarum; & talis est æqualitas quæ servanda est in justitia commutativa: alterum est medium rationis, consistens in æqualitate relativa ad loca, tempora, & personas variabili tamen secundum varias istas circumstantias. Omnes virtutes consistunt in medio rationis, excepta justitia commutativa, quæ consistit in medio rei, vel in æqualitate rei ad rem, quæ semper & relate ad omnes personas eadem omnino est.

Omnes virtutes morales in statu perfecto simul connexæ sunt: quia virtus in hoc perfectionis statu prudentiam perfectam continet, quæ subsistere non potest, quin omnes aliæ virtutes eam comitentur.

Nulla

titudo, Temperantia, & Justitia, quæ commendantur Sap. 8.

CAPUT PRIMUM.

De Prudentia, & vitiis ei oppositis.

I. PRudentia hic est virtus ostendens quid in quavis particulari actione agendum sit, tamquam honestum, vel fugiendum, tamquam turpe, in ordine ad finem ultimum. Hinc (2) patet quam sit necessaria. Prov. 4. & Ephes. 5. Est autem virtus moralis, tum objective, tum directive, dirigendo voluntatem ad eliciendos actus semper honestos, & inhonestos vitandos. Non residet tamen in voluntate, sed in intellectu: unde dicitur virtus intellectualis, morum doctrix.

II. Prudentiæ actus sunt bene consultare, recte judicare, & præcipere executionem.

III. Peccata specialiter prudentiæ opposita, alia sunt per defectum, scilicet 1. Præcipitatio, & inconsideratio. 2. Mentis inconstantia, qua sine justa causa mutatur sententia. 3. Negligentia. Alia sunt per excessum, nempe 1. Prudentia carnis, quæ proposito malo fine, nempe bono creato inordinate expetito, præscribit media ad tuum finem assequendum apta. 2. Astutia, quæ est notitia mediorum pravorum, occultorum, ad fallendum aptorum cum affectu exequendi conjuncta. Ad hanc revocantur dolus, qui est astutiæ executio tum verbis, cum factis, & fraus, quæ est executio astutiæ solis factis. 3. Nimia sollicitudo temporalia acquirendi, vel conservandi, quæ prohibetur Matth. 6.

CA-

Nulla virtus est essentialiter permanens & semper durabilis; quia per unicum actum momentaneum omnes amitti possunt.

(2) Prudentia dividitur in personalem quæ respicit proprium personæ bonum quæ agit; & in politicam quæ respicit bonum & gubernationem aliorum. Utraque est, vel naturalis vel supernaturalis, generalis vel particularis, perfecta vel imperfecta.

CAPUT SECUNDUM.

De Fortitudine, & Virtutibus ei annexis, ac vitiis oppositis.

Quæst. I. Quid est fortitudo, & quænam sunt vitia ei opposita?

Resp. Fortitudo est virtus moralis inclinans voluntatem ad aggredienda pericula, & ardua, ad perferendum laborem ac gravia mala secundum rectam rationem, & voluntatem divinam: de qua virtute agit S. Paulus Ephes. 6. & 1. Cor. 16.

Fortitudinis actus sunt aggressio, & perpessio.

Resp. 2. Peccatur contra fortitudinem per excessum, & defectum timoris, & audendi: unde quatuor sunt vitia ei opposita. 1. Timor inordinatus, cum timetur quod, vel quando non oportet, vel plus, quam oportet 2. Animi stupiditas, quæ contrario modo se habet quæque definiri potest, defectus timoris rationabilis. 3. Audacia, seu temeritas, quæ est excessus in audendo, vel aggrediendo, quando, ubi, quomodo non oportet. 4. Ignavia, quæ est defectus audendi rationabiliter.

Quæst. II. Quænam sunt virtutes fortitudini annexæ, & vitia eis opposita?

Resp. Sunt quinque ejusmodi virtutes, nimirum.

I. Magnanimitas, quæ est virtus ad contemptum rerum caducarum, & ad opera magna, & heroica, qua talia in omni virtutum genere inclinans ex motivo proximo sibi proprio, nempe quia sunt magna, & ardua. Ei per excessum opponuntur præsumptio, ambitio, & vanagloria, de quibus dixi in Tract. de Peccatis. Per defectum vero pusillanimitas, quæ est vitium, quo quis ex animi parvitate, nimiaque abjectione recusat tendere in id, quod est suæ potentiæ proportionatum, detrectatque officium, vel res magnas, quibus gerendis aptus est cum auxilio Dei; suamque auctoritatem, dignitatem, & privilegia negligit, cum id necessarium, vel utile est ad Dei honorem, aut aliorum utilitatem.

II. Humilitas, est virtus, quæ vera nostri cognitione appetitum excellentiæ propriæ secundum rectam rationem, & Dei voluntatem moderatur, ne inordinate extollamur, & inclinat ad utilitatem nostram, ac subjectionem erga Deum actibus internis, & externis agnoscendam, ac profitendam, atque omnem gloriam, & honorem Deo, ut bonorum auctori tribuendum. Ejus actus præcipui sunt. 1. Agnoscere se ex seipso nihil esse, nihilque habere,

ſed omnia accepiſſe a Deo. 2. Nihil ſibi, ſed omnia Deo adſcribere. 3. Neminem contemnere, nemini velle præponi, ſed omnes animo ſibi præferre, Philip. 2. 4. Subjicere ſe in omnibus Deo, & Superioribus, ut Dei miniſtris propter Deum. 5. Laudes, & honores, quantum recta ratio permittit, fugere. 6. Contemptus, contumelias, & humiliationes æquo animo propter Deum exemplo Chriſti ferre, immo & diligere. 7. In rebus externis, & functionibus, quantum in ſe eſt, amplecti ſemper id, quod eſt abjectum, & minus honoratum, habita tamen ratione decoris, dignitatis, & officii. Humilitas eſt virtus præſtantiſſima, virtutum procreatrix, & radix ſummæ, ac æternæ gloriæ Luc. 14. & 18. eſtque neceſſaria ad ſalutem. Ei opponitur non ſolum ſuperbia, ſed etiam inordinata ſui abjectio, quæ fit cum injuria, aut neglectu muneris proprii, aut jactura ſui ſtatus, vel damno eorum, quibus prodeſſe debet.

III. Munificentia, (3) quæ eſt virtus inclinans ad magna opera externa magnis ſumptibus efficienda, quando recta ratio dictat, & præcipue ad ea, quæ pertinent ad honorem Dei. Ei per exceſſum opponitur profuſio, qua quis majores ſumptus facit, quam ratio dictat. Per defectum vero parvificentia quo quis præ animi anguſtia opus magnos ſumptus requirens non audet ſuſcipere, quando oportet, vel ſuſceptum relinquit, vel non decore perficit.

IV. Patientia, qua in rebus adverſis mœror temperatur, & mala præſentia æquo animo tolerantur. Eſt maxima virtus, & valde neceſſaria. Jac. 1. & Heb. 1. Ei opponitur per exceſſum impatientia, qua quis plus æquo de malis dolet. Per defectum inſenſibilitas, ſeu animi durities, cum quis ob animi ſtuporem nec propriis nec alienis malis movetur.

V. Perſeverantia, ſeu conſtantia, quæ inclinat, & firmat ad perſiſtendum in opere bono non obſtante moleſtia, & difficultate, quantumvis diuturna, quamdiu recta ratio dictat. Ei opponitur per exceſſum pertinacia, qua quis proprium ſenſum, vel agendi propoſitum retinet quando non oportet, vel plus quam oportet; per defectum incon-

(3) Duplex eſt munificentia, publica, quæ cum nempe ad publicos uſus pios vel politicos magni ſumptus conferuntur; & privata, cum nempe magnifica munera in quempiam privatum conferuntur, vel pertinentia ad uſum proprium magnifice fiunt, dum id ratio decoris, ſeu perſonæ dignitas poſtulat.

constantia in agendo, qua quis sine justa causa a bono proposito desistit. Jamvero per se loquendo gravius peccatur contra aliquam virtutem per defectum, quam per excessum: sic gravior est superbia, quam nimia abjectio. Quia peccata per defectum sunt contra id, ad quod primario, ac principaliter virtus inclinat.

CAPUT TERTIUM.

De Temperantia, & Virtutibus ei annexis.

Quæst. I. QUid est Temperantia?

Resp. Est virtus refrænans animi affectus, qui ipsum contra rectam rationem alliciunt, illosque moderans secundum rectam rationem, ac legem divinam, August. lib. 83. qq. quæst. 31. sed sic sumpta non est virtus specialis, nam id præstat omnis virtus moralis in sua materia. Igitur Temperantia stricte sumpta est virtus, quæ secundum rectam rationem, & legem divinam moderatur appetitum, & usum rerum, quæ delectationem sensuum, præsertim gustus, tactus pariunt. Hinc tres (4) sunt temperantiæ species, nempe abstinentia, sobrietas, & castitas.

Abstinentia est virtus, quæ secundum rectam rationem moderatur appetitum, & usum ciborum oblectantium; atque etiam potionis non inebriantis. Sobrietas est virtus,

(4) Temperantia habet etiam sua vitia ei immediate opposita; eaque duo sunt, nempe insensibilitas per defectum, & intemperantia per excessum. Insensibilitas est vitium, quo quis omnes corporis delectationes, etiam necessarias, refugit & aversatur. Raro contingit. Esset tamen peccatum mortiferum si ex eo quis negligeret id, ad quod graviter obligatur. Tamen moderata abstinentia a delectationibus corporis quandoque laudabilis est, ac sæpe necessaria, puta cum ob motivum virtutis, v. g. mortificationis, pœnitentiæ, &c. Est autem intemperantia vitium quo quis voluptates corporis gustus præsertim ac venereorum, immoderate appetit; rationisque ac divinæ legis regulam in earum usu excedit: Esse peccatum in suo genere mortale, constat ex dictis de luxuria & gula.

Partes integrales temperantiæ duæ sunt, nimirum verecundia, quæ est timor & horror turpitudinis, & vituperii intemperantiam consequentis; & honestas, quæ est virtus inclinans ad cavenda quæcumque inhonesta sunt, vel indecora, maxime in esculentis, poculentis, & venereis.

tus, quæ appetitum, & usum, potionis vim inebriandi habentis moderatur secundum rectam rationem, & legem divinam. Regula autem, ac mensura, cibi, potus, & somni sumenda est ex fine proximo, ad quem ista per se referuntur, qui est bona corporis valetudo, & idonea mentis ad suas functiones obeundas dispositio, seu habitudo, ad Dei gloriam ordinata: nam finis est mensura eorum, quæ sunt ad finem; legatur Aug. lib. de morib. Eccl. cap. 21. igitur ad temperantiam spectat nec plus, nec minus cibi, potus, & somni capere, quam ad bonam corporis valetudinem, & vires, ad munera sua recte obeunda, requisitas, aptamque mentis ad suas functiones dispositionem expediat: cum hoc discrimine, quod major quantitas sit illicita; minorem autem subinde sumere ob justam causam, quam sit robusta corporis valetudo, v. g. ob carnis mortificationem, vel satisfactionem pro peccatis, sit laudabile, etiamsi vires corporis imminuantur; modo tamen valetudo non nimis frangatur, nec mens reddatur ad suas functiones ineptior; ita ut homo semper valeat præstare ea, ad quæ tenetur. Hæc autem abstinentia major, quam ratio temperantiæ per se exigit, pertinebit ad aliam virtutem, ex cujus affectu servatur, v. g. castitatem, pœnitentiam &c.

Castitas est virtus, quæ cohibet, vel moderatur appetitum, & usum venereorum, ac delectationis venereæ secundum rectam &c. 2. Cor. 7. & 1. ad Tim. 2. Pudicitia autem vel est eadem virtus, quam castitas, vel ejus pars integralis cohibens oscula, aspectus, & tactus impudicos, eorumque delectationem. Triplex est castitas: nempe virginalis, (5) & est voluntas constans, & efficax abstinendi tota vita ab omni prorsus actione, & delectatione venerea: conjugalis, est voluntas constans, & efficax ab omni tali delectatione cum non conjuge, ea utendi cum conjuge semper juxta rectæ rationis, & Legis Divinæ regulam: & vidualis, estque propositum abstinendi in posterum propter Deum ab omni actione, & delectatione venerea percepta in conjugio. Abstinentiæ opponitur gula stricte sumpta, sobrietati ebrietas, & castitati luxuria, de quibus in Tract. de Peccatis.

Quæst. II.

(5) Virginitas amittitur per voluntariam seminis resolutionem, sive fiat per concubitum, sive non. D. Thom. quæst. 139. art. 1. ad 2. & 4. Licet virginitas sit de consilio, & non de præcepto: dubium tamen non est castitatem præceptam esse nono & sexto præcepto. Præcepta ista considerari possunt, partim ut affirmativa, partim ut negativa. Quatenus affirmativa, præcipiunt castitatem externam, etiamsi non virginalem, sed generalius sumptam, prout etiam in conjugatis reperitur.

Quæst. II. An licet agere ob voluptatem, seu delectationem moderatam, & per se licitam, eamque propter se appetere?

Resp. neg. Nam omnis actus, qui non est bonus, saltem ratione finis, hoc ipso malus est, ut docet Aug. l. 4. c. Jul. c. 3. idque satis indicat Christus Matth. 12. jamvero actus non est bonus, nisi habeat finem honestum, hoc est consentaneum naturæ rationali, & legi divinæ. Præterea Agens ob delectationem pervertit rerum ordinem a Deo auctore naturæ institutum, secundum quem delectatio ex natura sua est propter operationem, & non vice versa, ut docet S. Thom. 1. 2. q. 4. art. 2. ad 2. itaque delectatio moderata potest quidem percipi, & appeti, ut medium, sed non ut finis. Hinc Innoc. XI. damnavit has propositiones: „ 8. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum; modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui; 9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali. " Hinc manducare etiam moderate, audire musicam, odorari florem, & similia oblectamenta capere ob solam delectationem per se loquendo est venialis culpa.

Quæst. III. Quænam sunt virtutes Temperantiæ annexæ?

Resp. Sex. Mansuetudo, Clementia, Studiositas, Modestia, Eutrapelia, & Circumspectio. (6) I. Mansuetudo est virtus, quæ iram moderatur juxta rectam rationem, sic, ut non irascamur, nisi quando, & quantum, cui, & quomodo oportet. De qua Apost. ad Tit. 3. Ei opponitur per excessum iracundia, de qua alibi; per defectum vero dissimulatio, cum nempe ex iræ defectu aliquis non irascitur ubi, quando, quantum, & quibus oportet, ut justitia servetur, vitia corrigantur, scandalum tollatur &c. Est mortalis ex genere suo, cum repugnet Charitati, & Justitiæ. Ad discrimen aliorum vitiorum, quæ virtutibus moralibus per defectum, vel excessum opponi hactenus diximus, quæ sunt gravia, aut levia, ratione scandali, aut periculi, aut damni, aut alterius circumstantiæ ea comitantium aut

---

(6) His addendæ sunt continentia, & taciturnitas. Continentia hic sumitur pro virtute qua homo resistit pravis delectationibus, vehementer ipsum sollicitantibus: quo modo est imperfectior castitate, sicut & temperantia. Taciturnitas est virtus, quæ sermonem moderatur secundum quod scriptum est psalm. 28. „ Dixi, custodiam vias meas, ut in ore delinquam in vita mea ". Taciturnitati opponitur garrulitas, sive effrænis loquacitas.

aut denique gravitatis, vel levitatis materiæ. II. Clementia est virtus, qua Superior ex animi lenitate inclinatur ad pœnam debitam mitigandam, vel remittendam, quantum patitur recta ratio, justitia, disciplinæ bonum, Reip. (7) salus, & ædificatio publica. Ei opponitur per excessum crudelitas, qua quis ex animi austeritate propensus est ad exigendam pœnam ultra meritum culpæ. Est ex suo genere mortalis, cum repugnet charitati, & justitiæ. Per defectum vero nimia lenitas, qua quis pœnam remittit, aut mitigat, ubi severitate utendum recta ratio dictat, ad delinquentem emendandum, & servandam disciplinam &c. Est culpa gravis, aut levis pro ratione damni, vel scandali, quod ex ea provenit. III. Studiositas est virtus, qua quis studet ea diligentia, qua oportet, iis rebus, quibus oportet, ex debito fine, & in debitis circumstantiis loci, & temporis. Ei opponitur per excessum curiositas, quæ est inordinatus appetitus cognoscendi. Est autem inordinatus, vel ex parte objecti, & tunc definitur: Appetitio, vel cura superflua cognoscendi ea, quæ nec ad propriam, nec ad proximi salutem, nec ad Dei honorem conducunt. Vel ex parte modi, ut si ea, quæ ad te spectant velis addiscere tempore non congruenti, vel laboribus immodicis, & corpori, aut menti noxiis.

Curiositas est mortalis. 1. Ratione objecti prohibiti. 2. Ratione medii, vel ratione finis mortaliter mali. 3. Ratione periculi peccandi mortaliter. 4. Si per studium minus utile homo impediatur ab addiscendis iis, quæ scire tenetur. 5. Ratione nocumenti, seu damni. 6. Si quis ab alio scire vult, quæ sub mortali revelare nequit. 7. Ratione injuriæ gravis, ut si quis litteras alterius clausas sine consensu ejus, a quo, vel ad quem scribuntur, saltem prudenter præsumpto, aperit, & legit: nam tunc violatur jus, quod quisque habet, ne arcana consilia, & negotia magni momenti, vel occultanda, vel infamiam, aut aliud grave damnum continentia litteris commissa sine ejus consensu cognoscantur. Ita Nav. Tolet. Laym. & alii. Id etiam est contra fidem publicam, cui sigilla litterarum credita intelliguntur. Multi docent esse solum veniale litteras a domino dilaceratas, & in publicum pro-

(7) Adde, quantum etiam patitur ratio salutis fraternæ: quia nisi horum omnium ratio habeatur, non est clementia, sed mollities quæ opponitur clementiæ per excessum, sicut crudelitas per defectum.

projectas ex sola curiositate colligere, junctisque partibus legere; quia tum habentur pro derelictis. Sed hoc alii negant: quia dominus satis ostendit se non derelinquere jus, quod habet ad secretum litterarum: quamvis imprudenter agat. Item peccat contra justitiam, & quidem mortaliter, si fiat cum gravi damno, vel alter valde cupiat esse secreta, qui alterius scripta ipso invito legit. Excipe nisi constaret scripta vergere in damnum injustum communitatis, vel etiam privati: nemo enim habet jus ad medium injustum. Possunt quoque litteræ aperiri auctoritate publica, nempe Principis &c. cum id exigit bonum commune, cui jura privatorum subduntur. Sed ii, qui secreta legunt, tenentur celare. Parentes habent etiam jus aperiendi litteras liberorum curæ suæ subjectorum. Curiositas autem, qua non læditur graviter charitas, nec justitia est per se solum venialis, ut patet.

Per defectum adversatur studiositati negligentia, quæ est voluntaria omissio studii, vel inquisitionis ad discendum, quæ quisque scire, vel discere tenetur. Estque peccatum grave aut leve pro gravitate, aut levitate rei, quæ sciri debet, spectato ejus fine.

IV. Modestia duplex est: una est modestia (8) motuum externorum, quæ motus, & gestus corporis externos ita moderatur, ut congruum est personæ tum in se, tum in ordine ad eos, quibuscum versatur, & ad locum, tempus, statum &c. S. Ambros. l. de Offic. c. 9. Ei opponitur per excessum petulantia, & insolentia, quæ contrario modo se habet. Per defectum morum ruditas, seu rusticitas. Altera est modestia cultus, seu parcitas, qua in cultu, ornatuque corporis, & apparatu rerum externarum, domus supellectilis, conviviorum &c. servatur mediocritas, & congruitas ad personam, facultates, statum, conditionem, approbatam consuetudinem, & ad tempus, locum &c. Contra hanc peccatur 1. Per luxum, excedendo modum consuetum, & convenientem conditioni, facultati, personæ in vestibus, conviviis, supellectili &c. item assumendo vestes alterius sexus, D. Thom. 2. 2. q. 196. art. 2. ad 3. 2. Ratione affectus inordinati, quando nimium

(8) Auctor non loquitur nisi de modestia externa: at præter ipsam alia datur quæ quoniam moderatur internos animi motus secundum præscriptum rationis, legisque æternæ, modestia interna potest appellari, aut certe præcipua modestiæ pars. Hinc primum ac præcipuum modestiæ officium est, internos animi motus bene componere; utpote quibus compositis, exterioris homini sequitur compositio: siquidem interni actus ab externis profluunt,

II. Ut pensio clericalis valide, & licite obtineatur; quatuor requiruntur. 1. Ut impetrans sit clericus, seu habeat primam tonsuram; non sit conjugatus, nec illegitimus, nec irregularis, nec ulla censura irretitus. Quod si pensio sit mixta, requiritur insuper, ut non habeat aliunde necessaria ad honestam sustentationem: si vero sit mere spiritualis, ut ministerium spirituale possit, & velit recte præstare. 2. Requiritur (12) dispensatio Papæ, & titulus juris canonici. Quare Episcopi pensionem constituere nequeunt, nisi in quibusdam casibus, in quibus facultas hæc eis a Conc. Trid. sess. 21. cap. 6. & sess. 23. cap. 18. conceditur. 3. Requiritur justa causa, sine qua ex communi sententia graviter peccarent & Papa, & impetrans: 4. Debet (13) esse moderata, ita ut beneficiario relinquatur, quantum satis est ad honestam sustentationem. Ex consuetudine non debet excedere tertiam partem fructuum, quamvis Papa ob justam causam possit majorem constituere.

III. Non licet habere plures pensiones, quando una sufficit.

IV. Pensio extinguitur. 1. Morte naturali, vel civili, aut degradatione pensionarii. 2. Per matrimonium, vel Professionem Religiosam. 3. Per varia delicta, qualia sunt hæresis, læsæ majestatis, aut Sedis Apostolicæ, item percussionis Cardinalis, vel Episcopi, in cujus diœcesi pensio percipitur.

V. Pen-

(12) Adeo verum est, requiri Papæ dispensationem, ut generatim quicumque recipit pensionem ante confirmationem Papæ teneatur ad restitutionem, cesset que ipsi pensio. Per accidens tamen, omnibus Episcopis permittitur impositio pensionis, 1. Ob paupertatem & senium ejus qui resignat. 2. Propter litis compositionem. 3. Causa permutationis ob inæqualitatem fructuum. Quibus in casibus pensio non extinguitur nisi morte pensionarii: quo superstite solvi debet etiam a successore.

(13) Pensio cum semper, tum præcipue moderata esse debet, si beneficium sit curatum. Cujusmodi beneficiis nulla pensio (secundum Tridentinum, sess. 24. cap. 13. *de Reform.* imponi potest) nisi excedant valorem 100. ducatorum. Beneficiarius autem pensione gravatus eam tenetur solvere sub mortali, uti colligitur ex gravibus pœnis, scilicet excommunicationis, & privationis beneficii, quibus solutio solet ipsi præcipi in litteris eam assignantibus. Denique pensionarius non potest vendere pensionem sine licentia Papæ; quamvis possit redimere quinque annatis, conveniendo cum beneficiario, ut istam accipiat summam pro pensionis extinctione, dummodo in resignatione vel cessione non intervenerit pactum de redimendo. Similiter non potest illam commutare cum beneficio: alias foret Simoniacus.

V. Pensionarius clericus, qui non est aliunde obligatus ad horas canonicas, tenetur sub mortali recitare quotidie parvum B. V. Officium; & si omiserit, non facit fructus suos, sed tenetur perceptos restituere fabricæ, vel pauperibus eodem modo, quo beneficiatus. Ita statuit Pius V. in Bull. *Ex proximo* Tenetur etiam tonsuram, & habitum clericalem gestare, ut statuit Sixtus V. Const. 92.

TRACTATUS
DE
VIRTUTIBUS MORALIBUS
ET VITIIS EIS OPPOSITIS.

Virtutes Morales sunt eæ quæ habent pro objecto attributionis immediato actus humanos, ut consentaneos naturæ rationali, ut rationali, & legi divinæ; & pro formali ipsam honestatem elucentem in illis actibus. Quælibet autem virtus moralis seorsim sumpta habet pro objecto materiali certos actus honestos sibi proprios; & pro objecto formali specialem honestatem elucentem in suis actibus. Præter Religionem quatuor sunt primariæ virtutes morales, a quibus aliæ dimanant, unde dicuntur (1) Cardinales; nimirum Prudentia, Fortitu-

(1) Virtutes morales in genere tres proprietates habent; nimirum mediocritatem, connexionem, & permanentiam.

Mediocritas virtutum consistit in medio justo quod ipsæ servare debent. Theologi duplex medium distinguunt: alterum quod appellant *medium rei*, & consistit in puncto invariabili & firmo relate ad circumstantias locorum, temporum, & personarum; & talis est æqualitas quæ servanda est in justitia commutativa: alterum est medium rationis, consistens in æqualitate relativa ad loca, tempora, & personas variabili tamen secundum varias istas circumstantias. Omnes virtutes consistunt in medio rationis, excepta justitia commutativa, quæ consistit in medio rei, vel in æqualitate rei ad rem, quæ semper & relate ad omnes personas eadem omnino est.

Omnes virtutes morales in statu perfecto simul connexæ sunt: quia virtus in hoc perfectionis statu prudentiam perfectam continet, quæ subsistere non potest, quin omnes aliæ virtutes eam comitentur.

Nulla

titudo, Temperantia, & Justitia, quæ commendantur Sap. 8.

CAPUT PRIMUM.

De Prudentia, & vitiis ei oppositis.

I. PRudentia hic est virtus ostendens quid in quavis particulari actione agendum sit, tamquam honestum, vel fugiendum, tamquam turpe, in ordine ad finem ultimum. Hinc (2) patet quam sit necessaria. Prov. 4. & Ephes. 5. Est autem virtus moralis, tum objective, tum directive, dirigendo voluntatem ad eliciendos actus semper honestos, & inhonestos vitandos. Non residet tamen in voluntate, sed in intellectu: unde dicitur virtus intellectualis, morum doctrix.

II. Prudentiæ actus sunt bene consultare, recte judicare, & præcipere executionem.

III. Peccata specialiter prudentiæ opposita, alia sunt per defectum, scilicet 1. Præcipitatio, & inconsideratio. 2. Mentis inconstantia, qua sine justa causa mutatur sententia. 3. Negligentia. Alia sunt per excessum, nempe 1. Prudentia carnis, quæ proposito malo fine, nempe bono creato inordinate expetito, præscribit media ad tuum finem assequendum apta. 2. Astutia, quæ est notitia mediorum pravorum, occultorum, ad fallendum aptorum cum affectu exequendi conjuncta. Ad hanc revocantur dolus, qui est astutiæ executio tum verbis, cum factis, & fraus, quæ est executio astutiæ solis factis. 3. Nimia sollicitudo temporalia acquirendi, vel conservandi, quæ prohibetur Matth. 6.

CA-

Nulla virtus est essentialiter permanens & semper durabilis; quia per unicum actum momentaneum omnes amitti possunt.

(2) Prudentia dividitur in personalem quæ respicit proprium personæ bonum quæ agit; & in politicam quæ respicit bonum & gubernationem aliorum. Utraque est, vel naturalis vel supernaturalis, generalis vel particularis, perfecta vel imperfecta.

CAPUT SECUNDUM.

De Fortitudine, & Virtutibus ei annexis, ac vitiis oppositis.

Quæst. I. QUid est fortitudo, & quænam sunt vitia ei opposita?

Resp. Fortitudo est virtus moralis inclinans voluntatem ad aggredienda pericula, & ardua, ad perferendum laborem ac gravia mala secundum rectam rationem, & voluntatem divinam: de qua virtute agit S. Paulus Ephes. 6. & 1. Cor. 16.

Fortitudinis actus sunt aggressio, & perpessio.

Resp. 2. Peccatur contra fortitudinem per excessum, & defectum timoris, & audendi: unde quatuor sunt vitia ei opposita. 1. Timor inordinatus, cum timetur quod, vel quando non oportet, vel plus, quam oportet 2. Animi stupiditas, quæ contrario modo se habet quæque definiri potest, defectus timoris rationabilis. 3. Audacia, seu temeritas, quæ est excessus in audendo, vel aggrediendo, quando, ubi, quomodo non oportet. 4. Ignavia, quæ est defectus audendi rationabiliter.

Quæst. II. Quænam sunt virtutes fortitudini annexæ, & vitia eis opposita?

Resp. Sunt quinque ejusmodi virtutes, nimirum.

I. Magnanimitas, quæ est virtus ad contemptum rerum caducarum, & ad opera magna, & heroica, qua talia in omni virtutum genere inclinans ex motivo proximo sibi proprio, nempe quia sunt magna, & ardua. Ei per excessum opponuntur præsumptio, ambitio, & vanagloria, de quibus dixi in Tract. de Peccatis. Per defectum vero pusillanimitas, quæ est vitium, quo quis ex animi parvitate, nimiaque abjectione recusat tendere in id, quod est suæ potentiæ proportionatum, detrectatque officium, vel res magnas, quibus gerendis aptus est cum auxilio Dei; suamque auctoritatem, dignitatem, & privilegia negligit, cum id necessarium, vel utile est ad Dei honorem, aut aliorum utilitatem.

II. Humilitas, est virtus, quæ vera nostri cognitione appetitum excellentiæ propriæ secundum rectam rationem, & Dei voluntatem moderatur, ne inordinate extollamur, & inclinat ad utilitatem nostram, ac subjectionem erga Deum actibus internis, & externis agnoscendam, ac profitendam, atque omnem gloriam, & honorem Deo, ut bonorum auctori tribuendum. Ejus actus præcipui sunt. 1. Agnoscere se ex seipso nihil esse, nihilque habere,

ſed omnia accepiſſe a Deo. 2. Nihil ſibi, ſed omnia Deo adſcribere. 3. Neminem contemnere, nemini velle præponi, ſed omnes animo ſibi præferre, Philip. 2. 4. Subjicere ſe in omnibus Deo, & Superioribus, ut Dei miniſtris propter Deum. 5. Laudes, & honores, quantum recta ratio permittit, fugere. 6. Contemptus, contumelias, & humiliationes æquo animo propter Deum exemplo Chriſti ferre, immo & diligere. 7. In rebus externis, & functionibus, quantum in ſe eſt, amplecti ſemper id, quod eſt abjectum, & minus honoratum, habita tamen ratione decoris, dignitatis, & officii. Humilitas eſt virtus præſtantiſſima, virtutum procreatrix, & radix ſummæ, ac æternæ gloriæ Luc. 14. & 18. eſtque neceſſaria ad ſalutem. Ei opponitur non ſolum ſuperbia, ſed etiam inordinata ſui abjectio, quæ fit cum injuria, aut neglectu muneris proprii, aut jactura ſui ſtatus, vel damno eorum, quibus prodeſſe debet.

III. Munificentia, (3) quæ eſt virtus inclinans ad magna opera externa magnis ſumptibus efficienda, quando recta ratio dictat, & præcipue ad ea, quæ pertinent ad honorem Dei. Ei per exceſſum opponitur profuſio, qua quis majores ſumptus facit, quam ratio dictat. Per defectum vero parvificentia quo quis præ animi anguſtia opus magnos ſumptus requirens non audet ſuſcipere, quando oportet, vel ſuſceptum relinquit, vel non decore perficit.

IV. Patientia, qua in rebus adverſis mœror temperatur, & mala præſentia æquo animo tolerantur. Eſt maxima virtus, & valde neceſſaria. Jac. 1. & Heb. 1. Ei opponitur per exceſſum impatientia, qua quis plus æquo de malis dolet. Per defectum inſenſibilitas, ſeu animi durities, cum quis ob animi ſtuporem nec propriis nec alienis malis movetur.

V. Perſeverantia, ſeu conſtantia, quæ inclinat, & firmat ad perſiſtendum in opere bono non obſtante moleſtia, & difficultate, quantumvis diuturna, quamdiu recta ratio dictat. Ei opponitur per exceſſum pertinacia, qua quis proprium ſenſum, vel agendi propoſitum retinet quando non oportet, vel plus quam oportet; per defectum in-

con-

(3) Duplex eſt munificentia, publica, quæ cum nempe ad publicos uſus pios vel politicos magni ſumptus conferuntur; & privata, cum nempe magnificæ munera in quempiam privatum conferuntur, vel pertinentia ad uſum proprium magnifice fiunt, dum id ratio decoris, ſeu perſonæ dignitas poſtulat.

constantia in agendo, qua quis sine justa causa à bono proposito desistit. Jamvero per se loquendo gravius peccatur contra aliquam virtutem per defectum, quam per excessum: sic gravior est superbia, quam nimia abjectio. Quia peccata per defectum sunt contra id, ad quod primario, ac principaliter virtus inclinat.

CAPUT TERTIUM.

De Temperantia, & Virtutibus ei annexis.

Quæst. I. QUid est Temperantia?

Resp. Est virtus refrænans animi affectus, qui ipsum contra rectam rationem alliciunt, illosque moderans secundum rectam rationem, ac legem divinam; August. lib. 83. qq. quæst. 31. sed sic sumpta non est virtus specialis, nam id præstat omnis virtus moralis in sua materia: Igitur Temperantia stricte sumpta est virtus, quæ secundum rectam rationem, & legem divinam moderatur appetitum, & usum rerum, quæ delectationem sensuum, præsertim gustus, tactus pariunt. Hinc tres (4) sunt temperantiæ species, nempe abstinentia, sobrietas, & castitas.

Abstinentia est virtus, quæ secundum rectam rationem moderatur appetitum, & usum ciborum oblectantium; atque etiam potionis non inebriantis. Sobrietas est virtus,

(4) Temperantia habet etiam sua vitia ei immediate opposita; eaque duo sunt, nempe insensibilitas per defectum, & intemperantia per excessum. Insensibilitas est vitium, quo quis omnes corporis delectationes, etiam necessarias, refugit & aversatur. Raro contingit. Esset tamen peccatum mortiferum si ex eo quis negligeret id, ad quod graviter obligatur. Tamen moderata abstinentia à delectationibus corporis quandoque laudabilis est, ac sæpe necessaria, puta cum ob motivum virtutis; e. g. mortificationis, pœnitentiæ, &c. Est autem intemperantia vitium quo quis voluptates corporis gustus præsertim ac venereorum, immoderatè appetit; rationisque ac divinæ legis regulam in earum usu excedit: Esse peccatum in suo genere mortale, constat ex dictis de luxuria & gula.

Partes integrales temperantiæ duæ sunt, nimirum verecundia, quæ est timor & horror turpitudinis, & vituperii intemperantiam consequentis; & honestas, quæ est virtus inclinans ad cavenda quæcumque inhonesta sunt, vel indecora, maxime in esculentis, poculentis, & venereis.

tus, quæ appetitum, & usum, potionis vim inebriandi habentis moderatur secundum rectam rationem, & legem divinam. Regula autem, ac mensura, cibi, potus, & somni sumenda est ex fine proximo, ad quem ista per se referuntur, qui est bona corporis valetudo, & idonea mentis ad suas functiones obeundas dispositio, seu habitudo, ad Dei gloriam ordinata: nam finis est mensura eorum, quæ sunt ad finem; legatur Aug. lib. de morib. Eccl. cap. 21. igitur ad temperantiam spectat nec plus, nec minus cibi, potus, & somni capere, quam ad bonam corporis valetudinem, & vires, ad munera sua recte obeunda, requisitas, aptamque mentis ad suas functiones dispositionem expediat: cum hoc discrimine, quod major quantitas sit illicita; minorem autem subinde sumere ob justam causam, quam sit robusta corporis valetudo, v. g. ob carnis mortificationem, vel satisfactionem pro peccatis, sit laudabile, etiamsi vires corporis imminuantur; modo tamen valetudo non nimis frangatur, nec mens reddatur ad suas functiones ineptior; ita ut homo semper valeat præstare ea, ad quæ tenetur. Hæc autem abstinentia major, quam ratio temperantiæ per se exigit, pertinebit ad aliam virtutem, ex cujus affectu servatur, v. g. castitatem, pœnitentiam &c.

Castitas est virtus, quæ cohibet, vel moderatur appetitum, & usum venereorum, ac delectationis venereæ secundum rectam &c. 2. Cor. 7. & 1. ad Tim. 2. Pudicitia autem vel est eadem virtus, quam castitas, vel ejus pars integralis cohibens oscula, aspectus, & tactus impudicos, eorumque delectationem. Triplex est castitas: nempe virginalis, (5) & est voluntas constans, & efficax abstinendi tota vita ab omni prorsus actione, & delectatione venerea: conjugalis, est voluntas constans, & efficax ab omni tali delectatione cum non conjuge, ea utendi cum conjuge semper juxta rectæ rationis, & Legis Divinæ regulam: & vidualis, estque propositum abstinendi in posterum propter Deum ab omni actione, & delectatione venerea percepta in conjugio. Abstinentiæ opponitur gula stricte sumpta, sobrietati ebrietas, & castitati luxuria, de quibus in Tract. de Peccatis.

Quæst. II.

(5) Virginitas amittitur per voluntariam seminis resolutionem, sive fiat per concubitum, sive non. D. Thom. quæst. 139. art. 1. ad 2. & 4. Licet virginitas sit de consilio, & non de præcepto: dubium tamen non est castitatem præceptam esse nono & sexto præcepto. Præcepta ista considerari possunt, partim ut affirmativa, partim ut negativa. Quatenus affirmativa, præcipiunt castitatem externam, etiamsi non virginalem, sed generalius sumptam, prout etiam in conjugatis reperitur.

Quæst. II. An licet agere ob voluptatem, seu delectationem moderatam, & per se licitam, eamque propter se appetere?

Resp. neg. Nam omnis actus, qui non est bonus, saltem ratione finis, hoc ipso malus est, ut docet Aug. l. 4. c. Jul. c. 3. idque satis indicat Christus Matth. 12. Jamvero actus non est bonus, nisi habeat finem honestum, hoc est consentaneum naturæ rationali, & legi divinæ. Præterea Agens ob delectationem pervertit rerum ordinem a Deo auctore naturæ institutum, secundum quem delectatio ex natura sua est propter operationem, & non vice versa, ut docet S. Thom. 1. 2. q. 4. art. 2. ad 2. itaque delectatio moderata potest quidem percipi, & appeti, ut medium, sed non ut finis. Hinc Innoc. XI. damnavit has propositiones: „ 8. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum; modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui; 9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali." Hinc manducare etiam moderate, audire musicam, odorari florem, & similia oblectamenta capere ob solam delectationem per se loquendo est venialis culpa.

Quæst. III. Quænam sunt virtutes Temperantiæ annexæ?

Resp. Sex. Mansuetudo, Clementia, Studiositas, Modestia, Eutrapelia, & Circumspectio. (6) I. Mansuetudo est virtus, quæ iram moderatur juxta rectam rationem, sic, ut non irascamur, nisi quando, & quantum, cui, & quomodo oportet. De qua Apost. ad Tit. 3. Ei opponitur per excessum iracundia, de qua alibi; per defectum vero dissimulatio, cum nempe ex iræ defectu aliquis non irascitur ubi, quando, quantum, & quibus oportet, ut justitia servetur, vitia corrigantur, scandalum tollatur &c. Est mortalis ex genere suo, cum repugnet Charitati, & Justitiæ. Ad discrimen aliorum vitiorum, quæ virtutibus moralibus per defectum, vel excessum opponi hactenus diximus, quæ sunt gravia, aut levia, ratione scandali, aut periculi, aut damni, aut alterius circumstantiæ ea comitantium

aut

(6) His addendæ sunt continentia, & taciturnitas. Continentia hic sumitur pro virtute qua homo resistit pravis delectationibus, vehementer ipsum sollicitantibus: quo modo est imperfectior castitate, sicut & temperantia. Taciturnitas est virtus, quæ sermonem moderatur secundum quod scriptum est psalm. 38. „ Dixi, custodiam vias meas, ut in ore delinquam in vita mea". Taciturnitati opponitur garrulitas, sive effrænis loquacitas.

aut denique gravitatis, vel levitatis materiæ. II. Clementia est virtus, qua Superior ex animi lenitate inclinatur ad pœnam debitam mitigandam, vel remittendam, quantum patitur recta ratio, justitia, disciplinæ bonum, Reip. (7) salus, & ædificatio publica. Ei opponitur per excessum crudelitas, qua quis ex animi austeritate propensus est ad exigendam pœnam ultra meritum culpæ. Est ex suo genere mortalis, cum repugnet charitati, & justitiæ. Per defectum vero nimia lenitas, qua quis pœnam remittit, aut mitigat, ubi severitate utendum recta ratio dictat, ad delinquentem emendandum, & servandam disciplinam &c. Est culpa gravis, aut levis pro ratione damni, vel scandali, quod ex ea provenit. III. Studiositas est virtus, qua quis studet ea diligentia, qua oportet, iis rebus, quibus oportet, ex debito fine, & in debitis circumstantiis loci, & temporis. Ei opponitur per excessum curiositas, quæ est inordinatus appetitus cognoscendi. Est autem inordinatus, vel ex parte objecti, & tunc definitur: Appetitio, vel cura superflua cognoscendi ea, quæ nec ad propriam, nec ad proximi salutem, nec ad Dei honorem conducunt. Vel ex parte modi, ut si ea, quæ ad te spectant velis addiscere tempore non congruenti, vel laboribus immodicis, & corpori, aut menti noxiis.

Curiositas est mortalis. 1. Ratione objecti prohibiti. 2. Ratione medii, vel ratione finis mortaliter mali. 3. Ratione periculi peccandi mortaliter. 4. Si per studium minus utile homo impediatur ab addiscendis iis, quæ scire tenetur. 5. Ratione nocumenti, seu damni. 6. Si quis ab alio scire vult, quæ sub mortali revelare nequit. 7. Ratione injuriæ gravis, ut si quis litteras alterius clausas sine consensu ejus, a quo, vel ad quem scribuntur, saltem prudenter præsumpto, aperit, & legit: nam tunc violatur jus, quod quisque habet, ne arcana consilia, & negotia magni momenti, vel occultanda, vel infamiam, aut aliud grave damnum continentia litteris commissa sine ejus consensu cognoscantur. Ita Nav. Tolet. Laym. & alii. Id etiam est contra fidem publicam, cui sigilla litterarum credita intelliguntur. Multi docent esse solum veniale litteras a domino dilaceratas, & in publicum pro-

(7) Adde, quantum etiam patitur ratio salutis fraternæ: quia nisi horum omnium ratio habeatur, non est clementia, sed mollities quæ opponitur clementiæ per excessum, sicut crudelitas per defectum.

projectas ex sola curiositate colligere, junctisque partibus legere; quia tum habentur pro derelictis. Sed hoc alii negant: quia dominus satis ostendit se non derelinquere jus, quod habet ad secretum litterarum: quamvis imprudenter agat. Item peccat contra justitiam, & quidem mortaliter, si fiat cum gravi damno, vel alter valde cupiat esse secreta, qui alterius scripta ipso invito legit. Excipe nisi constaret scripta vergere in damnum injustum communitatis, vel etiam privati: nemo enim habet jus ad medium injustum. Possunt quoque litteræ aperiri auctoritate publica, nempe Principis &c. cum id exigit bonum commune, cui jura privatorum subduntur. Sed ii, qui secreta legunt, tenentur celare. Parentes habent etiam jus aperiendi litteras liberorum curæ suæ subjectorum. Curiositas autem, qua non læditur graviter charitas, nec justitia est per se solum venialis, ut patet.

Per defectum adversatur studiositati negligentia, quæ est voluntaria omissio studii, vel inquisitionis ad discendum, quæ quisque scire, vel discere tenetur. Estque peccatum grave aut leve pro gravitate, aut levitate rei, quæ sciri debet, spectato ejus fine.

IV. Modestia duplex est: una est modestia (8) motuum externorum, quæ motus, & gestus corporis externos ita moderatur, ut congruum est personæ tum in se, tum in ordine ad eos, quibuscum versatur, & ad locum, tempus, statum &c. S. Ambros. l. de Offic. c. 9. Ei opponitur per excessum petulantia, & insolentia, quæ contrario modo se habet. Per defectum morum ruditas, seu rusticitas. Altera est modestia cultus, seu parcitas, qua in cultu, ornatuque corporis, & apparatu rerum externarum, domus supellectilis, conviviorum &c. servatur mediocritas, & congruitas ad personam, facultates, statum, conditionem, approbatam consuetudinem, & ad tempus, locum &c. Contra hanc peccatur 1. Per luxum, excedendo modum consuetum, & convenientem conditioni, facultati, personæ in vestibus, conviviis, supellectili &c. item assumendo vestes alterius sexus, D. Thom. 2. 2. q. 196. art. 2. ad 3. 2. Ratione affectus inordinati, quando nimium

(8) Auctor non loquitur nisi de modestia externa: at præter ipsam alia datur quæ quoniam moderatur internos animi motus secundum præscriptum rationis, legisque æternæ, modestia interna potest appellari, aut certe præcipua modestiæ pars. Hinc primum ac præcipuum modestiæ officium est, internos animi motus bene componere; utpote quibus compositis, exterioris homini sequitur compositio: siquidem interni actus ab externis profluunt,

mium ſtudium in hujuſmodi rebus ponitur. 3. Per defectum, & dicitur Sordiditas, qua non ſervatur decorum in cultu corporis, & rerum ſuarum. Porro peccata contra utramque modeſtiam interdum ſunt mortalia, ratione ſcandali, damni, pravi finis &c. quoad larvas, (9) & perſonatos attinet, hæc propter immodeſtiam, & nimiam mentis divagationem ſunt peccata venialia; mortalia vero, ſi in talibus circumſtantiis adhibeantur, ut ad libidinem incitent, vel libidini præbeant occaſionem, ut ſæpe contingit. Sed (10) an mulieres peccent, ſi ſe ornent ad pla-

(9) Aliquando larvarum uſus vacare poteſt ab omni peccato, cum nempe adhibetur, in quibuſdam caſibus neceſſitatis, vel magnæ utilitatis, v. g. ad ſalvandam vitam, vel ad aliqua gravia incommoda declinanda. Nam larvarum uſus in ſe & ex natura ſua non eſt malus. In pluribus tamen circumſtantiis illicitus evadit, uti ſunt circumſtantiæ bachanaliorum, aliæque ſimiles, ita ut difficillimum ſit ab omni peccato excuſare laicos ipſos, larvas adhibentes in his circumſtantiis, independenter ab aliis criminibus, quæ ex ipſis regulariter ſequuntur.

Eccleſiaſtici vero, tam ſæculares quam regulares, qui, juxta abuſum valde communem, præſertim in Italia, larvas aſſumunt, a peccato mortali excuſari non poſſunt, ut ſolide oſtendit P. Daniel Concina, in diſſert. anno 1752. Romæ impreſſa.

(10) Licet mulieribus ſe ornare, ac ornamenta & veſtes geſtare earum ſtatui accommodatas & proportionatas: nam veſtimenta & ornamenta ipſarum non ſunt mala ex natura ſua; ſed talia efficiuntur propter aliquas circumſtantias, cujuſmodi ſunt indecentia, immodeſtia, exceſſus & ſcandalum, periculum tam ipſarum quam aliorum, &c. Hinc.

I. Illi qui hac intentione hujus generis ornamenta excogitant, nullius peccati reatu tenentur. Artifices tamen qui novos ornamentorum modos inveniunt, in duplici caſu peccant. 1. Cum talia ornamenta ſunt immodeſta. 2. Cum, licet immodeſta non ſint, artifices, ea excogitando, pravam habent intentionem.

II. Puella, & mulier licite ſe ornare poteſt juxta morem temporis & patriæ, ut ſuæ conditionis decorem ſervet, dummodo hæc ornamenta ſejuncta omnino ſint a malis circumſtantiis quæ illicita ea redderent. 2. Mulier licite ſe ornare poteſt, ut viro ſuo placeat, & ſine quavis alia mala circumſtantia. S.Thom. 1. 2. q. 169. art. 1. 3. Mulieres quæ inordinate ſe exornant, ſeu contra morem patriæ, ſeu ſupra conditionem ſui ſtatus, ſeu &c. plus vel minus peccant, prout plus vel minus ab ordine recedunt. Peccant mortaliter 1. Cum veſtium forma idonea eſt ad accendendam libidinem; 2. A fortiori cum ſe ornant ea intentione, ut viros alliciant in concupiſcentiam ſui; 3. Cum, ut loquitur Sylvius, tanta eſt veſtium ſumptuoſitas, ut propter eam, vel non ſolvantur debita, vel non reſtituantur ea quæ debent reſtitui.

Quod ſi mulier ab ornatu ſuperfluo abſtinere nolit, tunc, inquit Sylvius art. 2. ſi, clare conſtet de peccato mortali, neganda eſt abſolutio; ſi vero res dubia ſit, ſuſpendenda videtur, ne

ad placendum viris? Sic respondet S. Thom. 2. 2. q. 196. art. 2. „ Si mulier conjugata se ornet, ut viro suo placeat, potest hoc facere absque peccato. Mulieres vero, quæ nec sunt, nec volunt, nec possunt esse conjugatæ non possunt absque peccato appetere placere virorum aspectibus ad concupiscendum: quia hoc est dare eis incentivum peccati. Et si quidem hac intentione se ornent, ut alios provocent ad concupiscendum, mortaliter peccant. Si autem ex quadam levitate, vel etiam ex quadam vanitate propter jactantiam quamdam, non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale. Et eadem ratio est de viris. Similia habet ad 2. "

V. Eutrapelia, seu jucunditas est virtus, quæ inclinat ad servandum modum, & decorem in dictis, & factis ludicris ad animi recreationem institutis. Contra illam peccatur per excessum 1. Ratione objecti, si prohibitum jocandi genus usurpetur. 2. Ratione circumstantiarum, loci, temporis, personæ &c. 3. Ratione immodici affectus, S. Ambros. l. de Offic. cap. 20. Per defectum vero peccatur, cum quis ex animi austeritate, seu morositate omnem honestam animi recreationem sibi necessariam repudiat, vel in aliis impedire conatur.

VI. Circumspectio est virtus, quæ sermones moderatur secundum rectam rationem, & legem Divinam, ita ut non loquatur, nisi in debitis circumstantiis. Est valde necessaria, quia ex ejus defectu innumera admittuntur peccata. Jac. 3.

APPENDIX.

De jejunio Ecclesiastico.

Quæst. I. QUænam ad illud requiruntur?

Resp. 1. Tria. Abstinentia (11) a carnibus, atque etiam (12) ab ovis, lacticiniis: nam hæc sunt etiam prohibita jure communi, quod ex carne originem ducant, & multum nutriant, Can. 6. dist. 4. ex S. Gregor. Hinc Alex. VII. damnavit hanc propositionem: „ Non est „ evi-

---

ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis, in casu nempe in quo adesset mortale peccatum a quo mulier nollet abstinere.

(11) Esus carnium in die jejunii est peccatum mortale, nisi materiæ parvitas excuset. Eam quippe Doctores communiter admittunt, sed in ea determinanda non conveniunt. Hac in re cavendum est ab opinionibus nimium benignis; cum hæc materiæ parvitas tenuissima esse debeat; ita ut dubitetur an pertingere possit ad octavam unciæ partem.

(12) Ubi consuetudo est non comedendi ova & lacticinia in quadragesima, eam esse obligatoriam certum est ex communi fidelium sensu, majorum traditione, & Ecclesiæ declaratione, quæ per Alexandrum VII. damnavit Bellizarii propositionem ab Auctore relatam. Unde cum obligatio hæc sit in materia gravi, graviter proinde obligat.

evidens, quod consuetudo non comedendi „ ova, & la„ cticinia in Quadragesima obliget, “ Verum hac in re spectanda est cujusque regionis legitima consuetudo. S. Thomas 2. 2. q. 147. ad 3. 2. Abstinentia a pluribus refectionibus ita ut intra spatium diei naturalis nonnisi semel corpus reficiatur. Hæc refectio debet esse continua moraliter, alioqui non esset una, sed repetita. Non licet autem diu protrahere prandium; nam hoc esset æquivalenter duplicem refectionem sumere. Hinc, qui die jejunii comedit etiam insulpate, puta ex inadvertentia, tenetur eo die abstinere ab alia refectione, si potest sine gravi incommodo; quia jejunium adhuc quoad unicam refectionem servare potest. Lessius. 3. Certum tempus refectionis, quod nunc ex recepta consuetudine est circa meridiem, ita ut non liceat sine justa caussa hanc horam anticipare, ut constat ex sensu, & praxi Ecclesiæ. Potest tamen pro arbitrio differri refectio usque ad horam tertiam pomeridianam, vel solis occasum, ante quod tempus erat vetita, saltem in Quadragesima.

Quæst. II. An præceptum jejunii per se obliget sub mortali?

Resp. Affirm. Constat enim 1. ex SS. Basil. Orat. 2. de jejun. Greg. Nazianz. epist. 74. Hieron. epist. 54. Cyrill. Alexandr. hom. 1. Pasch. & aliis, & variis Conc. & ex consensu Doctorum, & Fidelium. Constat præterea ex natura rei præceptæ, quæ est capax gravis obligationis (cum sit opus virtutis in suo genere grave) & ab Ecclesia absolute præcipitur. Hinc Alex. VII. damnavit hanc propositionem: „ Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod „ tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, „ vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se sub„ jicere præcepto “.

An autem mortale sit tempus refectionis notabiliter anticipare sine juxta causa?

Controvertitur. Layman censet olim quidem notabilem anticipationem fuisse mortalem, nunc vero spectata hodierna Ecclesiæ consuetudine esse solum venialem. Sed Covaruv. aliique docent etiam nunc esse mortalem, & probant 1. Ex sensu Fidelium, & ex fine jejunii. 2. Ex cap. *Solent de consecr.* dist. 1. & ex Concil. Rothomag. ann. 1502. cap. 22. 3. ex S. Thom. in 4. dist. 15. q. 3. art. 4. Quia tunc violatur præceptum in re notabili, & quæ multum pertinet ad rationem jejunii Ecclesiastici, ait Sylvius. Porro juxta multos nulla est culpa, si ob justam causam, qualis est iter necessario faciendum, tempus illud notabiliter antevertatur, quod in usu receptum sit apud doctos, & probos; & facilius excusatio in hoc

locum

locum habeat, quam in aliis ad jejunium requisitis, cum refectionis tempus ad finem jejunii minus conducat.

Quæst. III. Quid dicendum de cœnula, seu collatione?

Resp. 1. Hæc consuetudine inducta est, & ab Ecclesia tolerata, ideoque, ex probata piorum, ac timoratorum consuetudine in qualibet Regione, scientibus, & annuntiantibus Ecclesiæ Pastoribus determinanda est secundum qualitatem, & quantitatem ciborum. De quantitate in universum dici potest eam debere esse valde modicam; juxta multos non debere esse eamdem pro omnibus, & ubique, sed diversam pro diversitate complexionum, laborum, & regionum, quoad qualitatem prohibentur ii cibi, qui valde nutriunt, qualia sunt ova, pisces, legumina cocta. Nam cum lex jejunii unicam refectionem permittat, inductaque sit consuetudine cœnula, in hac iis solum cibis uti licet, qui ipsa consuetudine sunt approbati, quales sunt leviores, ut fructus, & pro more regionis parum casei. Licet tamen sumere jusculum ex leguminibus coctis ob necessitatem; nam ex S. Thom. medicinarum assumptio non solvit jejunium.

Resp. 2. Non licet cœnulam sumere mane ante meridiem: quia Ecclesia præcipit, & Canones præscribunt, ut nil sumatur in cibum ante horam consuetam, quæ circiter meridiem est. Immo non licet cœnulam sumere etiam circa meridiem, dilata ad vesperum cœna, nisi justa causa subsit, ut ratione negotiorum per diem agendorum. Item Layman cum aliis dicens hanc esse communem sententiam. Quia consuetudo cœnulam permittens habet, ut noctu tantum sumatur, nisi justa adsit causa excusans, quæ tamen si absit, juxta multos erit tantum veniale.

Quæst. IV. An qui ex justa causa dispensatus est in abstinentia carnis, hoc ipso liberetur abstinentia ab altera refectione?

Resp. neg. Nam istæ duæ abstinentiæ, quas lex jejunii præscribit, sunt a se invicem separabiles, & seorsim conducunt ad finem præcepti, videlicet macerationem carnis; & causa dispensationis sufficiens pro una, non semper sufficit pro duabus. Præterea Papa Romæ, & Episcopi in variis Diœcesibus cum dispensarunt in abstinentia carnis ob causam pro ea sola sufficientem, declararunt se non dispensare a pluribus refectionibus. Et dicitur extare authentica de hoc Clem. XI. declaratio.

(*) Nota. Licet Clem. XI. promulgato per Cardinalem Vicarium Edicto declaraverit, Quadragesimali recurrente

rente jejunio eos, quibus carnium esus justa de causa permittitur, *jejunii legem observare debere*: tamen plures deinceps in contraria fuere sententia: & exorta hac de re in variis Lombardiæ partibus controversia circa ann. 1736. plura pro utraque parte edita fuere volumina. At SS. D. N. Benedictus XIV. non solum lites finivit, sed etiam dubia, quæ occurrere solebant, explicavit: regulas pro restauranda, servandaque jejunii disciplina constituit; ac methodum in dispensationibus servandam præscripsit. Nam ann. 1741. Epist. ad omnes Catholicos Episcop. data ad tollendos abusus adversus jejunii Quadragesimalis observantiam invectos Episcopis inculcat. 1. Nulli privatæ personæ dispensationem a cibis Quadragesimalibus, nisi *de utriusque medici consilio*, Communitati vero, v. g. populo, civitati, aut integræ nationi, nonnisi gravissima urgente necessitate, & in casibus a sacris Canonibus præscriptis eamdem licentiam concedi debere. 2. Tam privatam personam, quam communitatem sic dispensatam teneri adhuc ad unius comestionis observantiam, eisque utriusque generis epulas indiscriminatim sumere non licere. 3. Dispensatos moneri jubet, ut alia pia opera jejunii loco substituant. Idem repetit in Epistola Epist. ad Andream Archiepiscopum Valentiæ ann. 1742. quamvis declaret in superiori Const. se non definiisse, an dispensati a quadragesimalibus cibis dispensati etiam sint ab unica comestione. Anno vero 1744. 8. Julii in responsione ad quæstiones ab Archiepiscopo Compostellæ circa jejunii leges sibi propositas, idem confirmat, additque eos, qui implere non possunt jejunii observantiam quoad abstinentiam a carnibus, teneri sub gravi quoad alteram abstinentiam, nempe quoad abstinentiam a duplici comestione, eisque in vespertina refectiuncula ea quantitate (13) carne uti non licere, quæ jejunantibus per-

(13) Idem clarius adhuc decrevit Clemens XIII. in Epistola Enosdica, quando dedit ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos universæ Ecclesiæ catholicæ die 20. Decembris ann. 1759. ubi aperte asserit, tam dispensatos a carnium abstinentia, quam quovis modo jejunantes, unica excepta „ comextione, in omnibus æquiparandos iis esse quibuscum nulla est dispensatio, „ ac proinde tantummodo ad „ unicam comextionem posse „ carnes, vel quæ ex carne originem trahunt, adhibere “. Quænam autem sint ea quæ a carne trahunt originem clare habetur in capit. *Denique* dist. 4. ubi dicitur, „ Par autem est, in „ quibus diebus a carne animalium abstinemus, ab omnibus „ quoque, quæ sementinam carnis „ trahunt originem jejunemus: a „ lacte videlicet, caseo, & ovis “.

permittitur, horamque pro unica comestione servare debere, quam servant jejunantes. Declarat praeterea, quaenam sint epulae licitae, quae vetantur cum interdictis conjungi, aitque eas esse carnes, & pisces, ita ut de utrisque simul edere non liceat; idque ad dies etiam Dominicos extendi; nihil tamen innovare intendit circa eos, qui ex Bulla Cruciatae edere possunt ova, & lacticinia. Tandem concludit memorata duo praecepta urgere etiam extra Quadragesimam, praeceptum nempe unicae comestionis cum reliquis legibus in 2. & 3. responso expressis, & praeceptum non miscendi epulas licitas, cum interdictis. Vide etiam Ep. die 10. Junii ann. 1745. ad Universos Episcopos datam tom. 1. Bull. pag. 523.

Quaest. V. An toties quis peccat mortaliter, quoties die jejunii sumit refectionem iteratam?

Resp. Non pauci affirmant. Nam praeceptum abstinendi a pluribus refectionibus est negativum. Deinde quando vetatur aliquid saepius, quam semel uno, eodemque tempore fieri, non solum prohibetur fieri bis, sed etiam ter, quater &c. Sic cum lex vetat ne fidelis saepius, quam semel eodem die communicet, aut saepius in vita baptizetur, non solum secundo, sed etiam tertio, & quarto actu violatur praeceptum. Rursus mortificatio carnis, quae est finis legis, adhuc aliqua obtineri potest per omissionem aliarum refectionum. Hinc tres refectiones sumere non licet ei, cui duae sufficiunt, & permissae sunt ob infirmitatem.

Quaest. VI. An violat jejunium, qui extra refectionem consuetam, & coenulam aliquid bibit, vel comedit?

Resp. 1. Multi docent non violari potu etiam vini, modo non in ea quantitate bibatur, quae censeatur esse in fraudem jejunii. Quia id permittit consuetudo a tempore immemoriali. Idem dicunt de electuariis quibusdam, quae parum nutriunt, v. g. thaeo: Sed alii id negant, aut non concedunt, nisi de potu necessario ad sitim sedandam, qui nihil, aut parum nutriat, & de electuariis, quae in parcissima quantitate, & cum necessitate sumuntur, ita ut sint loco medicinae. S. Thomas 2. 2. q. 137. art. 6. ad 2. docet eum qui jejunii tempore pluries bibit, non solvere jejunium, quia multiplicitatem potus Ecclesia non interdicit: si tamen immoderate bibat, amittere meritum jejunii, perinde ac ille, qui in unica comestione immoderate manducaret. Idem asserit in resp. ad 3. de electuariis, nisi ad modum cibi magna in quantitate ea sumantur.

Resp. 2. Secundum omnes violatur jejunium, si extra haec tempora sumatur jusculum, lac, vel similis potio, quae

quæ ad nutriendum principaliter ordinatur. Idem dic de pomis, piris, uvis recentibus; & omnibus aliis fructibus; nam hæc, & similia sumere est juxta communem sensum comedere, non bibere; & ex se nutriunt. S. Antonin. Licet tamen ob necessitatem aliquid in parva quantitate sumere per modum medicinæ, quamvis nutriat. Sic mane pauxillum panis cum haustu vini sumere licet ei, qui aliter sine gravi incommodo non posset jejunare, vel functiones animi, aut munera sua recte obire.

Resp. 3. Qui exiguum quid nutritivum sæpius eodem die sumit, etsi sine proposito aliquid notabile sumendi, peccat mortaliter, cum ad quantitatem notabilem scienter pervenit. Nam plura illa modica conflant simul magnam quantitatem, & producunt notabilem effectum, in quo uniuntur, scilicet notabilem nutritionem. Hinc Alexand. VII. damnavit hanc propositionem: „in die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium." Quantitas autem notabilis ab aliquibus censetur, si unam, & dimidiam, vel duas ad summum uncias sumeret. Porro non excusatur a culpa veniali, qui rogatus ab amico exiguum quid comedit, ne inurbanus videatur, ut patet.

Quæst. VII. Quinam excusantur a lege jejunii?

Certum est omnes Christianos post 21. annum completum teneri ad jejunium ab Ecclesia præceptum, nisi justa ex causa excusentur. Nam lex est universalis, ut constat ex sensu Ecclesiæ; & causa hujus præcepti, nempe mortificatio carnis, & castigatio corporis, in omnibus locum habet. Igitur Resp. Quoad abstinentiam ab altera refectione excusantur generatim omnes, qui sine gravi incommodo, seu damno jejunare non possunt. Speciatim vero hi. 1. Ægroti, infirmi, item convalescentes, (14) quos infirmitas valde extenuavit. De sufficienti gravitate infirmitatis consulendus est prudens Medicus. Quod si causa ei est dubia, & incerta, auctoritate Superioris opus est: quia tunc necessaria est juris relaxatio, ad quam Medicus, vel Confessarius potestatem non habet. Azor. Qui autem ob infirmitatem non possunt jejunare omnibus diebus Quadragesimæ, sed possunt aliquot diebus cujusque

(14) Doctores id extendunt etiam ad illos qui laborant febri tertiana vel quartana diuturna. Sed improbandus est Sanctius in select. disp. 54. excusans eos qui habent duo, vel plura cauteria, cum cauteria illa non ita debilitent habentem ut egeat cœna, prout experientia docet.

que hebdomadæ v. g. alternis, vel duobus &c. tenentur illis diebus, quia singulis diebus affixa est nova obligatio jejunandi, quæ non tollitur, nisi per justam causam. Qui vero dormire nequeunt, nisi sumpta cœna, non ideo excusantur a jejunio, cum possint illud servare sine gravi incommodo, v. g. collatiunculam circa meridiem sumendo, & integram refectionem sero; nam præceptum obligans ad aliquid, simul obligat ad media saltem non valde difficilia, licet non ordinaria. 2. Prægnantes, & Nutrices. 3. Pauperes, qui non habent, quod uni justæ refectioni sufficiat. Secus de his sentiendum est, qui id habent. Ita S. Thom. q. 147. art. 4. ad 4. 4. Pueri ante annum 21. completum ex generali Ecclesiæ consuetudine sic communiter recepta, & intellecta secundum communem Doctorum sententiam, inquit Sanchez. Quia cum usque ad hoc tempus crescant, ac firmentur hominum corpora, egent frequentiori cibo, non simul, sed pluribus vicibus sumpto, *tum propter debilitatem naturæ, tum propter necessitatem augmenti, quod fit de residuo alimenti*, ait Sanctus Thomas ad 2. Nec obstat, quod aliqui ante hoc tempus non indigeant frequentiori cibo, quia Legislator *attendit ad id, quod communiter, & in pluribus accidit*, ait Sanctus Thomas monens conveniens esse, ut adolescentes jejunent plus, vel minus secundum modum suæ ætatis, potissimum ut carnis concupiscentias, quibus tunc exæstuat natura corrupta, jejunio coerceant. Immo possunt adolescentes ad jejunium obligari, ob urgentem gravem necessitatem, sive publicam: ut Joann. 3. sive privatam, ut si egeant hoc remedio ad cohibendam libidinem, ut patet.

Quoad senes, quamvis aliqui putent eos a jejunio eximi circa annum septuagesimum; tamen ex communi sententia, teste Layman, aut saltem communiori, non est pro iis certum tempus constitutum, quo a lege jejunii sint soluti, eo quod alii citius, alii tardius viribus deficiant. Quare senes non excusantur, nisi quando corporis vires deficiunt, ita ut pluribus modicis egeant refectionibus, alioqui grave nocumentum passuri. S. Antonin. 2. p. tit. 6. cap. 1. §. 1.

5. Operarii, opifices, & ii omnes, qui ex officio exercent opera laboriosa, ob quæ sine gravi incommodo jejunare nequeant. Quales sunt agricolæ, fossores, vinitores, fabri lignarii, pistores, bajuli, & alii similes. Idque juxta multos, quamvis non sint pauperes, modo talia opera ex officio exerceant; quod, teste Sylvestro, iis concessit Eug. IV. Secus tamen est de die, quo non laborant, nisi alias grave incommodum sentirent ob labo-

rem præcedentis diei, aut judicio prudenti redderentur inepti ad laborandum die sequenti. Ex communi sententia non excusantur Notarii, Scribæ, Pictores, Barbitonsores, Sartores, Typographi, qui torcular non tractant, sed characteres componunt: Sutores, præsertim ii, qui non sunt, sed solum scindunt corium, & materiam præparant, famuli, & ancillæ, qui non magnis in laboribus se exercent? & omnes, quorum labor non est gravis, nec fit cum magna agitatione. Hinc Alexand. VII. damnavit hanc propositionem: „ Omnes officiales, qui „ in Rep. corporaliter laborant, sunt excusati ab obli- „ gatione jejunii, nec debent se certificare, an la- „ bor sit compatibilis cum jejunio. " Idem dic de Professoribus, seu Præceptoribus, nisi adsit specialis infirmitas.

6. Qui pedibus conficiunt iter, quod in tempus aliud a jejunio liberum nequeat commode differri, modo spectatis omnibus, ut itineris longitudine, viarum difficultate, laboris gravitate, itinerantis viribus &c. Dixi, *pedibus*, quia non excusantur, qui equo, vel curru iter faciunt, nisi forte ob extraordinariam concussionem, ac defatigationem non possunt sine gravi incommodo jejunare. Hinc Alexand. VII. damnavit hanc propositionem: „ Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, „ qui iter agunt, equitando utcumque iter agant, etiam- „ si iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei „ conficiant. "

7. His causis multi addunt pietatem, sive opus præstantius, & Deo gratius, incompossibile moraliter cum jejunio, ut sunt opera misericordiæ tum corporalia, tum spiritualia, & etiam religionis, si exerceantur ex officio, vel obedientia, vel ob necessitatem proximi. Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 147. artic. 4. ad 3. Nam Ecclesia non intendit obligare ad jejunium, prout est impedimentum majoris boni. Sic Ecclesia diebus festis judicialem strepitum vetat, *nisi necessitas urgeat vel pietas suadeat* ait Gregorius IX. cap. ult. *de Feriis*.

Observa 1. Nemo ab abstinentia carnis liberatur præcise ob ætatem, & laborem gravem; sed ad hoc requiritur morbus, vel infirmitas major, & specialis. Quia abstinentia a carnibus rarius potest grave nocumentum inferre, quam abstinentia ab altera refectione. 2. Quamvis adsit gravis infirmitas, vel morbus, adhuc petenda est licentia a Superiore (nisi forte in certis casibus ex consuetudine non petatur) propter obsequium erga auctoritatem Ecclesiæ, & ob vitandum periculum deceptionis, ac violationis legis. Ita Sanctus Thomas *loc. cit.* &

Con-

Concilium Toletanum VIII. cap. 9. 3. In dubio (15) de sufficientia causæ ad non jejunandum, semper peti debet dispensatio; quia stat pro lege possessio, & in dubio &c. Dispensare possunt cum sæcularibus Episcopus, vel etiam Paro-

(15) In dubio an detur causa sufficienter excusans, Prælatus & Parochus licite dispensant: quia minor causa requiritur ut quis cum dispensatione deobligetur, quam sine dispensatione. Quod si dubium sit, an detur causa sufficiens ad dispensandum, Prælatus partim dispenset, partim commutet in aliud opus pium, inquit Navarrus. Meminerint Superiores & Parochi majorem causam requiri ad dispensandum super carnium esu quam super secunda refectione: sic enim habet consuetudo, docentque Sylvester, Cajetanus &c. Facile præsumendum non est, dispensatum super esu carnium pro toto tempore Quadragesimæ iis vesci posse etiam sextis feriis & sabbatis, nec non quatuor temporibus occurrentibus, nisi dispensandi causa id manifeste requirat.

Sed hic varia animadvertenda sunt: 1. Etiamsi probabile videri possit, personas delicatas & assuetas delicatioribus cibis quæ solo pane vesci non possunt absque notabili corporis detrimento, non habentes alium die jejunii cibum nisi carnes, illas comedere posse, etiamsi panem habeant: secus tamen est de personis robustis, & assuetis vilioribus cibis, quibus non ita grave est, uno vel altero die solo pane vesci: Ecclesiæ namque præceptum servare debent quicumque sine notabili gravamine, vel corporis detrimento possunt. Aliud forte videri posset, si per plures dies solo pane vesci deberent qui aliis cibis assueti sunt; quo casu esum carnium permittunt Angelus, Vega, aliique plures. Sed nec istis concedendum foret sine dispensatione, saltem Pastoris sui, juxta Concil. Tolet. VIII. 2. Illis diebus quibus ova permittuntur & lacticinia, etiam pinguedinem & laridum non permitti, ubi consuetudo non invaluit in contrarium; quia, licet pinguedo non sit caro; magis tamen ad carnem pertinet quam ova & laticinia, immo ad carnem reducitur, sicut medulla, nervi, cartilagines. Et idem a fortiori est de larido,

III. Esum anatum marinorum licitum esse in quadragesima: nam marini anates quibusdam in locis ex lignis navigiorum putrefactorum nascentes in littore maris, omnibus ponderatis, a medicis considerantur pisces, vel ad genus piscium reductive pertinentes. Et ideo a timoratis, etiam Regularibus, absque scrupulo eduntur, etiam in quadragesima.

IV. Esus panis biscocti in quo aliquid est ovi licitus non est, ubi ova non sunt permissa, nisi in iis tam parum sit de ovo, ut parum pro nihilo reputetur.

V. Communis sententia est, pueris ante septennium licite ministrari carnes & alia diebus jejunii prohibita: quia legibus ecclesiasticis non tenentur, nisi qui rationis usum adepti sunt; quod ante septennium completum ut plurimum non contingit. Si qui tamen rationis usum antea adepti fuerint, non licet illis carnes ministrare.

VI. Peccat mortaliter qui die jejunii mane sumit prandium: quia, ut ait S. Thomas in 4. dist. 15. q. 3. art. 4. quæstiunc. 3. „ Cum Ecclesia instituerit cer- „ tum

Parochus juxta cujusque Diœcesis consuetudinem. Cum Regularibus vero Superior localis: quia in suos potestatem habet, quasi Episcopalem. Confessarii autem, sicut & Medici, possunt solum declarare obligationem jejunii non esse, ubi id constat, & causam dispensandi sufficientem esse, vel non esse: qui graviter peccabunt, si imprudenter, & nimia facilitate declarent. S. Antoninus loc. cit.

APPENDIX.

Ad usum Missionariorum.

De Orientalis Ecclesiæ circa jejunium abstinentia.

OPportunum visum est nonnulla hic indicare, quæ necessaria sunt, ut Orientales ritus christiani sciant, quando, & qua ratione ex Ecclesiæ præcepto ipsis sit jejunandum. In primis statuo, orientales ex Ecclesiæ præcepto teneri ad jejunia illa, quæ vel ex præscripto antiquorum can. aut ex antiquo usu recepta, & confirmata consuetudine observare solent; hæc enim habent vim legis, ut omnes fatentur. Deinde ab hujusmodi lege dispensari non posse ab Episcopis, vel Patriarchis, ut contra Cyrill. Patriarch. Antioch. declaravit Bened. XIV. in Const. *Demandatam cælitus*. Denique non omnes Orientales convenire circa dierum numerum, in quibus sit jejunan-

---

„ tum tempus comedendi jeju- „ nantibus, qui nimis anticipat, „ jejunium solvit", proindeque mortaliter peccat. Licet paululum anticipare, v. g. hora dimidia ante meridiem, moraliter pro non anticipatione reputetur, ut idem S. Doctor docet, 1. 2. q. 147. art. 7. ad 2.

VII. Non licet cauponariis diebus jejuniorum præsentare cœnam obligatis ad jejunium, quos probabiliter, immo certo sciunt, jejunium violaturos. Nam haud dubie mortale peccatum est, scienter cooperari peccato mortali alterius. Hoc autem ipsi faciunt; & quamvis causa non sint peccati ipsorum, quoad initium pravæ voluntatis: cooperatores tamen sunt actus quo prava illa voluntas executioni mandatur. Tametsi ergo hospites illi carnes vel cœnam petant, ipsi ministrare cauponarii non debent, etiamsi hospitium ipsi propterea forent deserturi. Si tamen viri honesti de quibus dubium est, an lege jejunii teneantur, cœnam peterent, caupones dubium illud meliorem in partem interpretantes, arbitrari possent, ipsos non teneri, ideoque cœnam ipsis possent ministrare, nisi vehemens ratio contrarium suaderet. Legatur Concilium Mediol. I. v. in quo, & cum quo S. Carolus tit. *De his quæ ad dies festos, & sacra tempora pertinent*, vetat id sub pœnis contra quadragesimæ violatores sancitis.

junandum, nec circa modum; idque non novum esse sed antiquum, ut videre est apud Thomass. tract. de jejun. Eccl. p. 2. cap. 20. & ut notat Balsamon in fragm. a Cotelero latine reddito in not. ad lib. 5. Constit. Apostol. cap. 20. Quod notatum volo, ut quisque intelligat propriæ Ecclesiæ consuetudinem hac in re servari debere.

Hæc de Græcorum jejunio in communi: in particulari vero ex Benedicti XIV. Const. *Etsi pastoralis* constat Italo-Græcos, eos scilicet, qui in Italia, & insulis ei adjacentibus degunt, sed Græcos ritus servant, constat, inquam Italo-Græcos 1. non teneri ad observantiam jejuniorum, & vigiliarum latinæ Ecclesiæ, quamvis optimum esse asserat Pontifex, si ad id absque coactione adduci possent, neque privatis personis fas esse, ubi Parochiam Græcam habent, ibi, contra proprium ritum Latinornm more jejunia, & vigilias servare: sed omnes, vel græce cum græcis, vel latine cum latinis jejunare debere. Secus, si propriam parochiam non habent: tunc enim excepta Missa, & officiis Divinis, libere ac licite posse eos ritui latino sese conformare decernit. 2. Eos non teneri, secluso scandalo, ad abstinentiam carnis die Sabbati: non tamen posse famulos latinos ad id inducere quovis tempore, quo isti a carnibus abstinere debent. 3. Non teneri præfatos Græcos ad jejunium eodem die Sabbati in Quadragesima, excepto uno Sabbato Sancto, sed solum ad abstinentiam, idque ex antiqua Traditione. 4. Si dies Sabbati incidat in jejuniis biduanis, vel triduanis, vel alias a Diœcesanis, vel in Jubilæis a Summo Pontifice Romano indictis talem diem in allum pro Græcis ab ipsis diœcesanis Apostolica auctoritate commutari posse permittit. 5. Eisdem concedit, & indulget, ut ad instar Latinorum, in quorum diœcesibus degunt, in Quadragesimæ quartis, & sextis feriis, & reliquis anni jejuniis, vino, oleo, & piscibus cujuscumque generis uti possint.

Nota. Præter Quadragesimale jejunium, & abstinentiam, vel jejunium feriæ quartæ, & sextæ Italo-Græci abstinere quoque debent a carnibus, lacticiniis, & ovis aliis tribus temporibus: scilicet a die lunæ post Festum SS. Trinitatis ad Festum usque SS. Apostolorum Petri, & Pauli *exclusive*: a prima Augusti usque ad festum Assumptionis B. M. V. & a quintadecima Novembris usque ad Nativitatem Domini. Hæc est, quæ apud Italo-Græcos consuetudo viget; ut constat ex supplici libello Pompilii Rodota anno 1742. ad Summum Pontificem nomine Italo-Græcorum misso.

At non eadem est aliorum Græcorum consuetudo teste P. Goar viro in hujusmodi rebus valde perito, in notis in Præsanctificatorum officium num. 17. nec non Balsamon in loco supra a nobis cit. & Benedictus XIV. in supra cit. Const. *Demandatam cælitus*. Ex his enim constat vigere, & etiam olim viguisse magnam penes Orientales diversitatem circa dierum numerum, quibus jejunare solent cum prædictis temporibus alii plures dies, alii pauciores jejunent, ex quo jure meritoque deducimus, unamquamque Ecclesiam jejunia observare oportere, quæ ex Majorum consuetudine servanda esse accepit. Discrimen quoque in iis observare est circa jejunandi modum: licet enim ad ante paschale jejunium, quod attinet, eadem debet esse in omnibus jejunandi ratio: tamen circa alia jejunia invicem diffident: alii enim contenti sunt sola abstinentia a carne, a lacticiniis, & ovis (demptis diebus Mercurii, & Veneris, in quibus fere omnes ab oleo quoque, & piscibus abstinent:) alii jejunium protrahunt usque ad nonam tantum: alii denique pro loci consuetudine majorem, vel minorem rigorem servant. Atque in iis quoque derivata ex Majoribus consuetudo in unoquoque loco tamquam lex Ecclesiæ servanda est.

Jamvero in magno Quadragesimæ jejunio præter unicam comestionem exceptis Dominicis, & Sabbatis, ut supra diximus abstinere quoque debent Græci, aliique Orientales a piscibus cum sanguine præterquam in Annuntiationis, & Palmarum Festivitatibus: immo nonnulli etiam ab oleo abstinent, si non semper, saltem prima hebdomada, & feria quarta, & sexta majoris hebdomadæ. Obligationem hanc tum ex iis deducimus, quæ notat Goarius loco supra cit. tum ex dispensatione Italo-Græcis a SS. Pontificibus concessa: tum denique ex eo, quod consuetudo hæc ubique vigeat, nisi ortis ex ignorantia abusibus, disciplina non est immutata. Circa feriam quartam, & sextam Bened. XIV. Const. paulo ante cit. indistincte servari præcipit in toto Patriarchatu Antiocheno laudabilem consuetudinem, ab aliis quoque Græcis exacte custoditam abstinendi etiam qualibet feria quarta, & quinta per annum ab esu piscium.

Nota 1. Pisces, a quibus abstinere debent, ii sunt, qui sanguinem habent. Nam dum ab iis abstinent, fas Orientalibus est uti piscibus sanguine carentibus, ut notat Goar loco supracit. 2. Patriarcham Antiochenum incolis Libani, & Anti-Libani nonnisi *in singulos annos* concedere posse facultatem vescendi carnibus, & lacticiniis, necessitate sic exigente, illæsa tamen remanente generali lege de jejuniis, abstinentiis, & de unica comestione je-

junii tempore, ex supradict. Const. & ex Auct. de jejuniis Latinorum: 3. Dictam Const. qua parte jubet servandos esse ritus, & jejunia Orientalis Ecclesiæ, ac tollendos abusus, Orientales omnes Greci ritus obligare: Ex Const. ejusdem Pontificis incip. *Inter plures*, die 11. Maji anno 1744. 4. In illis locis, in quibus contra propriæ Ecclesiæ consuetudinem feria quarta, & sexta, ac nonnullis Quadragesimæ diebus a Catholicis ritus, vel Græci, vel Armeni, vel Coptici, aut alterius cujuscumque, omittitur abstinentia a piscibus cum sanguine, oleo &c. Quod hujusmodi abstinentias in Romana Ecclesia observari non noverint, vel quod Latini nonnulli Missionarii ignorantes Orientalis Ecclesiæ disciplinam Catholicos ad hujusmodi abstinentias non esse obligatos docuerint, hujusmodi omissio pro abusu habenda est, & omnino tollenda, utpote ex ignorantia orta, & ab Apostolica Sede semper improbata. Ita ex Instruct. 6. Februarii 1726. a Supr. Inq. Commissario missa ad Euthymium Archiepiscopum Tyri, & Sidonis, & ex ejusdem Inq. Decreto 19. Januarii 1723. 5. In locis illis, in quibus a Paschate ad Pentecosten omitti solent abstinentiæ feria quarta, & sexta cogendos non esse Catholicos ad eas observandas, propter præsumptam hujus omissionis antiquam consuetudinem.

Armenorum jejunia sunt 1. in ipsis festivitatibus Pentecostes, excepta die 1. per hebdomadam unam, & vocatur jejunium Ecclesiæ. 2. Ante Transfigurationem Domini per hebdomadam unam. 3. Ante S. Crucis apparitionem in Monte Varak per hebdomadam unam. 4. Ante Sanctum Jacobum Nisibensem per hebdomadam unam: 5. Ante Sanctum Sergium tempore bacchanaliorum per hebdomadam unam: Ita ex dispensatione ad decennium concessa ab Innocentio XIII. 24. Januarii 1723. & ad aliud decennium prorogata a Clemente XII. 13. Maji 1733. pro Armenis Leopoli commorantibus: In quibus Sancti Pontifices jejunium Quadragesimale juxta solitum, & ritum Armenorum servari mandaverunt: Maronitæ, juxta antiquam, ac licitam consuetudinem diebus Mercurii, & Veneris abstinent tantum a carnibus, & lacticiniis, & Quadragesimæ tempore pisces manducant.

CAPUT QUARTUM.

De Virtutibus justitiæ annexis; Nam de justitia erit tractatus specialis.

SAnctus Thomas vocat virtutes justitiæ annexas, alii vero justitiæ species imperfectas, quæ versantur circa aliquod debitum ad alterum, sed quod non est tam rigorosum, quam debitum justitiæ, vel quod adeo magnum est, ut nequeat reddi ad æqualitatem; tales sunt Religio, Pœnitentia, Pietas, Observantia, Obedientia, Gratitudo, Affabilitas, Liberalitas, & Veritas in dicendo. De Religione fuse dictum est: de Pœnitentia suo loco; nunc de aliis.

Pietas sumpta pro speciali virtute est virtus, per quam tribuitur debitus cultus, seu honor suo tempore, & loco, obsequium, & necessarium vitæ subsidium, tum parentibus, tamquam vitæ, & educationis post Deum auctoribus: tum patriæ: tum etiam aliis consanguineis ob conjunctionem, quam habent cum parentibus. Observantia est virtus, per quam defertur honor, & obsequium Superioribus, ob eminentiam conjunctam cum beneficio gubernationis; atque aliis etiam personis virtute, sapientia, aut dignitate conspicuis. Duplex est, nempe politica, qua ob dignitatem politicam, vel excellentiam humanam; & religiosa, qua ob dignitatem, vel perfectionem supernaturalem cultus defertur. Obedientia duplex est, alia est virtus generalis, inclinans ad observandum quodvis præceptum ex quovis motivo. Ei opponitur inobedientia generalis, quæ est vitium generale consistens in cujusvis præcepti violatione ex quovis motivo, estque mortalis in re gravi, & venialis in re levi. Alia est virtus specialis inclinans subditum ad exequenda præcepta Superiorum, quia præcepta sunt. Ei opponitur inobedientia formalis, quæ est violatio præcepti, quia præceptum est: unde semper mortalis est etiam in re levi: quia est contemptus præcepti, ac potestatis præcipiendi. Porro obedientia minus stricte sumpta est virtus, qua quis voluntati Superioris se accommodat, sive præcipiat, sive non. S. Thom. 2. 2. q. 104. art. 2. Gratitudo est virtus inclinans ad compensandum beneficium acceptum, quantum, & ubi recta ratio postulat. Ejus officia sunt beneficii æstimatio, benigna acceptatio, gratiarum actio, grata commemoratio, & repensio beneficii pro loco, & tempore. Ei opponitur ingratitudo. Videatur S. Thom. 2. 2. q. 148. art. 1.

Affabilitas est virtus, quæ totam conversationem nostram cum proximo ita moderatur, ut ei grata sit, servata tamen decoris ratione. Ei opponitur per excessum blandities, & adulatio: per defectum morositas, qua proximo molestiam, & tædium in congressibus affertur. Liberalitas est virtus, quæ moderatur amorem divitiarum, & reddit nos faciles, & promptos ad eas impendendas, quantum, & quando recta ratio dictat, Unde ejus officium est 1. moderari affectus divitiarum secundum rectam rationem. 2. Est largitio, & modus debitus in ea servandus. Ei opponitur per excessum avaritia, per defectum prodigalitas. Quamvis hæc sit venialis, prout cum sola liberalitate pugnat: est tamen mortalis culpa, quando impotentiam inducit solvendi debita, sustinendi convenienter familiam, erogandi eleemosynas &c. vel ratione finis, periculi, scandali &c. Veritas in dicendo, seu veracitas, est virtus, qua inclinamur ad semper loquendum (16) conformiter menti nostræ, de qua Ephes. 4. Ei opponitur mendacium, circa quod.

Quæst. I. An omne (17) mendacium est intrinsece malum?

Resp. Affirm. Ita omnes: nam prævertit naturalem institutionem, & finem locutionis ad hoc entibus intellectivis concessæ, ut possint inter se communicare sensus suos:

---

(16) Seu ad rectum usum signorum quibus manifestamus mentem nostram: mentem quippe nostram non solum vocibus, sed aliis etiam signis manifestamus. Videatur D. Thomas quæst. 109. ubi docet, veracitatem esse virtutem pertinentem ad justitiam, quia est virtus ad alterum, ponens quamdam æqualitatem, seu conformitatem eorum quæ alteri significantur cum iis quæ habentur in mente, æqualitatemque etiam considerans velut alteri moraliter saltem debitam debito fundato in ipsa natura hominis inquantum est animal sociale.

Officium veracitatis est. 1. Intus amare veritatem in dictis & factis. 2. Ex illo amore sollicite cavere, ne quid dicatur aut significetur contra mentem. 3. Rei veritatem diligenter inquirere. 4. Cavere, ne per ignorantiam, passionem aut præcipitationem aliquid dicatur vel fiat in præjudicium veritatis. 5. Aliis fideliter manifestare animi sui sensum, dum id ratio & circumstantiæ postulant. 6. Promissa fideliter adimplere.

(17) Mendacium definiri potest, „ Locutio, aut significatio „ contra mentem, cum intentione fallendi “. Dicitur 1. *Locutio, aut significatio*, quia potest quis mentiri, non solum verbis, sed etiam scripto, nutu, gestu, & similibus signis. 2. *Contra mentem*; mentiri enim est contra mentem ire. 3. *Cum intentione fallendi*, quia, ut ait Augustinus in Ench. capit. 22. „ omnis qui mentitur contra id „ quod animo sentit, loquitur cum voluntate fallendi “.

suos: unde per se tollit communicationem cum hominibus, & commercium vitæ socialis, estque deceptivum proximi. Ideo omne mendacium in Scriptura prohibetur, & in cap. 4. *de usur.* Mendacium tamen, quod nec proximum, nec honorem Dei graviter lædit, nec scandalum parit, nec est contra bonos mores, veniale est, quale est mere jocosum, vel officiosum, ex August. in Psalm. 5. At mendacium modo contrario se habens est mortale, utpote graviter repugnans charitati Dei, vel proximi, vel etiam justitiæ, aut Religioni. Sap. 1. & Psalm. 5. Idem dic de simulatione, nam est vere, & proprie mendacium (18) in facto, ex S. Aug. lib. de mend. cap. 3. & S. Thom. 2. 2. q. 3. art. 1. Sed q. 119. art. 3. ad 4. docet licitum esse veritatem prudenter occultare sub aliqua dissimulatione. Aliud (19) est enim celare, & aliud falsum significare.

Quæst. II. An aliquando licet uti æquivocatione, vel restrictione mentali? Equivocatio hic est vox, seu propositio varios habens sensus, quam proferens prævidet ab audiente accipiendam in alio sensu, quam ipse intelligit. Duplex est; alia determinabilis exterius, & proprie dicta,

(18) Ad simulationem reducitur ironia quæ est mendacii species qua quis, vel de se affirmat aliquid mali cujus sibi conscius non est, vel de se magni quid negat quod in se recognoscit. Ironia quandoque gravior est jactantia, v. g. cum quis minora de se fingit ad dolose decipiendum; sed ut plurimum jactantia est gravior ironia, utpote procedens ex turpiori motivo. Videatur Auctor in Tract. de Vitiis & Peccatis. Ex his sequitur etiam adulationem qua quis erga proximum excedit in laude vel complacentia esse semper peccatum; omnis tamen adulatio non est peccatum mortale, sed tunc solum cum charitati graviter contrariatur, vel ex parte materiæ illius, vel ex intentione graviter mala & proximo graviter nociva adulantis, vel ex occasione graviter peccandi ab adulatore adulato collata, licet præter ejus intentionem.

(19) Quoniam hæc materia nonnullius est momenti, idcirco quibusdam regulis explicanda est. Itaque.

Regula. 1. Homo veritatem sibi notam occultare debet, quoties ex ejus manifestatione gravior quam ex ejusdem reticentia sequitur Dei, suive, aut proximi injuria.

Regula. 2. Manifestanda est veritas, quoties id exigit rectus ordo. Exigit autem 1. Cum ex veritatis manifestatione virtus crescit aut roboratur, aut ex ejusdem suppressione imminutionem patitur. 2. Cum eam pandi præcipiunt civiles aut Ecclesiastici Superiores absque ullo suæ potestatis abusu; 3. Cum est e bono Ecclesiæ aut Reipublicæ veritatem palam loqui; ut si alioqui immineat periculum hæresis, aut &c. juxta alibi dicta. 4. Cum quis juridice interogatur, seu intra, seu extra forum conscientiæ.

dicta, cujus scilicet sensus verus a proferente intellectus potest per se cognosci ex circumstantiis, aut indiciis exterioribus, alia indeterminabilis, & proprie dicta. Restrictio mentalis est propositio, cujus verba exterius prolata falsum sensum, & contrarium menti loquentis exprimunt, si præcise secundum se spectatur; sed conjuncta cum iis, quæ mente retinentur, faciunt sensum verum. Duplex est, una pure mentalis, & stricte dicta. Altera non pure mentalis, & late sumpta; quarum definitio eadem est cum definitione duplicis æquivocationis supradictæ.

Itaque resp. 1. Nunquam licet uti æquivocatione indeterminabili exterius, nec restrictione pure mentali. Nam earum usus est perniciosus Reipublicæ, & societati humanæ, quandoquidem si licitus esset, tolleretur sermonum certitudo, omnibusque dolis pateret aditus; unde everteretur auctoritas testimonii humani, & fides humana. Præterea sunt mendacium; & si juretur, fiet perjurium. Nam locutio taliter sumpta est contra mentem, ut ex præcedentibus definitionibus constat. Legatur August. Enchir. cap. 22. Hinc Innoc. XI. damnavit has propositiones, ut jacent: „ 26. Si quis vel solus, vel coram „ aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive re„ creationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non „ fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se „ aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, „ in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reve„ ra non mentitur, nec est perjurus. 27. Causa justa „ utendi his amphibologiis est, quando id necessarium, „ aut utile est ad salutem corporis, honorem, res fami„ liares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, „ ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & „ studiosa.“

Resp. 2. Certum est non licere uti ulla æquivocatione etiam determinabili, neque restrictione, etiam non pure mentali. 1. Ex intentione decipiendi proximum, quia hoc est per se malum, ex August. supra citato. 2. Quoties interrogans habet jus inquirendi, & sciendi veritatem, ut Superior, Judex &c. Nam huic juri respondet in interrogato obligatio clare, & sine ambiguitate veritatem detegendi, & secundum interrogantis mentem respondendi. 3. Quando non adest gravis justa causa occultandi veritatem: quæ lex fundatur in ipsa natura hominis, in quantum est animal sociabile. S. Thom. 2. 2. q. 109. art. 3. ad 1. Itaque potest esse solum controversia in casu, ubi adest obligatio, vel alia gravis causa occultandi veritatem ei, qui non habet jus exigendi ejus cogni-

gnitionem, nec ſuppetit alia via eam occultandi, & intenditur ſolum occultatio veritatis, non autem deceptio proximi, quæ tantum permittitur.

Multi earum uſum cum tali limitatione defendunt poſt S. Antonin. 1. p. tit. 10. cap. 1. §. 1. & S. Raymund. l. 1. Summ. tit. de mend. Quia, inquiunt, per eas non affirmatur falſum, ſed verum obſcurius expreſſum, ita ut tamen veritas ex circumſtantiis extrinſecis deprehendi poſſit, & ſic non ſunt per ſe deceptivæ. Neque repugnant commercio humano, cum potius ad illud ſint neceſſariæ propter vitam proximi licite ſervandam, eludendam hominum importunam curioſitatem, & ſecretum graviter obligans cuſtodiendum. Addunt adverſarios ſuos eadem quoad rem admittere, ſed mutato nomine appellare vel fictionem, vel figuram, vel præciſionem, vel quid ſimile. Sed alii cujuſvis æquivocationis, & reſtrictionis uſum abſolute, & indiſcriminatim damnant. 1. Quia earum uſus fuit incognitus Patribus, & præſertim Auguſt. tamquam utilis ad vitandum mendacium, aut neceſſarius ad occultandam in neceſſitate veritatem, Videatur S. Doctor lib. contr. mend. cap. 18. 2. quia ſunt mendacia, & per ſe deceptivæ proximi. 3. Quia, inquiunt, non eſt neceſſitas iis utendi. Addunt non eſſe abſurdum, quod certis caſibus nulla reſtet alia via occultandi veritatem, ſicut nec ſe defendendi contra injuſtum aggreſſorem.

Nota. Clerus Gallicanus anno 1700. hanc propoſitionem, „ Patriarchæ, & Prophetæ, Angeli, ipſe Chriſtus, „ nedum viri juſti, & ſancti, æquivocationibus, ſive am„ phibologiis, & reſtrictionibus mentalibus uſi ſunt, " damnavit ut ſcandaloſam, & impiam. Igitur dicendum eſt, Chriſtum, & homines Spiritu Sancto afflatos in difficilioribus locis locutos fuiſſe figurative, myſtice, parabolice, prophetice. Deus quippe poteſt verba a vulgari ſignificationis uſu ad ſuperiorem quamdam ſignificationem transferre, ut reipſa transfert locutiones Sacramentales, puta iſtam: Ego te baptizo &c.

TRA-

TRACTATUS DE OBLIGATIONIBUS SPECIALIBUS CERTORUM STATUUM, ET OFFICIORUM.

CAPUT PRIMUM.

De Obligationibus Clericorum.

CLerici sunt ii, qui aliquo Ordine, vel saltem Tonsura sunt insigniti. Præter mandata omnibus Christianis communia sunt quædam ipsis specialiter prohibita, & quædam præcepta.

Quæst. I. Quænam sunt specialiter prohibita Clericis præsertim Sacro Ordine initiatis, vel beneficiatis?

Resp. Ex communi sententia, sequentia, 1. Armorum gestatio, *nisi* necessitas urgeat ad defensionem vitæ, c. 2. *de vita, & honestate*, 2. Venatio, quæ fit clamore, & armis, præsertim cum cane, vel accipitre, vel falcone; ita ut mortaliter peccent, si frequenter sic venentur, c. 1. *de Cleric. venat.* & c. 2. & ex Concil. gen. Lateran. IV, cap. 15. His adde plura Concilia provincialia, quæ quamlibet venationem armis factam vetant. Ratio est, quia venatio a gravioribus occupationibus, a studio, oratione, & spiritualibus exercitiis, vel charitatis operibus avocat, mentem a Deo plurimum distrahit, populo scandalum parit, nec decet statum Clericalem. Præterea variis periculis obnoxia est. Quare Religiosos adhuc magis venatio dedecet, eisque speciatim prohibetur, Clement. I. *de statu Monach.* in Conc. gen. Vienn. Item nec venaticos canes intra suas domos retineant. Tamen juxta S. Raym. & alios licita est interdum Clericis venatio quieta, quæ fit laqueo, vel retibus causa necessitatis, vel recreationis moderatæ. 3. Militia, cap. *Quicumque*, 23. q. 8. & can. 5. dist. 50. & ex Apost. 2. ad Tim. 2. Nam præter rationem mox allatam de venatione, *omnes Clericorum ordines ordinantur ad Altaris ministerium, in quo sub Sacramento repræsentatur Passio Christi . . . Et ideo non competit eis occidere, vel effundere sanguinem*, ait S. Thom. 2. 2. q. 40. art. 1. 4. Negotiatio, quæ est emptio rei cum intentione eam integram, & non mutatam vendendi, vel permutandi cum lucro. Quamvis sit per se lici-

licita, tamen Clericis, ac Religiosis graviter prohibita est cap. 15. *de vita, & honest.* ex Concil. gen. Lateran. IV. & Clement. 1. eod. tit. & cap. 6. *Ne Clerici, vel Monachi*. Tum quia valde indecorum est Clericos, & Religiosos lucris terrenis, quæ contemnere debent, incumbere; tum quia negotiatio exponit periculo injustitiæ, fraudum &c. Item a Concil. Chalced. can. 3. eis prohibetur (1) conductio prædiorum alienorum, ut ex eorum fructibus lucrentur. Possunt tamen propriorum agrorum fructus vendere, pecuniamque conficere ex fœtu, & lacte gregum in suis prædiis nutritorum, ipsaque animalia saginata vendere. Eis quoque licet, res, quas ad suos usus emerunt, non ut vendant, postea data occasione carius vendere; nam hoc non est negotiatio. At non videtur iis licere negotiari per alios, qui totam præstent industriam: ut pecuniam in societate mercatorum deponere, nisi id fiat ex necessitate, & consensu Papæ expresso, vel tacito. Nam, aliis omissis, ita fert consuetudo vim legis habens.

(*) Nota. Bened. XIV. Constit. quæ incipit, *Apostolicæ servitutis* pœnas in Clericos negotiatores a Sacris Canonibus aliisque SS. Pontificibus stabilitas etiam ad eos expresse extendit, qui *illicite sub alieno nomine negotiantur, perinde ac si per seipsos, & proprio eorum nomine exercerent*. Atque decernit, 1. *Ut omnia, & singula bona sic ab eis sub alieno nomine illicite acquisita sub inevitabili spolii pœna subjiciantur*. 2. Ut negotia a laicis inchoata, & Clericis delata statim dimittantur, nec, nisi gravi urgente necessitate continuentur; de licentia tamen Congregationis Concilii, aut etiam Ordinarii extra Italiam; idque ad tempus dumtaxat, ac per interpositam laici personam. 3. Ut exempti a spolio ad effectum testandi, aut transmittendi non intelligantur exempti quoad bona per interdictam negotiationem acquisita.

5. Coha-

(1) Tutius, ac probabilius est, eos qui clerici manere volunt a negotiatione abstinere debere etiamsi nec sacris initiati, nec beneficiarii sint: Pariter negotiationem iis etiam Religiosis qui clericalem gradum non habent vetitam esse, pro certo habet Lugo; *& in hoc, ait, omnes conveniunt*. At non constat, an clericus qui semel aut iterum negotietur, puta libros, cruces, & similia ad revendendum emendo, mortalis peccati reatum incurrat. Negant cum aliis pluribus Salmanticenses, modo non adsit scandalum, & negotiatio fiat in modica summa: quia canones qui negotiationem clericorum gravibus subjiciunt pœnis consuetudinem & habitum insinuare videntur. Sed in his, sicut & in quocumque casu dubio, pars tutior tenenda est.

5. Cohabitatio cum fœmina, de qua suspicio esse potest, ob periculum, & scandalum aliorum, ex Concil. Nic. I. can. 3. cap. 1. & 9. *de cohabit.* & ex Conc. gen. Later. I. cap. 3. 6. Ludus alearum, ut chartarum, taxillorum, ex cap. 1. dist. 35. cap. 11. *de excessib. Prælat.* & variis Concil. præsertim ex Concil. gen. Lat. IV. cap. *Clerici*, *de vita & honest.* ibid. Ratio est, quia talis ludus est multis malis, ac peccatis obnoxius. Unde mortaliter peccant, qui sæpe tali ludo ludunt cum jactura notabili temporis, vel etiam semel cum scandalo, vel magna (2) pecuniæ summa. Religiosis vero ludus aleæ, & chartarum adhuc strictius veritus est, ut ex se constat. Quare Busembaus docet Religiosos, apud quos disciplina regularis viget, a gravi peccato vix excusari posse. 7. Sæcularia negotia, ex 2. Tim. 2. ex multis Concil. & ex toto tit. *Ne Clerici, vel Monachi &c.* Hinc non possunt exercere officium Advocati coram judice sæculari, nisi in propria causa, aut Ecclesiæ, aut miserabilium personarum, quæ suas causas administrare nequeunt cap. 1. *de post.* Item nec officium Procuratoris, Tabellionis, seu Notarii in placitis sæcularibus, & alia negotia, quæ multum distrahunt, & implicant. 8. Chirurgiæ exercitium prohibetur Clericis Sacro Ordine initiatis; item sententiam sanguinis dictare, aut proferre, sanguinis vindictam exercere, aut ubi exercentur interesse, & quidquam dictare, aut scribere ad hunc finem, cap. 9. *Ne Clerici, aut Monachi*, ex Concil. Later. IV. Ex communi sententia tamen licet Clericis medicinam secundum artis regulas exercere ex charitate sine ullo periculo, & scandalo, modo ipsi incisionem, vel ustionem non inferant. 9. Popinarum ingressus, nisi necessitatis causa in itinere, ex multis Canonibus; dist. 44. & ex Concil. gen. Later. IV. cap. 16. & ex multis Conciliis Provincialibus. 10. Omnis luxus, can. 7. & 8. dist. 41. &c. ex Concil. Nic. II. cap. 16. Sæculi voluptates, & spectacula, can. 3. dist. 23. commessationes, & ebrietates, cap. 14. *de vita, & honest.* ex

(2) *Vel ex cupiditate lucri notabilis*, addit Natalis Alexand. Immo etiam clerici qui modice & moderate alea ludunt vix immunes sunt a peccato saltem veniali, præsertim in illis diœcesibus, in quibus statuta hujusmodi ludos clericis absolute prohibent. Quin non raro evenit, ut clerici, ipsique laici, eos inspiciendo qui ludunt, mortaliter peccent, nempe cum, qui ludendo mortaliter peccant, sive ob blasphemias, sive ob notabiliorem quam exponunt summam, sive &c. ex circumstantium aspectu *inducuntur efficaciter* ad continuandum.

ex Concil. gen. Later. IV. choreæ, Concil. Trid. sess. 24. cap. 12. quod hæc omnia etiam innovat, & confirmat sess. 22. cap. 1.

(*) Nota. Bened. XIV. lib. VII. de Syn. Diœces. c. 60. ait, comæ supposititiæ, seu *Parucchæ* usum plures Synod. Diœces. interdixisse approbante Sacra Congreg. Concil. adjecta contumacibus pœna. 2. Nefas olim fuisse Clericis iis uti. 3. Majorem præseferre vanitatem comam fictitiam, quam propriam studiose concinnatam. 4. Posse Episcopos has interdicere, nisi causa prius ipsis cognita aliter suaserit. 5. Ita permittendam, ut modesta sit, & prius ab Episcopo spectata. 6. Non posse Episcopos potestatem facere Sacerdotibus celebrandi Missam cum coma fictitia, cum id solus Rom. Pontif. cujus lege prohibetur, concedere valeat. Et capit. 15. docet, comœdias, choreas, spectacula, & similia Clericis non licere; ac si comœdiæ sint inhonestæ nec laicis interesse licere.

Quæst. II. Quænam specialiter Clericis præcipiuntur?

Resp. Tenentur 1. Clerici, præsertim Sacro Ordine initiati, vel beneficiati, *habere coronam, vel tonsuram congruentem*, cap. 15. *de vita, & honest.* Conc. gen. Later. IV. & cap. 4. eod. tit. Item gestare habitum clericalem, & suo Ordini convenientem, can. 22. dist. 23. & Clement. 2. *de vita, & honest.* ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 9. & ex Constit. 92. Sixti V. ubi sub gravi præcipit, ut omnes isti Clerici jugiter deferant *Tonsuram, & habitum Clericalem, vestes scilicet talares.* Hinc peccat mortaliter, qui notabili tempore non gestat Tonsuram, vel habitum clericalem, saltem quo discernatur a laicis, cum id præcipiatur sub gravibus pœnis. Nec excusat consuetudo, cum sit irrationabilis, & corruptela. Vide S. Carol. in Syn. II. Eccl. Mediol. Porro Religiosis prohibetur sub excommunicatione ipso facto contracta, & Papæ reservata, ne habitum sui Ordinis, hoc est sine justa causa dimittant, cap. 2. *Ne Clerici, vel Monachi* in 6. 2. Tenentur Clerici Sacro Ordine insigniti servare castitatem perpetuam ex voto solemni, quod Ecclesia ob reverentiam Sacri ministerii annexuit Ordini Sacro. Constat ex variis juribus ex Concil. Later. I. can. 21. Later. II. cap. 7. & Trident. sess. 24. cap. 9. Item tenentur quotidie recitare Breviarium ex variis juribus, & præsertim ex universali Ecclesiæ consuetudine vim legis habente. 3. Clerici ratione sui status, & juramenti obedientiam specialiter debent Episcopo in iis, quæ spectant ad honestatem vitæ, & reformationem morum, ad correctionem, & pœnas pro peccatis impositas, ad Sacramenta, jura Episcopa-

lia,

lia, & ad jurisdictionem Ecclesiasticam cap. *Quia frater* 7. q. 2. & cap. 16. *de Offic. judic. ordin.* 4. Tenetur servare modestiam in omni compositione, & gestu corporis, temperantiam, & moderationem in cibo, & potu, ex dist. 41. & 44. 5. Ratione sui status debent morum sanctitate, & virtutibus omnibus laicis prælucere, ex Concil. gen. Later. II. cap. 4.

Quæst. III. Quænam sunt obligationes speciales Beneficiatorum?

Resp. Beneficiati, etsi carentes Ordine Sacro, tenentur ex justitia quotidie horas Canonicas recitare, ita ut si eas culpabiliter omittant, peccent mortaliter, nec faciant fructus suos, & ad eorum restitutionem teneantur, saltem post sex menses pacificæ possessionis. Ita omnes ex Concil. Later. V. sess. 9. & Constit. Pii V. *Ex proximo* Decreti ejusdem Concil. confirmativa. Et ratio est, quia sub hoc onere ab Ecclesia beneficium eis collatum est, & ab eis acceptatum. Ita Concil. Const. sess. 34. & Trident. sess. 21. cap. 3.

Observa 1. Hæc restitutio fructuum debetur in conscientia ante omnem sententiam. Ita Concil. Later. cit. Hinc Alexander VII. damnavit hanc propositionem: „ Restitutio a Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna. " 2. Non liberatur a restitutione, qui aliis diebus recitat, quod omisit, quia recitatio non potest impleri alio die, cum suo diei affixa sit. 3. Non sufficit adesse horis, quando recitantur in choro, quæ recitari debent ab ipso beneficiato, ex ead. Bull. 4. Alexander VII. damnavit has propositiones. 21. Habens capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet. 33. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit. 5. Commendatarii perpetui obligantur ad horas. Quia substituuntur beneficiatis titularibus cum tota obligatione, immo nunc habentur pro veris titularibus, & commenda perpetua æquiparatur beneficio, ex Concil. Trident. sess. 7. cap. 1. & sess. 24. cap. 17. Coadjutor vero non obligatur præcise ratione coadjutoriæ, licet instituatur cum futura successione, quia nondum est beneficiatus. Excipe, nisi habeat jus plenum administrandi ob beneficiati amentiam, aut similem infirmitatem, vel assumatur ad totum onus beneficii in defectum beneficiati. 6. Impuberes ratione studiorum non excusantur, ex Concil. Later. cit. sess. 9.

seff. 9. Item ad horas obligantur præstimonia habentes, ex Bulla cit. Pii V. 7. Ex communi sententia, nulla est obligatio recitandi ante partam possessionem. Excipe, (3) nisi dilatio possessionis capiendæ proveniat ex culpa, vel negligentia beneficiati, reg. jur. 25. in 6. Tenetur autem statim sub mortali accepta possessione, ex Bull. cit. Qui autem sex primis mensibus omisit, juxta alios tenetur ad restitutionem; quia ex natura rei tenetur, non solum ex jure Ecclesiastico: juxta alios non tenetur, quia Papa remittit obligationem ob id restituendi, licet talis graviter peccaverit ob violationem præcepti in re gravi. 8. Tenuitas beneficii non excusat ab hac obligatione. Ita S. Antonin. & alii communius ex Concil. Lateran. citat. & ex cit. Bull. Pii V. Immo cap. Clericus dist. 19. jubetur Clerico pauperi, ut agricultura, vel artificio victum sibi comparet sine Officii detrimento. Et sane beneficium acceptans, sponte acceptat omne onus illi annexum, & in illud consentit. Sic vir ex. grat. tenetur ad onera matrimonii, & alendam uxorem, quamvis ab ea non acceperit dotem convenientem: Saltem in hoc consuli debet cujusque Eccl. consuetudo, & in dubio Episcopus.

Sed an Beneficiatus privatur omnibus beneficii fructibus respondentibus iis diebus, quibus non recitavit, si obierit alia ministeria beneficio annexa?

Resp. Suarez, & alii docent omnibus privari; quia Concil. Later. dicit generaliter omittentem horas non facere fructus suos; & Pius V. sine ulla exceptione, & distinctione loquitur. Non pauci tamen docent, teneri ad partem fructuum respondentem officio omisso, spectata quantitate redditunm, & onerum. Nam beneficium, cui alia onera annexa sunt, ut prædicatio, ministratio Sacra-

(3) Excipe etiam, nisi ante initam possessionem magni quidam beneficii fructus percipiantur, ut in certis quibusdam beneficiis contingit; nam tunc fruuntur præcipua beneficii parte.

Quod si duo de beneficio contendant; tunc, si jus utriusque vere dubium sit & incertum; neuter ad officium, etiam post aditam possessionem, tenetur: nam onus certum ex jure admodum incerto sequi non potest. At vero si alterutri de jure suo certo constet; tunc longe probabilius est eum teneri; quia ex tali possessione, licet nondum pacifica, sequitur jus moraliter certum. Ad officium pariter tenentur, quibus, tametsi de litis successu certi non sint, adjudicata fuit *per interim*, ut ajunt, beneficii possessio: quia ii de facto beneficii reditus percipiunt; atque etiam causa excidant in petitorio, eam servare possunt fructuum perceptorum partem quæ labori suo correspondet.

cramentorum, celebratio Missæ &c. non solum propter horas, sed etiam propter illa alia onera, & ministeria institutum est, & datur. Dicunt Concil. Later. & Pium V. loqui de omnibus fructibus respondentibus horis Canonicis, non vero de aliis datis ob alia ministeria. Alii docent ad securitatem conscientiæ petendam esse compositionem cum Sacra Pœnitentiaria.

Quid si beneficium possidens nullos ex eo fructus percipiat?

Resp. 1. Tenetur horas recitare in his casibus. 1. Si omnes fructus loco pensionis impendat ei, qui sibi resignavit, vel Sacerdoti substituto ad peragenda beneficii onera. 2. Si iis privetur juste, v. g. quia non residet, vel nondum initiatus est Sacris, vel ob aliquam culpam. 3. Si illi fructus aliquo casu perierint v. g. incendio, sterilitate, hostium spoliatione &c. vel si hominum injuria pro aliquo tempore auferantur sine spe recuperandi. Nam qui beneficium semel acceptat, sicuti omnia jura, & emolumenta percipit, ita suscipit in se pericula, & cum periculis se obligat ad ejus onera, idque ex pacto tacito inter ipsum, & Ecclesiam. 4. Quando redditus primi, vel secundi anni subtrahuntur beneficiato, ut cedant fabricæ; vel antiquis Canonicis: quia per applicationem fructuum fabricæ, ipse liberatur in posterum onere solvendi pro fabrica; & si applicentur Canonicis, ipse tunc obtinet jus, & spem idem percipiendi ab aliis, & suo tempore eadem commoda percepturus est.

Resp. 2. Si absque sua culpa nullos fructus percipiat, nec sit spes eos postea percipiendi ut cum fundus beneficii ab hæreticis occupatur, juxta (4) multos non obligatur

(4) Duo hic notanda sunt. 1. Vix futurum unquam, ut quis simplicem beneficii titulum sine ullo reditu recipiat, nisi redituum defectus aliunde compensetur, puta quia certis etiam sine reditu beneficiis certa alligata sunt jura, vel honorifica, ut jus assistendi choro alicujus cathedralis, vel utilia. Hæc autem jura quæ a multis pecuniæ præferuntur aliquod in Ecclesia gratiam officium exigere videntur; unde cum dubium sit quid pro hisce juribus a clerico debeatur; dicerem, 2. In hoc, aliisque tenuis beneficii casibus, consulendum esse Episcopum, & repræsentandum ei redituum tenuitatem, ejusque decisioni parendum; aut denique inspiciendum esse quid ferat locorum consuetudo, cui Prælati non resistunt.

Sed quid dicendum de Præstimoniariis?

Priusquam respondeam, sciendum 1. Præstimonium, seu, ut in Bulla ab Auctore laudata loquitur Pius V. *præstimonia* definiuntur, portiones quædam a redditibus beneficiorum abstractæ, & desi-

gatur ad horas ratione hujus beneficii. Quod si partem fructuum, aut distributiones recipiat ad officium totum tenetur non minus quam qui beneficium insufficiens ad integram sustentationem habet. At si sit spes percipiendi aliquando fructus teneretur: nam hæc spes est pretio æstimabilis, & beneficium pacifice possessum cum ea est sufficiens ratio obligandi, & interim gaudet honore, & privilegiis.

Quæst. IV. Ad quid insuper tenentur Beneficiati choro addicti?

Resp. Tenentur choro interesse tempore Divini Officii, ita ut si sine legitima causa ab eo absint ultra tempus sibi a jure concessum peccent (5) mortaliter, & teneantur ad restitutionem. Ex can. 3. dist. 19. ex tit. *de Cleric. non resident.* ex Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. & ex multis Conciliis Provincialibus. Et ratio est, quia ex officio tenentur in choro horas omnes recitare, & propter hanc recitationem publicam in choro stipendium accipiunt. Tenentur autem omnibus, & singulis horis interesse, juxta præceptum Concil. Later. IV. cap. 17. Quanta (6) autem

& designatæ, ut juvenibus per modum subventionis ad peragenda studia conferantur, aut personæ habili donentur ad serviendum Ecclesiæ. 2. Præstimonium duplex est, aliud perpetuum, aliud ad nutum revocabile. His præmissis.

Dico, jure communi, habentes præstimonium tenentur, perinde ac alii Beneficiarii ad officium, ut sanxit in prælaud. Bulla S. Pius V. Nam præstimoniæ perpetuæ cæteros beneficii characteres habent. Jure vero particulari, alicubi ad nihilum tenentur; alicubi ab aliquas preces quotidie recitandas. Unde hac in re inspiciendæ sunt fundationes, & consulendi Episcopi.

(5) Nisi materiæ parvitas excuset. Porro parvitas materiæ consistit, ut Beneficiarii in matutinis non absint per totum psalmum, *Venite exultemus*; in aliis horis per totum primum psalmum; in Missa per totum *Kyrie Eleison*; alioquin pro tota hora, vel pro tota Missa absentes reputantur. Qui tamen sic absunt, peccant venialiter: immo, ut scite annotat Suarez lib. 4. *de Hor. canon.* capit. 13. num. 7. „ Si quis haberet formale, aut virtuale propositum „ semper omittendi in singulis „ horis partes illas quas sine „ mulcta omittere potest, certe „ non videretur securus in conscientia: nam affectus ille „ ostendit quemdam servilem „ animum inserviendi choro solum timore pœnæ, vel affectu „ lucri, quando quidem quoties „ sine jactura lucri omitti potest, ex deliberato animo omittitur “.

(6) Censet Habertus, Theologus non laxior, eum qui die una vel altera abesset a choro eo tempore quo adesse tenetur, non peccaturum mortaliter; quia hæc omissio levis ei videbitur qui ipsam comparaverit cum assistentia ducentorum aliorum circiter dierum continuata. Hinc 1. Peccat, & ad restitutionem

tem ad mortale requiratur absentia a choro, ultra duos, aut tres menses juxta cujusvis Ecclesiæ consuetudinem; sive ex consuetudine, sive ex continuis, sive ex interruptis diebus componatur, controvertitur: Excusantur tamen a præsentia chori, & residentia, absentesque jure percipiunt fructus beneficiorum Canonici studentes Theologiæ per annos quinque, vel docentes Theologiam toto tempore, quo docent; cap. ult. *de Magister.* Item duo Canonici, (7) qui sunt in obsequio Episcopi ad Ecclesiæ utilitatem; cap. 15. *de Cleric. non resident.* & qui sunt obsequio Papæ ad eumdem finem, cap. 14. eod. tit.

Qui etiam ex legitima causa a choro absunt, non lucrantur distributiones quotidianas, & receptas tenentur restituere, non obstante remissione; ex cap. 32. *de præb.* & Trid. sess. 24. cap. 12. Hinc Punctator, cui ex officio incumbit notare absentes a choro, tenetur ad restitutionem, si eos non notet. Idem dic de Distributore, si distributiones iis, quibus non debentur, hoc est, iis, qui absunt non ob infirmitatem, aut necessitatem corporalem, vel in evidentem Ecclesiæ utilitatem; sed ex alia causa licet justa; ex Decr. Trid. sess. 22. cap. 3. Distributiones illæ saltem, quæ ab Episcopis post tale Decretum institutæ sunt ex fructibus beneficii, applicari debent fabricæ quatenus indigeat, aut alteri pio loco, arbitrio Ordinarii. Porro cæcus habens præbendam tenetur choro interesse, & audire alios canentes, & recitare quantum ipse potest, & recordatur.

Resp. 2. Iidem tenentur jure communi canere in choro, & alta voce recitare officium secundum Ecclesiæ suæ usum, ex cap. 9. dist. 9. Trid. sess. 24. cap. 12. & variis Concil.

---

nem tenetur pro rata Canonicus qui vel ab una integra hora canonica abest. 2. Abusivum est statutum quod quis lucretur diei totius distributiones, modo ex septem horis tribus intersit; vel una per hebdomadam die abesse possit, ultra tempus a Concilio Tridentino, aut speciali locorum lege; eaque approbata, constitutum. 3. Vanum esse & irritum statutum, ut Canonici quos jubilatos vocant, idest qui per annos 30. Canonicatum in aliqua possident Ecclesia ab omnibus dispensentur officiis, præterquam diebus Dominicis & Festis: nam jure communi sancitum est; ut Canonici omnes extra tempus induciarum choro accurate intersint; nisi obstet infirmitas, seu justa & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas; ut constat ex Tridentino.

(7) At Canonici isti peccant, nec fructus suos faciunt; si toties officio non intersint quoties non sunt legitime impediti: Idem dicendum de Archidiaconis, Theologalibus, & Pœnitentiariis.

Concil. Quare non satisfaciunt privatim in choro horas recitando, nec lucrantur distributiones, quæ debentur solis choro inservientibus.

(*) Nota, Bened. XIV. Const. ad universos Italiæ Patriarchas, Archiepiscopos, ac locorum Ordinarios, cujus initium est, *Cum semper* Tom. 2. Bullar. p. 366. §. 24. Canonicorum quarumdam Metropolitanarum, & Cathedralium abusum execratur, qui per solam eorum præsentiam muneri suo satisfacere putantes in choro canere desinunt, Beneficiatis, aut Mansionariis id relinquentes, eorumque præcipuum, immo unicum occupat fundamentum in eo situm, quod a cantu dispensentur ex inveterata consuetudine, pecnliaribus statutis, aut etiam prætensis suarum Ecclesiarum privilegiis, ostendens hujusmodi opinionem adversari ex Trid. sess. 24. cap. 12. Canonicorum officio, receptæ in universali Ecclesia disciplinæ, variisque Concil. Prov. ab Apostolica Sede approbatis, confirmatisque, eamque ab eod. Trid. toties explosam, & improbatam fuisse, quoties in eo proposita fuit. Quapropter concludit, „ nisi illis præsto sit Apostolicum non „ præsumptum, vel abrogatum, sed legitimum, ac vi„ gens Privilegium, sive indultum; jure ac merito ve„ rendum esse, ne isti, dum se ita gerunt, Præbenda„ rum, ac distributionum fructus minime suos faciant, „ & consequenter, ne ad eorum restitutionem tenean„ tur. “

Porro pars chori, (8) quæ tacet, tenetur attendere ad ea, quæ canit altera, nam tenetur ad totum officium moraliter concurrere, & totum facere suum, alias non censeretur moraliter præsens toti Officio. Tenentur etiam in Missa solemni audire attente Evangelium, Epistolam, & alia,

(8) Nota: eos mortalis peccati reos se facile constituere qui tam præcipitanter canunt ut alii versum sequentem inchoent, antequam præcedens a primis absolutus fuerit: nam Concilia & Patres adversus petulans illud orationis genus acriter quovis tempore insurrexerunt, ut videre est apud Conc. Vienn. anni 1134. Similiter nulla suppetit ratio cur ille officii partes quæ in organo luduntur privatim a Canonicis non recitentur, vel, ut in quibusdam Ecclesiis fieri solet, a choristis alta & intelligibili voce non proferantur. Notat tamen S. Antoninus quod, „ si quis lectionem, vel aliud „ quodquod in choro legitur „ non intelligat propter legen„ tis ineptitudinem, non pec„ cat; dummodo conetur intel„ ligere saltem verba “. Idem dicendum de illo qui aliquem versiculum omittit; item de illis qui pauculo tempore, pulsandis campanis, libris volvendis, aut thurificando occupati sunt, & paucos versiculos omittunt qui non possunt facile resumi.

alia, quæ ab uno decantantur. Controvertitur an legitima sit consuetudo, qua in quibusdam locis Canonici totum onus psallendi, seu canendi imponunt Vicariis, vel Cantoribus conductitiis, ipsi vero certis temporibus adsunt. Certum est tales saltem teneri privatim horas recitare; item teneri choro interesse tempore Officii cum devotione, & attentione.

Quæst. V. An Beneficiarii omnes tenentur partem fructuum beneficii honestæ sustentationi superfluam impendere in pauperes, vel alios pios usus?

Resp. Secundum omnes ad id tenentur sub mortali & quidem, paucis exceptis, etiam jure naturali, ita ut consuetudo in contrarium excusare non possit. Sed omnes pene Canonistæ docent ad id teneri non solum ex charitate, & religione, sed etiam ex justitia. Ex Sanctus Ambrosius epist. 31. ad Valent. Sanctus Hieronymus in can. *Quoniam*, 16. q. 1. Sanctus Augustinus in can. *Si privatum* 12. q. 1. aliisque PP. ex Concil. Gener. Nic. II. cap. 12. Conc. Gen. VIII. cap. 15. Lat. III. cap. 19. Gregor. IX. cap. 16. *de foro competenti* variisque Concil. particularibus, & ex S. Thom. 2. 2. q. 200. art. 1. ad 7. & q. 119. art. 3. ad 1. Ratio est, quia bona Ecclesiæ sunt eis donata a fidelibus ea intentione, & cum onere, ac pacto saltem implicito, seu tacito, ut impenderentur in cultum divinum, & alios pios usus, scilicet in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, & pauperum, in fabricam, ornamenta templi &c. quatenus hæc bona donata sunt in cultum divinum, adeoque in usus pios Deo gratos. Nam 1. a Patribus, & Conciliis bona Ecclesiæ dicuntur vota fidelium, pretia peccatorum, bona Deo consecrata; quatenus donata sunt tantum in ejus cultum. Item Ecclesiæ Prælati dicuntur œconomi, & dispensatores, non absoluti Domini bonorum Ecclesiæ. 2. Fideles bona sua donando Ecclesiæ volebant opus salutare, meritorium, & Deo gratum facere, & illa Deo consecrare; quod non fecissent quoad partem superfluam bonorum, si non dedissent cum onere, & pacto, saltem implicito, seu tacito, ut in usus pios, & gratos omnia impenderentur. 3. Hæc intentio fidelium satis constat ex S. Ambrosius lib. 2. de offic. cap. 20. aliisque Patribus, ex S. Thom. in epist. 1. ad Cor. cap. 12. lect. 5. ex Conc. Gen. Lat. II. cap. 10. Conc. Aquisgran. ann. 816. cap. 16. Valent. ann. 855. cap. 22. Tribur. cap. 13. aliisque, quæ brevitatis gratia omittimus. Atque hæc obligatio perseverat etiam post erectionem beneficiorum (quidquid in contrarium nonnulli dicant) quæ 8. vel 9. sæculo accidit. Nam 1. bona Ecclesiæ post erectionem beneficiorum non amiserunt natu-

ram, & conditionem boni mere ecclesiastici, & Deo dicati, ideoque in usus pios impendendi. 2. Cum data sint a fidelibus solum in Dei cultum, & pios usus, imposita est obligatio perpetua justitiæ ea sic impendendi. 3. Posteriora Concilia de illis bonis loquuntur, sicut priora, & dicunt ea esse bona Dei impendenda in usus pios. Ita Concil. Lat. V. approbans Const. 7. Leonis X. Concil. Trid. sess. 25. cap. 1. Mediolan. I. sub S. Carolo tit. 63. Rothomag. ann. 1581. Aquense ann. 1585. Burdigal. ann. 1583. tit. 16. & 26. Rhemense 1583. cap. 18. His adde S. Bernard. serm. 18. in Cant. Præterea olim quarta pars redditumm Ecclesiæ pauperibus assignata fuit: nunc vero est permixta cum redditibus beneficiorum: nam nullibi separata reperitur. Dixi, *cum onere & pacto saltem implicito*, quatenus fideles sua bona Ecclesiæ donabant ad Dei cultum, & animarum salutem; ideoque cum onere, ut ea in usus pios, ac Deo gratos impenderentur.

Quod si Ecclesia consuetudinem multis in locis vigentem tolerat: qua beneficiarii de omnibus bonis suis testantur pro arbitrio, & qua consanguinei divites eorum bonis ab intestato succedunt: hoc ideo est, quia 1. Ecclesia ad vitandas perturbationes, & multas lites potest hujus obligationis observationem cujusque conscientiæ relinquere; & sufficit, quod cap. 12. *de testam.* contrarium declaret de bonis mobilibus; cum jam id de immobilibus declarasset. 2. Cum nullus præsumendus sit malus, nisi probetur; censendus est Beneficiarius donare consanguineis bona tantum patrimonialia, vel donatione, aut industria acquisita, vel suæ sustentationi debita, quæ parcius vivendo sibi reservavit. 3. Etsi contrarium constaret, forum externum hoc tolerat ad impedienda multa mala, quæ ex innumeris litibus orirentur, ob difficultatem discernendi superflua illa ab aliis bonis. Et vero ex communi sententia mortaliter peccant Beneficiarii, si testentur de superfluis ad usus non pios. Cur Ecclesia hoc tolerat? Cur talem dispositionem non irritat. Ex dictis sequitur laicos, qui sive testamento, sive ab intestato succedunt bonis provenientibus ex beneficio, vel quia alias dono acceperunt, nisi sint pauperes, teneri (8) in con-

(8) Ex S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 1. ad 2. Beneficiarius aliquid consanguineis largiri potest, „ dummodo illud faciant „ moderate, ut non indigeant, „ non autem ut ditiores inde „ fiant ". Atque id congruere videtur Tridentino sess. 25. c. 8: de Reformat.

Incertum est, an aliqua habben-

conscientia ab illa restituenda pauperibus loco beneficii, vel aliis piis causis: nam testator, vel donator non potuit jus in illa transferre ad usus profanos, cum ipse illud non habuerit, reg. jur. in 6. Item qui alea lucrati sunt aliquid notabile ex bonis superfluis, tenentur *rem pauperum male partam restituere*, ex Concil. Rhemens. ann. 1583.

Nota 1. Ex dictis saltem patet, beneficiarios teneri non solum ex charitate, sed etiam ex religione impendere bona superflua in usus pios, idque jure divino naturali: si secus faciant, reos esse peccati mortalis, & sacrilegii: ac proinde etiamsi non constet peccasse contra justitiam, merito ipsis in satisfactionem imponitur obligatio tantumdem ex bonis patrimonialibus restituendi piis causis, quantum ex Ecclesiasticis in usus profanos impenderint. 2. Clerici, qui pensionem clericalem accipiunt, tenentur quoque superflua in pia opera impendere. Item Commendatarii, cum subeant locum beneficiarii titularis in munere, jure, & commodis, subeunt quoque eadem munera. Præterea bona monasterii sunt bona Deo dicata: unde omnia ex natura sua, & ex vi donationis illorum debent impendi in pios usus. Religiosus vero habens beneficium extra Monasterium, non unitum Monasterio tenetur bona superflua impendere in usus pios in loco sui beneficii, ut in subsidium pauperum, in fabricam, & ornamenta templi parochiæ. 3. Per congruam sustentationem intelligitur quidquid necessarium est ad victum, vestitum, & habitationem beneficiarii, ac personarum ei necessariarum, ad hospitalitatem exercendam, ad modicas (9) aliquas donationes remuneratorias; uno verbo ad honestam, & convenientem cujusque vivendi rationem: ab omni luxu, & intemperantia alienam, secundum cujusque statum, officium, dignitatem, ordinem, & qua-

---

benda sit nobilitati ratio: cum aliis id affirment, alii negent. At certum est, eos turpiter errare qui se propter multam suppellectilem, plurimamque eleganter vestitam familiam, multamque vasorum ex auro & argento copiam pluris esse æstimandos putant.

(9) Addiderim, beneficiarium non peccare, sed mereri potius, si quibusdam, sed intra limites moderatos, donis ac muneribus eorum sibi benevolentiam concilient, qui sibi, vel Ecclesiæ suæ gratiam præstare possunt. Negat tamen Pontas V. *Beneficiarius*, cas. 15. 16. qui, parce vivendo, certam singulis annis summam ex iis, quæ tuta conscientia in honestam sui sustentationem impendere posset, posse de ea pro nutu disponere, v. g. in gratiam parentum; quia bona hæc Deo consecrata sunt, suntque pauperum aut religionis bona.

& qualitatem beneficii. Quæ omnia æſtimari debent judicio prudenti, & ſecundum conſuetudinem piorum, ac timoratorum ejuſdem conditionis, & ſacros Can. *de vita, & honeſt.* Clericorum, & regulam traditam a Trid. ſeſſ. 25. cap. 2. 4. Nomine propriorum onerum intelliguntur omnia opera miſericordiæ tum corporalia cum ſpiritualia. Item omnia, quæ ad Dei cultum, & animarum ſalutem ſpectant. Pauperes vero cenſentur ii, qui carent neceſſariis ſive ad vitam, ſive ad ſtatum ſuum ſuſtentandum ſecundum ſuam conditionem. Porro locus beneficii, cæteris paribus, anteponendus eſt cæteris. Alias poteſt exteris opitulari, modo communium neceſſitatum proprii loci non obliviſcatur.

Sed an Clerici tenentur etiam ſub mortali impendere in pios uſus partem ſuperfluam bonorum, quæ accipiunt ex miniſterio ſpirituali, ut adminiſtratione Sacramentorum, Concionibus, ſacrificiis, fungendo vicaria temporali &c.

Reſp. Non pauci (10) aſſerunt cum Innoc. in cap. *Quia nos, de teſtam. & Panormitan.* Ita ex cap. 9. *teſtam.* ex Conc. Namnetenſi cap. 10. Rhedon. ann. 1274. ex SS. Auguſt. Hieron. lib. 14. in Exech. ad cap. 46. Bern. epiſt. 2. ad Tulcon. Nam ejuſmodi bona ſunt bona Deo conſecrata ad ſuſtentationem miniſtri, & alios pios uſus data perinde ac bona beneficiorum: non enim fideles dant illam pecuniam, ut mercedem operis, vel præmium laboris, nam hoc eſſet ſimoniacum, cum opus, & labor ſint ſpiritualia. S. Thom. q. 100. art. 2. & 2. 2. q. 86. art. 2.

Quæſt. VI. An Clericus, qui habet bona patrimonialia ſufficientia, poteſt ſibi ſumere ex bonis Eccleſiaſticis partem ſuæ ſuſtentationi neceſſariam, & diſponere de patrimonialibus, perinde ac ſi careret beneficio?

Reſp. Longe plures affirmant cum S. Antonin. 3. part. tit. 15. cap. 1. §. 16. ex cap. 16. & 30. *de prabend.* & cap. *charitatem*, 12. quæſt. 2. ubi nulla ſit diſtinctio divitum, & pauperum, cap. *Clerici* 1. quæſt. 2. ex cap. *Epiſcopi*, & cap. *Manifeſta* 12. quæſt. 1. & ſequentibus, & ex Ale-

(10) Hæc opinio firma videtur quoad ea bona quæ, cum ratione miniſterii ſacri clericis conferuntur, nec dari nec recipi poſſunt ſine ſimonia, ut merces ſtricte ſumpta; non autem quoad ea bona quæ clerico retribuuntur ob officia quædam Laicis perinde ac clericis competentia, ut muſicam canere, Philoſophiam ac Theologiam docere; nam horumce bonorum clerici domini ſunt perinde ac Laici.

ex Alexand. III. id supponente cap. *Quia de testament.* ex 1. Corinth. 9. & Matth. 10. Et ratio est, quia qui occupatus est in commodum alterius, habet jus percipiendi ab eo necessaria ad suam sustentationem, quamvis dives sit.

Nota. Ecclesia olim, cum ejus redditus essent exigui, statuit ut distribuerentur solum iis, qui indigerent: non autem iis, qui patrimonium haberent: postea vero hanc disciplinam mutavit.

Quæst. VII. Ad quid tenentur Episcopi, Parochi, & ii, quibus animarum cura incumbit?

Resp. 1. Hi tenentur generatim jure divino residere, & per se officium suum recte præstare, oves sibi creditas verbo, exemplo, & Sacramentis pascendo, eorum salutem, ac utilitatem spiritualem procurando, & peccata, ac scandala, quantum possunt, impediendo. Est communis sententia ex Ezech. 34. 1. Petri 5. & ex Conc. Trid. sess. 23. de reform. cap. 1. Nam quicumque accipit aliquod officium præsertim cum emolumento, obligat suam personam ad proprias illius functiones, taciteque promittit se illas obiturum quantum res feret; nec aliter ei committitur officium. Neque sufficit, quod suum officium præstet per alios, nisi necessitas, vel majus bonum commune cogat eum ad tempus abesse. Nam pastorale munus est per se personale, cum is instituatur Pastor, cujus cura, diligentia, & industria electa est ad pastoralia munia obeunda. His adde jus Canonic. tit. *de Cleric. non resid.* Hinc Episcopi, (11) & Parochi peccant mortaliter contra jus Divinum naturale, si notabili tempore sine gravi, & justa causa absint. Quod si justa absentiæ causa subsit, tenentur per alium idoneum gregi suo sufficienter providere. Porro justas causas exponit Trident. ibidem, & sunt, *christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, & evidens Ecclesiæ, vel Reip. utilitas.* Porro residentia est personalis præsentia in loco bene-

(11) Neganda est absolutio Episcopis & Parochis qui non resident formaliter, seu munia sua, ut par est, obeundo; prout contingit Parochis qui vix semel in mense populum verbo Dei reficiunt, qui propterea mortaliter peccant. Immo, ait Bonacina, Tr. de Legib. disp. 5. „ Arbitror mortaliter peccare „ Parochum, si duobus vel tribus mensibus totius anni dis- „ continuis non concionetur... „ quia hæc videtur materia gra- „ vis." Ita & Pontas V. *Cura* cas. 1. qui cas. 2. addit, eum neutiquam a culpa immunem esse qui Vicario suo, quia doctiori, totum concionandi onus imponit.

beneficii ad debitum officium ibi præstandum. Quamvis autem omnia beneficia de jure communi, & ex primæva sui institutione residentiam requirant; possunt tamen aliqua simplicia eam non exigere, vel ex fundatione, vel consuetudine rationabili, ut si non habeant sufficientes redditus ad sustentandum Beneficiarium. Provisi autem de beneficio curam animarum habente, vel de canonicatu tenentur publicam fidei professionem facere, alioqui fructus suos non faciunt ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 11.

Resp. 2. Speciatim de Parochis tenentur. 1. Habere scientiam competentem, & sufficientem ad recte dirigendas oves suas in rebus ad salutem pertinentibus; ideoque scire dogmata fidei, & Theologiam moralem: item Scripturas Sac. Canones, & statuta propriæ suæ diœcesis, cap. 1. dist. 38. ex Concil. Toletan. 2. Constanter (12) residere in sua Parochia; ex Conc. Trident. cit. &c. & cap. 2. *de Cler. non resid.* 3. Pro ovibus suis orare, & sacrificium offerre, & quidem juxta Tolet. Fagnan. aliosque iis applicare Missam diebus festis, ac Dominicis ex Conc. Trid. Mediolan. IV. a Sede Apostolic. approbato, & Sac. Congregatione Cardinalium apud Gavant. & Barbosam. Et vero Parochus accipit a suis ovibus sustentationem, ut sua munera possit obire, & Missas his diebus celebret, non aliis profecto applicandas.

(*) No-

---

(12) Nisi „ christiana charitas, urgens necessitas, debita „ obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas " eos excusent; nam quinque hæ causæ assignantur a Tridentino, sess. 23. capit. 1. Et in primis christiana charitas. Sed 1. Cavere debet Parochus, ne plus Ecclesiæ suæ per suam absentiam noceat, quam alteri prosit sua præsentia: immo esset contra ordinem charitatis, tantum in suos invehere mali, quantum in alios commodi. 2. Ne promiscue legationem suscipiat ad negotia temporalia.

II. Necessitas: hæc autem vel est ab intrinseco, ut ab infirmitate; vel ab extrinseco, ut a persecutione tyranni, hostisque alicujus qui in Pastorem peculiariter desæviat. Utraque a residentia excusat, sed inquantum Pastoris absentia gregi proficua est; uti ex Cajetano & Soto notat Vasquez in opusc. 448. Ast si ex absentia Pastoris grave populi damnum sequi debeat, tenetur ad residentiam.

III. Obedientia debita Superiori legitime & gravi de causa ad aliud vocanti; sed attendendum est, justas aliquando & graves causas videri quæ tales non sunt. 4. Evidens Ecclesiæ utilitas, ut e. g. si docenda sit Theologia, vel jus canonicum. 5. Demum Reipublicæ utilitas. Ad Reipublicæ utilitatem revocat Gibert, 1. Administrationem justitiæ apud Curias Supremas; 2. Servitium Principi præstitum ab Eleemosynariis, Capellanis, Musicis, & Cantoribus. Gibert in cap. 1. lib. 5. Theor. & Prax. Cabass. &c.

(*) Nota. Bened. XIV. tom. 7. Bullar. pagin. 366. Const. 103. incip. *Cum semper oblatas*, Patriarchis, Archiepiscopis, cunctisque locorum Ordinariis per Italiam constitutis commendat, & inculcat, ut Concilii Trid. Apostolicæque Sed. decreta de applicanda ab animarum pastoribus pro populo Missa, executioni sedulo mandari curent. Ac statuit 1. Etiam Vicarios amovibiles, & temporarios, ac Regulares ad id teneri. 2. Id etiam extendit ad Parochos, aliosque curam animarum habentes *congruis præfinitis redditibus destitutos*, ac ex antiqua, ac immemorabili suarum Dioecesum, aut Parochiarum consuetudine ab hoc onere dispensatos. 3. Teneri ad Missæ applicationem diebus dumtaxat festis de præcepto, iis etiam comprehensis, quibus Populus tenetur Missam audire, licet *permissum sit opera servilia exercere*. 4. Facultatem concedit Episcopis dispensandi Parochos pauperes, ea tamen lege, ut in Ecclesia parochiali celebrent, ac totidem Missas infra hebdomadam populo applicent, *quot in diebus festis infra hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alicujus pii Benefactoris obtulerint*. 5. Ut in Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis Missa Conventualis quotidie celebranda pro Benefactoribus in genere applicetur, contraria consuetudine minime obstante. 6. In hujusmodi Collegiatis absolvit ab applicatione secundæ, & tertiæ Missæ Conventualis, nisi aliud usu receptum fuerit.

4. Populum frequenter, ut diebus saltem Dominicis, necessaria ad salutem docere, & doctrinam christianam explicare, eumque ad virtutes, ac vitam christianam adhortari per se, si possunt, vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint. Ex Conc. Trid. sess. 5. c. 2. Quod insuper addit eos si huic muneri suo defuerint, cogi debere per censuras ecclesiasticas. Et sess. 24. cap. 4. mandat Episcopis, ut saltem Dominicis, aliisque diebus festis pueros in singulis Parochiis doctrinam Christianam doceri curent. 5. Sacramenta suis Parochianis ministrare, quoties ea rationabiliter petunt, vel alium idoneum providere, idque ex proprio eorum officio, cum sub hoc onere stipendium accipiant. 6. Peccata corrigere præsertim publica, & scandala tollere, si possunt, vel ea deferendo Episcopo, si publica sint, & omnes peccati occasiones, quantum fieri potest, avertere, ideoque inquirere peccata publica. Item scire, an singuli sacramenta debita in Paschate suscipiant, & Sacrum diebus festis audiant. Hebr. 13. 7. Magnam, & peculiarem curam habere pauperum, & providere, ne ob inopiam a justitia deflectant, eorum necessitates inquirere, iisdem quantum possunt subveni-

venire ex Conc. Trid. Item pauperes sepelire, etiam absque stipendio, & pro eorum salute orare. 8. Nullos matrimonio conjungere, nisi sufficienter peritos rerum fidei, & præceptorum Dei, & Ecclesiæ. 9. Invigilare, (13) ut Ludi-Magister recte fungatur officio, puero doctrinam christianam doceat, bonisque moribus imbuat verbo, & exemplo. 10. Frequenter visitare infirmos, etiamsi Sacramentis sint muniti. 11. Servare statuta diœcesis, & curare ut a suis serventur. 12. Tenentur ex justitia, etiam cum certo vitæ periculo, ovibus suis subvenire non solum in extrema, sed etiam in gravi eorum necessitate spirituali, ex Joann. 10. Hinc juxta omnes Parochus tenetur suis peste laborantibus sacramenta, præsertim pœnitentiam ministrare per se, vel per alium idoneum, nisi Episcopus jubeat, ut ipsemet ministret: ex Sacr. Congreg. apud Fagnan. Idem dic de Superioribus Regularibus. 13. Denique omnium bonorum operum, ac virtutum exempla præbere, ex Trident. ex Epist. ad Tit. 2. & 1. ad Tim. 4. quo virtutis amorem, & vitii odium, ac fugam suis efficacius ingenerent, scientes quod pro animabus illorum rationem sint reddituri, ad Hebr. 13.

Sed quantum temporis absentia sine causa justa sufficit ad mortale?

Resp. Cabassutius l. 5. jur. Canon. cap. 1. docet absentiam quindecim dierum intra annum non esse mortalem, modo relinquatur idoneus substitutus. Sed num pauciores sufficiant, alii viderint. Possunt autem Parochi ob certas causas justas, & necessarias, sed prius juxta Trid. per Episcopum cognitas, & probatas, abesse sine culpa, relicto Vicario idoneo ab Episcopo approbato.

(*) Nota. Ad obligationes Clericorum spectat Const. 29. quæ incipit, *Universalis Ecclesiæ cura*, in qua sub pœna excommunicationis, & nullitatis contractus prohibentur alienationes fructuum „ sub nomine cedendi commodum, „ seu utilitatem percipiendi fructus eorumdem beneficio„ rum, quos alteri, quoad vixerint, vendunt, recepta „ pecunia ad eam summam, & quantitatem, quam ipsi, „ habita ratione eorum ætatis, & corporis valetudinis, „ durante vita consequi possent. “

C A-

(13) Insuper an non mares & puellas simul instituat, quod opus periculi plenum est, & in multis diœcesibus merito prohibitum, quandoque etiam sub pœna excommunicationis.

CAPUT SECUNDUM.

De statu, & obligationibus Religiosorum.

Quæst. I. Quid est status Religiosus?

Resp. Est stabile vitæ institutum ab Ecclesia approbatum, & tendens ad perfectionem christianam per tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ. Ad ejus essentiam tria requiruntur. 1. Tria (14) illa vota, quæ substantialia vocantur, eaque perpetua de se, & ex parte voventis. Non necesse est tamen, ut sint solemnia: nam qui in Societate Jesu vota simplicia emittunt, sunt vere Religiosi, ut definit Greg. XIII. Bull. *Ascendente Domino*. Hinc vota Religionis alia sunt simplicia, quæ fiunt sine solemnitate; alia solemnia, quæ fiunt cum certa solemnitate ab Ecclesia instituta in eo consistente, ut vota emittantur sub certa Regula a Sede Apostolica approbata, juxta ritum substantialem in eadem regula præscriptum cum traditione, & acceptatione ex utraque parte perpetuis, & via ordinaria indissolubilibus. 2. Approbatio Ecclesiæ. Hæc reservata est Papæ in Conc. Lat. & Lugdun. 3. Traditio facta Superiori, ut ministro Dei illam acceptanti, qua vovens se totum Deo in Religione dedicat, & Religioni propter Deum tradit irrevocabiliter ex parte sua.

Quæst. II. Quænam requiruntur ad valorem professionis religiosæ?

Resp. Sequentia, 1. Certa ætas, quæ ex Trid. sess. 25. cap. 15. est annus 16. completus. 2. Ut non fiat, nisi (15) post annum integrum, & continuum (16) probatio-

---

(14) Si quis tria prædicta vota emitteret quin Religionem ingrederetur, quamvis tunc non valerent, ut solemnia; tutius tamen & probabilius est, ea valitura saltem ut simplicia, ita colligitur ex cap. unic. de Sponsa lib. impub. in 6. ubi matrimonium impuberis, etsi non valeat in ratione matrimonii, valet tamen in ratione sponsalium quæ ab impubere contrahi possunt: & ratio est, quia actus qui non valet ut fit, valet ut potest. Quia tamen res nonnihil habet dubii, votum hoc ab Episcopo, etiam quoad castitatem, relaxari poterit.

(15) Annus probationis ita omnino integer esse debet, ut, si vel una hora desit (immo vel quadrans, ait Reiffenstuel in tit. 31. lib. 3. decretal. n. 94.) si v. g. hora nona profiteatur qui habitum suscepit hora præcedenti, irrita fit professio, prout contra paucos sentiunt communissime cæteri Doctores. Unde melius & tutius sibi suisque provident qui Novitium, non eadem qua vestitus est die, sed sequenti ad Professionem admittitur. Idem servandum in ætate ad ordines requisita.

(16) Non censetur interrupisse Novitiatum qui, injuste expul-

tionis, ibid. & ex Sacr. Congreg. teste Fagnan. ad capit. *Ad nostram de Regular.* 3. Ut non fiat cum vinculo matrimonii consummati; aut sine consensu conjugis, ex c. 3. & cap. 12. *de conversat. conjug.* 4. Ut profitens nullum habeat

---

pulsus, post aliquos menses denuo recipitur; unde is jus habet, ut sibi jam antea exactum probationis tempus computetur, quia nemini nocere valet aliena iniquitas. Item Novitiatum non interrupisse censetur qui non dimisit statum complete: Ratio est, quia, ut interrumpatur Novitiatus, necessaria est, tum ex parte Novitii, tum ex parte Religionis completa status dimissio; eaque adminus, & animum recedendi, & actualem egressum includit. Neque etiam juxta plures Novitiatum interrumpit qui per aliquot dies exit e monasterio, dimisso quidem habitu, ut liberius vagetur, aut mali quid faciat; sed servato semper animo redeundi: quia, inquiunt, contrarium nimis gravosum est, & nulla lege præceptum; alliunde vero Novitiatus continuatur, tum in animo redeundi, tum in intentione debitam pravæ huic agendi rationi pœnam subeundi.

At interrumpitur Novitiatus, si Novitius, dimisso habitu, & sine animo revertendi, per breve tempus exierit e monasterio, quamvis precibus deinceps atque lacrymis rursus postulet & mereatur admitti: talis enim est mens Sac. Congregationis teste Fagnano ab Auctore nostro citato. Et hæc, cæteris omissis, est ejusdem nostri Auctoris sententia.

Jamvero locus Novitiatus aliquâ esse debet e domibus ordinis in quo quis profiteri intendit, idque definiit Sac. Congregatio apud Sanchez lib. 5. Sum. cap. 4. & alios. Fatentur tamen Regulares, eum qui per duos aut tres menses ex Superioris licentia, bene vel male concessa, foris degeret, sive intuitu sanitatis, sive recreandi animi causa, non interrumpere Novitiatum.

Similiter probatio in ipso Ordinis habitu est peragenda: haud tamen id ad essentiam Novitiatus necessarium videtur.

Obligationes Novitiorum hæ sunt: tenentur. 1. Ex quadam decentia ad observantiam regulæ; non tamen subjacent, aut votis quæ nondum emiserunt; vel Officiorum recitationi quæ in solos Professos cadit, vel censuris in delinquentes latis (nisi exprimantur in specie); quia licet in favorabilibus veniant nomine Religiosorum, non tamen in odiosis quæ restringi debent. 2. Eos subjici Superioribus eo ferme modo quo Episcopis clerici subjiciuntur. Addunt post Sanchez Salmanticenses, eosdem ob graviorem culpam posse aliquando censuris plecti non secus ac clericos ab Episcopis; talesque censuras eos etiam egressos a Religione sequi, perinde ac clericum ab hac in aliam diœcesim egressum. 3. Novitius non potest desistere a salubri incœpto sine quodam instabilitatis, levitatis, & ignaviæ vitio, saltem veniali. Quod si amplectendæ Religionis votum emisisset, sibique consentaneum expertus, sponte exeat, vel dolose quærat ejici videtur mortaliter peccare, eo quod voto obligatus fuerit ad sincere probandum. 4. Novitius, qui bona fide communitatem ingressus est, non tenetur solvere victus, vestitusque expensas, nisi id pollicitus sit; nam monasterii bona, vel eleemosynæ pro Novitiis pauperibus æque ac pro Professis constituta sunt.

beat impedimentum in illo Ordine essentiale. 5. Emissio trium votorum substantialium spontanea, non fraude, nec metu injusto extorta, quæ sui ipsius traditionem complectitur. 6. Acceptatio traditionis facta nomine Dei, & Religionis ab habente potestatem illum incorporandi tali Religioni, cap. 13. *de Regular.* Eadem requiruntur, ut vota simplicia Societatis nostræ sint valida, ut constat ex suis Const. & Bullis SS. Pontificum.

Observa 1. Professio (17) fieri potest expresse, cum quis utitur formula promissionis, quæ Deo & Religioni se obstringendi, ac tradendi voluntatem explicet: vel tacite, & hoc tripliciter. 1. Cum quis exacto probationis tempore defert per triduum habitum professorum ubi is aliquo signo distinctus est, cap. 3. *de Regular.* in 6. Si talis habitu suscepto faciat aliquod opus professis proprium, ut si in Capitulo suffragium dederit, cap. 4. *de Regular.* 3. Si ex ea Religione, ubi Novitii, & Professi eumdem habitum habent, deferas habitum per totum annum sequentem tempus Novitiorum, eo expleto censeris Professus, cap. 1. *de Reg.* in 6. & Clement. 1. *de Regul.* Debent autem hæc fieri animo profitendi, & consentiente illo, cujus est admittere ad Religionem.

2. Ex Trid. sess. 25. cap. 19. Qui emisit (18) professionem

(17) Professio immediate sequi debet Novitiatum, itaut diu non differatur; quia etiam brevi tempore magnam rerum mutationem fieri posse certum est. Aliud esset, si quis, a parentibus abductus fuisset e conventu, & in domo paterna annum, aut etiam biennium detentus fuisset; nam qui vivit in habitu & actione Professi Novitiatum moraliter continuare censetur.

Si Novitius toto probationis tempore ægrotaverit, & tandem convalescat, fatentur plerique eum recipi posse: quia extra probationem fuisse dicendus non est, qui in multis obtemperare potuit Religioni, & cujus indolem experiri potuit Religio. At secus esset de illo qui per novem, decemve menses in amentia versatus fuisset; immo per dies 20. aut 30. quia in his casibus materialiter prorsus Novitiatus perageretur: unde supplendum esset tempus amentiæ, furorisque durationi correspondens.

(18) Sunt certa impedimenta contra quæ semper reclamari potest, ut si vir invita muliere professus sit. Porro Superior & Ordinarius, coram quibus causa hujusmodi reclamationis disceptanda est, sunt & localis Superior monasterii in quo emissa fuit Professio, & Ordinarius ejusdem loci, seu diœcesis. Ex Sac. Congregationis declaratione die 1. Decembris ann. 1593. Quod si forte eo in loco ob nimiam ejus distantiam agi non possit, attendendus erit locus ultimus ejus qui reclamat residentiæ. Ordinarii autem nomine quo usa est Synodus Tridentina veniunt etiam Prælati nullius Diœcesis, ii nempe, qui, licet Episcopi non

ſionem propter vim, ac metum, vel defectum ætatis, aut quid ſimile poteſt reclamare intra quinquennium a die profeſſionis, cauſas nullitatis deducendo coram Superiore, & Ordinario, retento (19) habitu. Sed poſt quinquennium non debet audiri. 3. Ut profeſſio, quæ nulla fuit ab initio valida ſit; neceſſe eſt, ut ipſe ſciens eſſe nullam, eam ratam habeat poſtea, vel certe apud ſe ita ſtatuat: Volo (20) illam eſſe validam, etiamſi ob aliquam cauſam ab initio valida non fuiſſet. 4. Ex communi ſententia, cætera vota ſimplicia extinguuntur per profeſſionem, ſaltem ſi profitens velit commutare, cap. 4. *de voto*, quia talis commutatio eſt evidenter in melius, ait S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 12. ad 1. Sed controvertitur an ad hanc commutationem requiratur, ut profitens illam intendat, necne. Quare Suarez conſulit, ut profitens admoneatur de hujuſmodi commutatione facienda. 5. Profeſſus obligatur ad tendendum ad perfectionem, S. Thom. 2. 2. q. 186. art. 2. & eſt communis ſententia. Religioſus enim ſtatus eſt eſſentialiter ſtatus perfectionis acquirendæ.

Quæſt. III.

---

non ſint, juriſdictione fruuntur quaſi Epiſcopali. Quod ſi in hiſce negotiis diſſentiant a ſe invicem Ordinarius & Superior Regularis, tunc ad immediatos utriuſque Superiores appellandum eſt.

(19) Alioquin, ait Tridentinum, „ nullatenus ad allegandam quamcumque cauſam admittatur; ſed ad monaſterium „ redire cogatur, & tamquam „ apoſtata puniatur “. Si quis tamen poſt fugam duxiſſet uxorem, ſtaret matrimonium, poſito quod invalida eſſet profeſſio ex defectu conſenſus interioris; tunc vero omne quod ex ficta Profeſſione ſubiit Religio damnum reſarciri debet. Qui habitum juſta de cauſa dimiſit, reclamare poteſt: idem dic ſi reſumpto quem temere exuerat habitu ad monaſterium redeat. Ita multi apud Salmantic.

Quod ſi quis reclamare nequeat, quia e. g. invaliditatem profeſſionis probare nequit, tunc inveſtigandum eſt unde orta ſit ejus nullitas. Si ab ipſo Profeſſo qui ficte conſenſerit, tunc melius forte eſt, ut ratificetur profeſſio, ſicut a pari de matrimonio dicitur. Si vero ex vi, metu, aut ſimili quopiam nata ſit prædicta invaliditas, profeſſio ratificanda non videtur; quia non eſt, cur id oneris immerito nolenti imponatur.

Ex Tridentino reclamatio, nec per ſola verba, nec per teſtes ſolos qui corrumpi facile poſſent, ſed per inſtrumentum publicum fieri debet. Ex eodem Concilio hoc decretum locum habet etiam cum Superiores ipſi ex ſe illum ejicere volunt, tamquam invalide profeſſum.

(20) Regulares ſatis communiter docent, in hoc caſu non requiri novum ex parte Religionis conſenſum, ſed ſolum ex parte illius qui invalide profeſſus eſt, eo ſolo excepto caſu in quo profeſſio nulla fuerit ex parte recipientis.

Quæst. III. An Papa potest dispensare in votis solemnibus ex gravi causa?

Resp. Affirmat. Ita communis sententia. Nam solemnitas votorum est ex solo jure Eccles. ut constat ex cap. unico *de voto* in 6. & ex Const. Gregorii XIII. *Ascendente Domino*. Præterea SS. Pontifices sæpe in his votis dispensarunt, ut colligitur ex Cajet. Azor, & aliis. Id etiam facere potest ob gravem causam, v. g. ut Religio, aut pax in regno firmetur.

Quæst. IV. An Religiosi sint capaces dominii rerum temporalium?

Resp. 1. Religiosi non solemniter professi possunt in particulari habere dominium bonorum temporalium, licet non possint de illis pro libito dispensare, nec iis uti sine licentia Superioris. Constat ex Const. Gregorii XIII. *Ascendente Domino*, sic statuente de iis, qui post probationis biennium vota simplicia emiserunt in Societate Jesu.

Resp. 2. Religiosi solemniter professi possunt habere in communi dominium bonorum temporalium, ita ut illud sit penes communitatem, ex Concil. Trident. sess. 25. capit. 3. Hæc tamen non habet dominium illorum absolutum, ac liberum, sed ligatum, ac restrictum ad congruam sustentationem Religiosorum, & pios usus: nam sunt bona Deo dicata, & donata solum ad pios usus. Porro bona Religiosorum immobilia, & mobilia pretiosa, quæ servari possunt, alienari nequeunt, nisi in commodum communitatis, quia sic a jure statuitur.

Resp. 3. Religiosi solemniter professi sunt in particulari incapaces omnis dominii, proprietatis, & similis juris bonorum temporalium, sive mobilium, sive immobilium. Est communis sententia, & certa, inquit Lessius. Nam Ecclesia hanc incapacitatem annexuit voto paupertatis, sicut & incapacitatem matrimonii solemni voto castitatis. At retinent dominium suæ famæ, & jura mere naturalia: nam his non renuntiant.

Resp. 4. Religiosi professi beneficiarii, ut Abbates Priores & similes habentes beneficia regularia, vel sæcularia habent jus administrandi, & dispensandi fructus sui beneficii, tum ad congruam sustentationem, tum ad causas pias; quia id eis a jure, & consuetudine concessum est: at non impendendi in usus profanos, vel consanguineis non indigentibus donare: alioquin peccant contra justitiam, & accipientes tenentur ad restitutionem, sicut de Beneficiariis dictum est. Immo etiam peccant contra vo-

tum paupertatis, disponendo de re temporali sine legitima licentia.

Quæst. V. Ad quid obligatur Religiosus ex vi voti paupertatis?

Resp. Ex communi sententia tenetur 1. Nullam rem temporalem pretio æstimabilem accipere, retinere, absumere, destruere, permutare, commodare, alienare, donare, aut ea uti. Nam per votum paupertatis, etiam simplex, quod fit in Societate Jesu post biennium probationis homo privatur potestate utendi, & disponendi sine licentia Superioris de quavis re temporali, & usu ullo dominii libero independente, quamvis retineat dominium, sed restrictum, & dependens a Superiore etiam quoad retentionem, & cum obligatione illud relinquendi ad nutum Superioris. Per solemne vero Religiosus privatur insuper omni dominio etiam radicali, proprietate, & simili jure rerum temporalium. Constat ex sensu, ac usu Ecclesiæ, & cap. *Non dicatis* 12. q. 1. S. August. epist. 109. ex cap. 6. *de statu Monach.* & ex Trid. sess. 25. cap. 2. Immo juxta Navarrum, & Suarez, votum illud obligat ad non desiderandum habere aliquid proprium, & ut suum ex cap. *Voventibus* 17. q. 1.

Hinc ex communi sententia Religiosus, sive solemniter professus, sive non, peccat, si quid seu domi, seu foris sine Superioris licentia expressa, vel implicita, aut tacita, aut in necessitate prudenter præsumpta accipiat, possideat, retineat, destruat, commodet, commutet, absumat, donet, alienet, aut aliqua re utatur. Nam ista omnia sunt actus proprietarii, cum fiant proprio arbitratu, auctoritate, ac sine licentia Superioris: Immo ista non solum sunt sacrilegia contra votum, sed etiam furta contra justitiam. Idque etiamsi res illa Religioso ab externis donata sit, quia hoc ipso, quod ab illo acceptatur, acquiritur communitati, ut constat ex variis juribus, & consensu Doctorum, & ex praxi, ac sensu Ecclesiæ. Quare omnis alienatio, & donatio &c. sic facta est irrita, & restitutioni obnoxia.

Item Religiosus sæpius quid leve sine licentia recipiens, absumens &c. ex bonis communitatis, vel aliunde datis, etsi sine animo iterandi, & attingendi quantitatem notabilem peccat tamen mortaliter, quando scienter pervenit ad quantitatem sufficientem ad mortale furtum sic factum. Quod verum est, licet ista sint esculenta, vel poculenta domus: nam hæc sunt pretio æstimabilia. In his tamen ad mortale requiritur eadem quantitas, quæ in esculentis, & poculentis respectu famulorum ad furtum mortale.

Idque certum omnino censendum est; saltem si ita sine rationabili necessitate sumantur. Hinc (21) etiam peccat contra votum paupertatis Religiosus, qui a sæculari incitatus manducat, aut bibit sine licentia Superioris. Nam comestio, & potatio ex communi hominum sensu est usus activus facti rei temporalis in proprium commodum, & pretio æstimabilis.

2. Tenetur esse animo paratus exui rerum sibi permissarum possessione, & usu, omni momento, quo Superior vult. Hinc peccat contra votum, qui rem cum licentia acceptam abscondit, ne Superior eam auferat, repetat, vel licentiam datam revocet. Item qui murmure, querelis Superiorem impedit, ne rem concessam repetat, vel dum Superior repetit, conqueritur tamquam de injuria. Nam ista omnia sunt actus sibi usurpantis usum independentem, & irrevocabilem, cujus est incapax per votum paupertatis. Licentia autem irrevocabilis in hac materia est iniqua, & nulla, utpote repugnans paupertati.

3. Tenetur rem sibi concessam dimittere statim atque Superior revocat licentiam datam, alioquin jam eam haberet sine licentia.

4. Rem quamlibet determinatam ad unum usum non potest adhibere ad alium usum, etiam honestum. Nam hic usus esset sine licentia. Unde peccat mortaliter si pecuniam notabilem ad unum usum concessam impendat in alium sine licentia. Item non potest id, quod ad usum sibi conceditur alteri commodare sine facultate, quia habet tantum jus utendi ad suam utilitatem rebus sibi concessis continuo dependens.

5. Tenetur adhibere eam saltem diligentiam in conservandis rebus sibi ad usum concessis, quam adhibere solent viri prudentes, & diligentes in rebus suis. Quod si res etiam ad consumptionem tribuatur, ut vestis, oleum &c. tribuitur ei tantum ad consumptionem necessariam, vel utilem, non autem ad destructionem monasterio damnosam, & ex negligentia acceleratam. Secus se gerens peccat contra votum, & justitiam.

6. Non

(21) Hæc opinio aliis dura videtur, & difficilis, seclusa speciali Religionum lege, quæ apud Jesuitas hac in parte strictior quam apud alios esse poterat, cum Vitallescbus Societatis Præpositus Generalis opinionem contrariam, ut paupertati quam profitebatur Societas penitus adversam defendi, doceri, & practice exerceri prohibuerit.

6. Non potest habere superflua, pretiosa, & statui paupertatis non convenientia, nec quidquam valide impendere in usus turpes, aut vanos, vel dedecentes statum Religiosi; idque etiamsi Superior consentiat: nam Superior tales usus nec licite, nec valide concedere potest, cum repugnent statui pauperis, & a canonibus prohibeantur, & Superior bonorum communitatis est solum administrator secundum Canones, & Regulam Ordinis. Jura autem, & Decreta a SS. Pontificibus, qui sunt supremi omnium Religionum Prælati, condita vel confirmata ei solum concedunt administrationem ad usus necessarios, ac pios, & statum religiosum decentes, vetantque quidpiam ad profanos, & vanos usus impendi, ex Trident. sess. 15. cap. 2. & Sacr. Congregat. Cardin. teste Fagnan. in cap. *Monachi*. Quare nec Prælatus cum Conventu ipso potest hanc licentiam concedere. Hinc qui in ludo aliquid lucratus est ex bonis Religiosi, vel accepit ad usus vanos, & dedecentes ejus statum, tenetur illud restituere Religioni perinde ac si accepisset a jure.

7. Procurator, OEconomus, & similes non possunt quicquam dare, impendere, alienare pro libito, sed solum secundum Ordinis Regulam, & Superioris voluntatem, & quatenus ratione muneris eis commissum est. Item dispensator aliquarum rerum tenetur eas distribuere secundum regulam, & voluntatem Superioris: qua parte enim discedit a voluntate Superioris, incurrit vitium proprietatis, cum expendat, vel distribuat perinde ac si esset Dominus, & ab alterius arbitrio non penderet. S. Thom. 2. 2. q. 32. art. 8. Ipsi vero Religionum Prælati peccant contra votum paupertatis, & justitiam, si bona Conventus aliter impendant, vel donent, quam Ordinis sui regula, vel approbata consuetudo, aut Superiorum Prælatorum voluntas eis permittit: & si quid notabile donent, vel impendant in usus vanos, aut superfluos, peccant mortaliter, & donatio irrita est, & restitutioni obnoxia ex cap. 2. *de donation.* Nec id possunt etiam cum consensu Conventus, ex Trident. & Sacr. Congregat. sup. laud.

Sed notanda sunt sequentia, 1. Licentia Superioris requisita debet esse, vel expressa, vel implicita, quæ scilicet contineatur virtualiter, & implicite in alia expressa, vel tacita, quæ rei cognitionem in Superiore supponit, & quæ ex circumstantiis prudenter adesse judicetur, ut cum Prælatus sciens subditos aliquid accipere, retinere donare, non prohibet, cum facile possit; nam tunc consentire censetur; secus, si difficile impedire posset. Licen-

tentia autem tacita, vel generalis in Religionibus bene ordinatis non conceditur, nisi in rebus levis momenti, & crebro occurrentibus. 2. Licentia interpretativa, seu præsumpta non sufficit, nisi cum res, & causa urget, & Superior non potest tunc adiri: nam inferiores semper, aut fere semper pro libitu sine actuali dependentia de rebus disponerent. Porro qui rem ex præsumpto consensu accepit, tenetur postea ubi primum potest, petere licentiam ut retinere possit. Quia licentia requiritur non solum ad accipiendum, sed etiam ad retinendum. 3. Requiritur licentia omnino voluntaria, quæ non sit per vim, metum, fraudem obtenta, nec procedat ex errore; ut si Superiori taceatur id, quo cognito licentia dari non solet. 4. Non sufficit licentia debita, sed quæ probabiliter præsumatur deneganda, vel quæ irrationabiliter denegetur: nam voluntas debita, nulla voluntas est, quamdiu contraria de facto inest. 5. Ex communi sententia quantitas sufficiens ad furtum mortale, sufficit etiam ad peccatum mortale contra hoc votum. Nam hoc peccatum proprietatis se habet instar furti. Hæc autem quantitas sufficiens saltem est ea, quæ absolute, & in se spectata censetur notabilis sine respectu ad personas. Dico, *saltem*, (22) nam sunt, qui putant minorem quantitatem sufficere. 6. Si Religiosus inconsulto Superiore recuset acceptare rem sibi ex liberalitate oblatam, Sanchez docet eum non peccare contra hoc votum, quia vi illius non obligatur ad acquirendum Religioni; sed ad non alienandum, accipiendum, utendum sine licentia. Potest (23) tamen peccare contra charitatem, impediendo sine justa causa bonum Religionis, cum illa res ipso acceptante acquirenda est. Secus, non peccat. 7. Quoties Religiosus damnum injuste intulit sive extraneis, sive Religioni, ejus bona

(22) Non desunt qui satis probabiliter habendam velint rationem monasteriorum status, itaut in Conventibus ditissimis sex aut circiter libellæ italicæ a Religione subreptæ ad peccatum mortale requirantur; in his vero quorum mediocris est status quatuor sufficiant, ac duæ demum in domibus paupercu-lis.

(23) Si quis oblatam sibi pecuniam precaretur egenis suis parentibus impendi, is, nisi rem expresse aut tacite quasi nomine suo dandam acceptaret, non posset dici proprietarius; sicut nec ille qui, missas habens liberas, easdem celebraret in gratiam Sacerdotis alterius & debitum iis stipendium eidem Sacerdoti porrigeret, porrigique curaret absque licentia Superioris.

Ex generali consuetudine, Religiosi ad Episcopatum promoti, sicut & clerici sæculares, de fructibus suorum beneficiorum testari possunt.

bona usurpando, vel destruendo, vel aliter nocendo, tenetur restituere quantum potest, ex iis bonis, de quibus licite potest disponere in alios usus, vel imminuendo expensas, quas licite posset ex Conventus bonis facere, nisi condonet prælatus, vel dominus. Nam injuria omnis jure naturali resarciri debet, quantum fieri potest, nisi condonetur. 8. Spectandæ (24) sunt leges, ac regulæ cujusque instituti. Quia fieri potest, ut quod non repugnat paupertati religiosæ spectatæ in genere, repugnet paupertati, ut est propria talis Religionis. 9. Si Religiosus aliquid sine licentia valida Superioris donet, vel alienet, accipiens tenetur illud restituere Religioni. Ita omnes.

Quæst. VI. Ad quid obligatur Religiosus ex voto castitatis?

Resp. Secundum omnes tenetur abstinere non solum a conjugio, sed etiam ab omni voluntario actu luxuriæ, tum interno, tum externo, ab omni periculo ejusdem, & ab omnibus iis, quæ aliquo modo sunt contra castitatem: nam per tale votum vovetur castitas tum corporis, tum mentis. Unde quidquid (25) in sæculari soluto est peccatum contra castitatem, est insuper in Religioso sacrilegium contra votum: & duplicem habet malitiam in confessione exprimendam unam luxuriæ contra virtutem castitatis, & alteram sacrilegii contra votum, & religionem.

Quæst. VII. Ad quid (26) obligatur Religiosus ex vi voti obedientiæ?

Resp.

---

(24) Pariter ex ipsa Ordinis Constitutione definiendum videtur, an Religiosi veram suorum manuscriptorum proprietatem habeant. Quod enim apud aliquos est pretio æstimabile, apud alios in nullo pretio esse potest, atque vel igni vel muribus reservari.

(25) Immo quandoque id quod in sæculari leve est, grave esse potest in Religioso, seu ratione regulæ quam professus est, seu ratione scandali. Porro ex specie peccati quod quis frequenter perpetrat, & ex circumstantiis definiendum videtur, an peccatum contra castitatem sit ex iis quæ pugnant contra bonum commune. Si enim peccatum tale sit quod solus quis & sine scandalo committat, ut est mollities, culpa videtur personalis, neque aliter in Religionis detrimentum cedit quam aliud quodcumque grave peccatum. Si vero (ut fere semper evenit, ubi præsertim viget malus habitus) ita quis affectus sit ut alios sollicitet ad crimen, vel liberius loquatur ore, vel de excessu suo sacrilege glorietur &c. utique quasi publici boni eversor exagitandus est.

(26) Obedientia religiosa definitur, „ Vinculum spirituale obli-

Resp. Ex communi sententia tenetur 1. Ad servandam regulam secundum vim obligationis ejus in unaquaque Religione receptam; quare si regula Ordinis sub culpa absolute obliget, ejus transgressio est contra votum, & sacrilega: secus, si regula ex voluntate institutoris non obliget sub culpa absolute, modo Religiosus sit paratus ad pœnam subeundam, cum imponetur. Quod addo, quia omnis regula religiosa, sub qua comprehenduntur etiam Constitutiones, & statuta Religionis, obligat in conscientia, etiam in Societate nostra, ad pœnam subeundam, si imponatur, cum habeant rationem legis, & auctoritatem a Papa illa confirmante, vel fiant per jurisdictionem ab eo acceptam. 2. Tenetur ad res contentas in regula pertinentes ad vota, & ad ea, quæ in sua Religione præcepta sunt, & quidem sub mortali, si res illa sit gravis; sub veniali, si sit levis. 3. Tenetur ad omnia, quæ Superior præcipit consentanea Ordinis Constitutionibus, regulis, statutis, & instituto; sive ea expresse, sive implicite, vel virtualiter in instituto, ac regulis contineantur, vel ad illa etiam indirecte pertineant: & quidem si præcipiat in virtute obedientiæ in nomine Christi, vel simili forma, qua indicet se velle graviter obligare, vel quantum potest, tenetur subditus sub mortali obedire in materia gravi. D. Thom. 2. 2. q. 188. art. 9. & cap. 27. *de elect.* in 6. Hinc Superiores præcipere possunt etiam ea, quæ sunt moraliter necessaria ad præcavenda peccata, ad institutum, regulas, aut vota servanda; & nova statuta ad hunc finem condere. Item ad (27) vitæ religiosæ reformationem, & observantiam stri-

obligans Religiosum ad parendum Superiori Regulari in omnibus quæ legitime imperari possunt duplex est, altera *perfectionis* quæ obtemperat omnibus quæ contra Deum non sunt; altera *necessitatis* quæ obtemperat solum iis quæ jubet Religio. Utraque hæc obedientia, sed præsertim prima, secunda est meritorum radix, si debitæ intersint conditiones: eæ vero quatuor recensentur.

1. Ut sit cæca, sibique satis habeat, licitum esse quod præcipitur. 2. Prompta. 3. Fortis. 4. Humilis.

(27) Si Religionis disciplina collapsa sit in substantialibus; nempe in paupertate, obedientia, &c. omnino parendum est Superiori: quia vota ex jure naturali & divino obligant. Idem dicendum de iis quæ immediate ad observantiam votorum conducunt. Si vero lapsus disciplinæ sit in iis quæ substantialia non sunt, tunc, si disciplinæ primitivæ rigor Pontificia auctoritate mitigatus sit, potest subditus obsistere mitigationi: quia regula a Pontifice mitigata est quasi nova lex, quam qui vovit non aliam multo rigidiorem vovere intendit. Si vero relaxatio oriatur a sola consuetudine, fa-

strictiorem possunt a Superioribus obligari professi. Nam hoc implicite, & virtualiter voverunt. Quod si Superior forma præcipiendi non utatur, non videtur obligare sub mortali, nisi aliunde constet. Videtur tamen obligare sub veniali, si aliquo modo mandet, inquit Lessius, quia intendit aliquo modo præcipere, & obligare, quantumvis non tantum, quantum posset. 4. Potest obligari a Superiore cum periculo, quando aliqua actio periculosa necessaria est ad bonum commune Religionis. Ita Suarez, & alii. Item tempore pestis Religiosi, quorum institutum est spirituali proximorum saluti incumbere, tenentur jussu Superioris sæcularibus peste infectis sacramenta ministrare, si Parochi ei muneri subeundo non sufficiant: & Superior tenetur id præcipere. Ita Sanchez & alii.

Præterea notanda sunt sequentia. 1. Peccatum contra obedientiam habet duplicem malitiam, unam sacrilegii ratione fracti voti, & alterum injustitiæ contra hominem, ratione traditionis, & promissionis factæ Religioni, & ejus Prælatis. Ita Suarez. 2. In dubio (28) de pote-

---

tentur communis Theologi eum qui regulam jam collapsam professus est, pristino illius rigori non teneri, postquam ei consuetudine præscripta derogatum fuit: quia non plus auctoritatis habent statuta monastica quam Ecclesiæ leges, quibus tamen in iis quæ ad disciplinam spectant non raro derogatur. Ast tutior, nec certe minus probabilis opinio affirmat, necessario parendum esse Superiori, reformationem de consensu capituli, aut majoris Professorum partis inducere volenti; quia, etsi prava consuetudo regulam infirmare possit, tamen non potest, vel Superioribus tollendæ hujus laxitatis facultatem, vel subditis obligationem restaurationi huic humiliter cedendi adimere. Immo etiam particulares Religionum Præfecti, etiam sine Capituli licentia, ferre possunt leges, quibus obligentur subditi ad ea quæ reformationem inducere valeant: quia ea fruuntur potestate ad ferendas leges pro vitæ suæ decursu, qua Capitulum ad sancienda decreta quæ perpetuo durent. Nihilominus Superiores efficere non possunt, ut statuta, quæ sub pœna solum obligant sub culpa totam communitatem, etsi rigidam hanc obligationem quibusdam privatis in delicti pœnam, aliorumque exemplum inducere valeant.

(28) In tali dubio & causa distinguendum est: nam vel dubitas an præceptum Superioris obliget in tali circumstantia, an non sit usu contrario abrogatum; vel an Superior sit rite electus; vel denique an id quod præcipitur licitum sit, aut conducens ad finem instituti, aut supra regulam? Si dubites, an qui præcipit sit legitimus Superior, videndum est, an ei faveat communis Regularium opinio, quamvis ab aliquibus paucis impugnata; an non? in primo casu obediendum est, quia error communis facit jus; secus in secundo. Si vero dubites de materia præcepti, semper parendum est, nisi multo graviora sint mo-

potestate Superioris, vel an res sit licita, tenetur subditus parere, ex cap. *Qui culpatur* 23. q. 1. 3. Superior Regularium habet etiam potestatem patris familias in ordine ad politicam domus gubernationem, etiam erga novitios. Habet quoque a Papa jurisdictionem ecclesiasticam, quasi Episcopalem in suos subditos, & novitios, vi cujus potest illos obligare independenter a voto, sicut Episcopus suos subditos. 4. Superiori aliquid ordinanti, quamvis non sub præcepto, nec in virtute obedientiæ, dicere, *Nolo parere*, vel *Nolo facere*, secundum communem doctorum sententiam est peccatum mortale. Idem docet Delugo, si hoc dicatur Vicario, vel Superiori, vel ministro: quia tunc vere contemnitur auctoritas Superioris, quod semper est mortale. 5. Superiores Regularium possunt præceptis, statutis, ac sententiis subditos suos ubicumque terrarum existentes obligare, excommunicare, fugitivos propria auctoritate capere. Quia potestas in suos iis competit ratione personalis obligationis ex voto obedientiæ. 6. Papa est (29) primus, ac supremus omnium Religiosorum Præpositus Generalis; unde Religiosi tenentur vi voti obedientiæ ei primario obedire in omnibus, in quibus tenentur suis Prælatis Regularibus. 7. Ab Innoc. XI. damnata est hæc Michaelis de Molinos propositio. „ Præpositis obediendum est in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religiosorum tantummodo exterius pertingit. In interiore vero aliter res se habet, quo solus Deus, & director intrant. "

Quæst. VIII. An peccat Religiosus violans Regulam per se non obligantem sub culpa, nisi ad subeundam pœnam, cum imponetur, si eam subire paratus est?

Resp.

---

momenta quæ libertati faveant. Fieri tamen potest, ut præcepti acerbitas conjuncta dubio, ei præcipue quo Superioritatis validitas impugnatur, differendæ ad tempus obedientiæ inservire possit.

(29) Religiosi tenentur parere, 1. Rom. Pontifici. 2. Generali, Provinciali, ac Prælato locali. 3. Tum Capitulo Generali, tum Provinciali: iis enim omnibus jure ordinario competit præcipiendi facultas. Hic porro quatuor notanda sunt; 1. Ipsos etiam hospites obedientiam debere iis in quorum domibus moram faciunt, si id usu, vel regula constitutum sit; 2. Suum esse Regulari obedientiæ gradum & ordinem, ita ut Generali contra Provincialem, Provinciali contra Præpositum localem obsequendum sit. 3. Prælati mandatum ligare inferiores ubicumque sint, quia jurisdictio Regularium, perinde ac Episcoporum, personas ratione sui, non ratione territorii afficit. 4. Abbatissas, cæterasque Monialium rectrices, juxta communem Doctorum sententiam, nihil sub mortali præcepto imperare posse; sed tantum leges domesticas condere; quæ juxta materiæ gravitatem conscientias onerent.

Resp. 1. In praxi raro, ac vix fieri potest, ut non peccet saltem venialiter ob inordinatum aliquem affectum, ut sensualitatis, curiositatis, vanitatis &c. vel ob negligentiam, otiositatem, acediam; vel ob defectum finis honesti, vel debitæ circumstantiæ in actu, quo violetur regula; vel ob aliquam aliam inordinationem. Ita Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 186. art. 9. ad 1. Idem dic de omissione, vel actione contra voluntatem Superioris nolentis per se obligare sub culpa. Ob eamdem rationem vix fieri potest, ut quis sine peccato rejiciat inspirationem divinam circa bonum meri consilii. Et merito viri timorati humiliter se accusant de inspirationum divinarum repulsa, quia in his casibus raro abest peccatum vel acediæ, vel sensualitatis, vel vanitatis, vel impatientiæ &c. Nam vel levissima inordinatio sufficit ad veniale.

Resp. 2. Mortaliter peccat Religiosus, qui regulas illas circa exercitia spiritualia, abnegationem sui, actus virtutum, religiosam disciplinam frequenter, & ex consuetudine violat, teneturque graviter hanc consuetudinem vitare, & emendare. Nam tunc intervenit contemptus saltem interpretativus vitæ regularis, ac perfectionis; & se conjicit in periculum violandi vota, ad quorum observationem illæ regulæ sunt media saltem moraliter necessaria. Adde scandalum aliis, & grave damnum spirituale Religioni ab eo illatum, gravemque regularis disciplinæ perturbationem. Idem constat ex Trident. sess. 25. cap. 1. Hinc propositum non servandi communiter has regulas est mortale, cum contineat virtualiter, & implicite votum inferendi grave damnum Religioni, & scandalum aliis. Ita multi.

Resp. 3. Semper peccat mortaliter, qui regulam violat ex contemptu; quia hoc est contra votum professionis, quod est aliquid grave, quod violat. Sanctus Thomas & quia hoc continet contemptum auctoritatis a Deo acceptæ unde manat regula. Sanctus Bernardus lib. *de præcept. & dispens.* cap. 14.

Quæst. IX. Quænam (30) sunt obligationes Superioris Religiosorum?

Resp.

(30) Duplex in Superiore est genus obligationum; aliæ ad ejus vitam spectant; aliæ ad regimen aliorum. Itaque.

Superior debet 1. Agere vitam puram, hoc est, immunem a rixis, contentionibus, gula, ebrietate, impudicitia, &c. quæ multos magis eos dedecent quam inferiores; vitam communem; quia

Resp. Ex cap. 6. *de statu Monach.* tenentur in primis subditos promovere ad perfectionem propriam sui instituti: quia est finis talis Religionis, & ad hoc constitutus est Superior. Unde tenetur diligenter curare, ut vota, & regulæ omnes, quæ sunt media ad talem perfectionem, accurate ab omnibus serventur: & impedire quantum potest, corrigere, & punire non solum peccata etiam venialia subditorum, sed etiam violationes regularum, licet per se non obligantium absolute sub culpa; alioquin potest graviter peccare, ut docent Delugo tom. 1. de Just. disp. 9. sess. 2. & La-Croix tom. 3. A fortiori peccat mortaliter Superior, si per ejus incuriam, & dissimulationem subditi somno, vel otio vacent, exercitia spiritualia omittant, seu negligant &c. 2. Tenentur Superiores avertere, & non permittere occasiones suis subditis peccatorum etiam venialium, & amittendi, vel minuendi fervorem spiritus, ac studium perfectionis, cum teneantur eorum perfectionem promovere, & avertere ejus impedimenta. Sanctus Antoninus 2. part. tit. 9. cap. 3. estque communis sententia. 3. Tenentur ex officio pervigilare, atque attendere ad actus omnes subditorum, quorum rigidissimam rationem Deo reddere debebunt; Roman. 12, Hebr. 13. Eccli. 2. & sess. 23. Concil. Tridentin. cap. 1. Denique ex eodem Concil. Superiores tenentur singulis subditis omnia, quæ iis necessaria sunt, suppeditare ex bonis communitatis: nam ex officio vices parentum erga illos gerunt, & bona ad hunc finem Religioni donata sunt. Item Superiores graviter tenentur apostatas, & fugitivos requirere, ex cap. 24. *de Regular.*

Quæst. X.

---

quia vita communis pro maxima haberi debet pœnitentia, ad quam multiplici titulo tenentur Superiores; denique vitam exemplarem; quia Superior debet esse forma gregis ex animo, ovesque sibi creditas parturire, educare, quod sane nec brevius nec efficacius obtineri potest quam factis & exemplo prælucendo.

2. Superiorum regimen omni informari debet virtutum apparatu, quia nulla est virtus ad quam non debeat Superior pro tempore & loco subditos informare; sed præcipue scientia, quia Superior debet digne de Deo loqui, inferioresque edocere quæ ad christianæ legis, votorum, ac præceptorum regulæ observantiam, & modum pertinent; prudentia, cum investigatis sedulo subditorum suorum qualitatibus, ingenio, dispositionibus debeat ea quæ recta sunt constituere, eisque firmiter adhærere; tandem charitate, pro suis orando, ad quod tenetur in conscientia, & tum spiritualia, tum etiam temporalia eis sedulo ministrando.

Quæst. X. An est obligatio sub mortali eligendi, vel proponendi digniorem in Superiorem Regularium, licet Prælatura sit temporalis?

Resp. Affirm. Est communis sententia teste Delugo: quia eadem est ratio ac de Episcopo, & Parocho, cum Superior Religiosorum sit animarum pastor, & habeat subditos, quos in viam salutis dirigere, immo & ad perfectionem promovere tenetur ex suo munere, alioquin grave damnum spirituale inferretur Religioni; nec efficaciter subditi ad perfectionem adducerentur, ut experientia constat.

Quæst. XI. An licet feminis ingredi domos Religiosorum?

Resp. Neg. Nec etiam licet Superiori eas admittere: Nam id semper generatim prohibitum fuit, saltem ex consuetudine vim legis habente, ad amovendum scandalum, occasionem peccandi, perturbationem, & alia mala; ut constat ex S. Greg. Mag. l. 5. epist. 40. ad Valentin. Ab. & refertur can. 20. causs. 18. q. 2. ibi enim S. Pontifex conqueritur de ingressu mulierum in monasterium Religiosorum: huncque ipse graviter prohibet, gravissimamque pœnam minatur, & quidem quoad omnes Religiosorum domos, ac Superiores: Hanc antiquam prohibitionem aperte supponunt Pius V. Const. *Regularium*, & Greg. XIII. Const. 28. revocantes quamlibet licentiam ingrediendi Religiosorum domos mulieribus prænobilibus, & Ducissis concessam. Idem vetant multa Concilia particularia, & Cler. Gall. ann. 1645. Immo ex Constit. Pii V. *Decet Rom. Pontificem*, edita ann. 1570. omnes Mulieres Religiosorum domos ingredientes, ipso facto incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, nisi excusentur ob ignorantiam invincibilem: Religiosi vero, qui mulieres quascumque introducere, admittereve præsumunt, contrahunt ipso facto pœnam privationis officiorum, inhabilitatis in posterum ad illa, & alia omnia; item (31) suspensionis a divinis latam Const. *Regularium*, quam

(31) Petrus Collet in Tract. *De Præcip. Obligat.* part. 2. *de Statu & Oblig. Relig.* artic. 3. conc. IV. tria facit: 1. distinguit inter Religiosos qui „ faciunt aut permittunt easdem „ feminas ingredi sua monasteria, prætextu facultatum a „ Summis Pontificibus, vel ab „ aliis concessarum “, & Religiosos qui sine prætextu mox exposito feminas in monasteria intromittere, vel admittere præsumunt. Illos obnoxios esse declarat excommunicationis censuræ, & incurrere insuper privationem dignitatum & beneficiorum, & ad illa etiam inhabiles fieri; istos

quam idem Pius V. ad casum, quo introducantur mulieres, extendit Decr. cit. *Decet Rom. Pont.* Ex dictis intelliges, vulgus graviter errare existimans ingressum in Religiosorum, & Monialium domos licitum esse, cum murus dirutus est, & aditus patet. Nam hic casus nullibi excipitur in jure, nec a doctoribus: *Ubi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*. Ingressus tamen in Religiosorum domos licitus est 1. Omnibus mulieribus causa processionis, & sepulturæ, ut declaravit idem Pius V. ead. Const. Non tamen eis tunc licet alia loca, ne hortum quidem, ingredi. 2. Imperatricibus, & Reginis, earumque filiabus cum suo comitatu: nam in prohibitione generali non fit earum expressa mentio, ac specifica. Idem ob eamdem rationem est de Ducissis. 3. Fundatricibus, ex Declarat. a Sac. Cardinal. Congreg. facta pro Minimorum Ordine: quæ & etiam valet pro aliis Religiosis, saltem quorum regula eas excipit, vel qui aliorum Ordinum privilegia participant.

(*) Nota. Auctoris sententia communis erat, dum ipse scripsit; sed Bened. XIV. die 3. Jan. 1743. Constit. quæ incipit, *Regularis Disciplinæ*, inter abusus recenset, & improbat mulierum ingressum in monasteria virorum, etiam in publicis Supplicationibus, aliisque ab Auctore relatis casibus. Itaque primo hæc omnia abolere, ac improbare constituit. 2. Abolet, & revocat quascumque facultates, & licentias, & quocumque alio pacto nuncupatas concessiones, factas sive per S. R. Ecclesiæ Cardinales, sive per Cardinalium Congregationes, sive per Legatos a Lat. vel Apostolicos Nuncios, *quocumque modo, de tenore, & sub quibuscumque verborum formis expressas*. 3. Censuris subjectos esse declarat, qui iis facultatibus uti velint: 4. Denique præservat privilegia a S. Sede legitime concessa Patronis, Fundatoribus, insignibusque Monasteriorum Benefactoribus, cum hac tamen restrictione, ut concessiones *in forma brevis, vel sub Plumbo desuper dumtaxat, & non aliter omnino factas, & impertitas fuisse prius Ordinariis locorum, Antistitibus, vel Præsulibus per legitima, & authentica documenta constare fecerint*; & ut animo accedant sola erga Deum pietatis officia, & opera exer-

istos vero suspensionis vinculo irretiri, iisdemque quibus alii mox recensiti privationibus & inhabilitatibus subjacere. 2. Has pœnas infligi dicit per Bullas, *Ubi Gratia* Gregorii XIII. & *Regularium Personarum*, Pii V. 3. Prædictas inhabilitates ac privationes non ante incurri asserit, quam judex sententiam tulerit criminis declaratoriam.

exercendi, ac de eorum diurno adventu facta prius Superiori notitia.

Quæst. XII. An licitus est ingressus in Monasteria Monialium?

Resp. Omnibus (32) tum viris, tum feminis sub excommunicatione ipso facto contracta prohibitus est sine licentia Episcopi, vel Superioris, ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 7. Gregorius autem XIII. Const. ann. 1575. edita quæ incipit: *Ubi gratiæ*, postquam revocavit licentias omnes ingrediendi monasteria, & domos Religiosorum, & Sanctimonialium quibusvis etiam Ducissis concessas prohibet, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda omnibus, & quibuscumque personis ecclesiasticis, & sæcularibus, & regularibus, ne nisi in casibus necessariis, & cum licentia Episcopi, vel Superioris, Monasteria Monialium ingrediantur, & simul ipsis monialibus sub eadem pœna vetat, ne ullam personam aliter admit-

---

a.° frangitur. L.

(32) Circa clausuram Monialium sequentia notanda sunt; 1. Posse Episcopos, saltem ut Delegatos a Sede Apostolica, Moniales, etiam exemptas, adigere ad clausuram; cum clausura in regula implicite contineatur: eadem de causa injungere possunt Episcopi, ut moniales a sæcularibus quibus invisuntur ferrei aut lignei chaltri adminiculo separentur. 2. Non posse Monialem, etiam exemptam, absque Episcopi licentia in scriptis concessa egredi e monasterio: quod sane intelligi debet sine exclusione Superiorum suorum, a quibus ita dependent moniales in exitu e monasterio, ut hinc nequidem ad strictiora egredi possint absque eorum consensione Pontificio Brevi confirmata. Porro in Bulla, *Decori*, Pius V. sanxit, monialem e conventu suo egredi non posse, „ nisi ex causa magni incendii, „ vel infirmitatis lepræ aut epidemiæ ". 3. Peccare lethaliter Superiores, qui monialibus e claustro exeundi licentiam faciunt leviori de causa, idemque de Monialibus, nisi eas excuset bona fides, videtur esse statuendum.

Porro Monialium clausura + 1. Cum extraneis in monasterium permittitur ingressus quod murorum pars corruerit, ut etiam Auctor asserit. 2. Cum in monasterium intromittuntur, seu infantes utriusque sexus, etiam septennio minores; seu pauperes, vel novis vestibus induendi, vel medica manu tractandi; seu monialium etiam ægrotantium consanguinei, aut affines. 3. Cum ii qui legitima de causa intra septa domus admittuntur, ut Confessarii, medici, chirurgi, &c. alio ducuntur quam quo duci indigent. Quamvis autem non pauci Auctores, tum in piorum usu, tum in materiæ levitate fundati, eos a veniali peccato excusent qui curiositatis causa aliquantisper in invisendis Monasterii officinis immorantur, multo tamen satius est curiositatem hanc compescere, præsertim cum alii haud rigidiores moram longiorem eam vocent quæ excedit tempus quadrantis.

mittere præsumant, non obstantibus quibuscumque constitutionibus, statutis, consuetudinibus, & privilegiis &c.

Quæst. XIII. Ad quid tenetur, qui vovit Religionem?

Resp. 1. Qui vovit religionem in genere, seu indeterminate, tenetur ingredi aliquam, in qua viget disciplina religiosa. Si non admittatur in uno Ordine, vel in probatione deprehendat tunc sibi non expedire, ex communi sententia tenetur probare plures alias Religiones suæ linguæ; quia votum est de assumenda aliqua ex omnibus Religionibus, ideoque de omnibus sub disjunctione. Sed quia tentatis pluribus diversorum Ordinum, & ab ipsis repulsus, inde judicare potes ab omnibus te esse repellendum, vel nullam tibi convenire; ideo voto satisfacis, si tot Religiones petas, & experiaris, ut prudenter judicare possis ex earum repulsa, vel experientia, ab aliis omnibus repellendum, vel eas tibi non expedire: quod colligitur ex causa repulsæ & disconvenientiæ, quæ sit generalis, & communis omnibus aliis Ordinibus.

Qui autem vovit determinate unum Ordinem; si in una domo illius Ordinis receptus non fuerit tenetur tentare plures alias domos ejusdem Ordinis, quamdiu est spes probabilis admissionis. Si vero domum particularem ita determinavit, ut aliam ingredi non intenderit, nequidem implicite, si ibi non recipiatur, non tenetur alias tentare, sed absolute cessat votum. Si tamen ob aliquod impedimentum temporale non fuit receptus, tenetur eo cessante se iterum offerre: secus si absolute repulsus est. Porro qui vovit aliquam determinatam Religionem, potest perfectiorem ingredi, quia hoc est melius. Sed qui ita vovit aliquam Religionem determinate, ut simul ingressum Religionis in genere intenderit, tenetur prius conari, ut admittatur in illam determinatam; & non admissus tenetur aliam ingredi. Quia hoc votum est virtualiter duplex, nempe Religionis in genere, & hujus Religionis.

Resp. 2. Qui vovit Religionem, tenetur diligenter, ac serio curare, ut recipiatur, eam ingredi tempore statuto, & sincere experiri tyrocinium, & postea profiteri, si judicet Religionem illam sibi convenire, atque ad hunc finem adhibere media idonea, & impedimenta, quantum in se est, amovere. Quare voto non satisfacit, si ex sola animi levitate egrediatur. Tenetur autem in his adhibere diligentiam moraliter possibilem; nam obligatio Religionis est gravissima. Quod si culpa sua effecit, ut rejiceretur, vel non reciperetur, tenetur postea serio cura-

re, ut

re, ut iterum admittatur. Si vero intra probationis annum bona fide factæ judicet ex causa sufficienti sibi non expedire statum illum, potest relinquere. Quia jure communi concessus est annus probationis in favorem tum Religionis, tum etiam ingredientis, cui vovens non renuntiat. Qui vero vovit eam profiteri, tenetur profiteri, & perseverare, etiamsi ea vitæ norma incommoda, & difficilis appareat. Ita Azor, Lessius, & multi alii. Nam is se obligavit ad professionem, si judicaretur idoneus, ut constat ex S. Thom. 2. 2. q. ult. art. 4. & ex communi sensu, ac usu: Unde non licet ei egredi, nisi ineptus sit, vel difficultas tanta sit, ut periculum peccandi, vel impediendi majus bonum inducat.

Resp. 3. Qui vovit Religionem non præfinito tempore, tenetur statim eam ingredi, & supradicta præstare: quia dilatio minuit rem promissam, nempe obsequium Dei.

CAPUT TERTIUM.

De Obligationibus Conjugum.

Quæst. I. QUænam sunt obligationes conjugum inter se?

Resp. Ex communi omnium sententia tenentur 1. Simul cohabitare, & convivere Gen. 2. Matth. 19. & 1. Cor. 7. Nam hanc cohabitationem non solum quoad tectum, sed etiam in convictu, & cæteris exigunt natura contractus matrimonii, vinculum, ac debitum conjugale, prolis susceptio, ac conveniens educatio, & mutua obsequia præstanda. Licet tamen viro ob justam causam sine facultate uxoris ad breve tempus discedere, non vice versa; immo diu abesse licet viro, si res familiaris, aut obsequium principis id exigat. Alias non liceat, ex c. 1. *de conjug. lepros.* Habitationis autem electio ad virum pertinet, cum sit mulieris caput, ex 1. Cor. 11. unde uxor tenetur eum sequi, cap. *Unaquæque* 13. q. 2. nisi obstet grave periculum corporis, vel animæ, vel speciale pactum (33) antecedens, ut patet. 2. Debent sibi mutuum

(33) Item non tenetur uxor sequi maritum, si iste post matrimonium vagari velit quo sibi videbitur. 2. Si maritus pro nutu & absque necessitate vera in regionem admodum remotam,

tuum amorem charitatis specialem. Uxor autem debet insuper marito honorem, obsequium, & in iis, quæ ad gubernationem domus, filiorum educationem, & bonos mores spectant, obedientiam. Item tenetur domus curam habere, ad Tit. 2. & viro opportune, & sufficienter necessaria ministrare. Viri vero uxori debent regimen, curam, tutelam, sustentationem, & correctionem rationabilem; nam vir est caput, & superior uxoris. Nonnisi ob gravem culpam, maritus potest uxorem aliquando verberare, si ejus emendatio id exigat: quia in praxi uxoris verberatio raro moderate, & utiliter fit: siquidem ipsi debetur amor, & honor, cum sit commembrum viri, comprincipium familiæ licet subordinatum, & socia, atque adjutrix domesticæ administrationis. Hæc officia mutua tradit Apostolus Ephes. 5. & ad Tit. 2. Tenetur etiam (34) vir uxorem alere, ac sustentare convenienter suo statui pro suis facultatibus; tum ex conjugalis vinculi, & amoris debito, tum ex officio capitis familiæ, tum ex justitia, cum ideo ab ea acceperit dotem lib. 20. cap. *de jur. Dot.* Quod si dotem non exegit, tenetur adhuc uxorem alere, quia juri suo cessit, & est semper ejus caput, habetque operas sibi obligatas. Si vir inops factus sit, & uxor sit dives, tenetur virum inopem sustentare, & casus ejus fortuitos ferre debet, ex lib. 24. ff. *Soluto matrim.* hoc enim exigit specialis amor conjugalis, quem ei debet. Peccat autem uxor si quid notabile ex bonis communibus impendat, vel alienet contra voluntatem rationabilem mariti, & consuetudinem legitimam feminarum sui status. 3. Conjuges debent sibi mutuo

tam, ut Indias, migrare velit; est enim transmigratio hæc onus tam grave, ut nemo eam sibi absque præcedenti pacto censeatur imposuisse.

(34) Sunt casus, in quibus vir non tenetur alere uxorem. 1. Si mulier sit dives, & nulla dotis mentio facta sit: quia tunc tacite conventum esset de futura constitutione dotis. 2. Cum uxoris pater non vult promissam dotem solvere ut potest: secus esset, si evasisset impar solvendo. Immo si pater ex nimia duritie nec filiam recipere vellet, nec dotem pendere, teneretur maritus rem propriam cum ea partiri. 3. Cum uxor pro libitu discedit a viro: secus, si discedat propter correctionis acerbitatem, aut periculum luis venereæ, alteriusve morbi perinde exitialis. 4. Si vel dotem consumpserit, vel ea ob perpetratum scelus meruerit a judice privari. Quamquam etsi in his casibus durius cum ea agendum sit; tamen non videtur a marito totaliter deseri posse: quemadmodum mulier ex bonis suis debet alimenta præbere viro, ob sua delicta etiam ad carcerem, aut triremes detruso.

(35) Item

mutuo fidem conjugalem in ordine ad copulam conjugalem, & omnem actum venereum, quia ex se ad illam refertur, & tendit, ita ut in illis quivis actus venereus cum aliena persona, vel circa alienam contineat injustitiam moralem ratione conjugii, 1. Cor. 7. 4. Tenetur uterque reddere debitum conjugalem, hoc est corpus suum ad copulam conjugalem dare alteri rationabiliter petenti ex 1. Corinth. 7. Eo quód ad hoc uterque habet æquale jus. Nam ex vi matrimonii vir, & femina transferunt in se mutuo potestatem corporum in ordine ad copulam. Hæc obligatio est sub mortali, cum sit justitiæ, & in re gravi. Præterea ex debiti denegatione alter conjux conjicitur in periculum pollutionis, & incontinentiæ. Unde (35) est mortale vel semel sine justa causa debitum negare, illud serio, instanter, & rationabiliter petenti, vel si sit periculum incontinentiæ. Non est tamen mortale denegare, si compars remisse petat, & dilationem facile concedat citra periculum incontinentiæ, cum tunc graviter non exigatur; immo nec veniale, si petens non sit sui compos, ut in ebrietate, vel amentia; quia illa petitio non est actus humanus; item quoties petens non est rationabiliter invitus, quod patet in aliis debitis, ut si reddi nequeat debitum sine notabili detrimento sanitatis, aut periculo morbi; si nimis sæpe petatur, aut tempore fluxus menstrui, graviditatis, puerperii, citra periculum incontinentiæ. Item conjux non tenetur reddere debitum, si compars adulterium commiserit; quia ob fidem violatam amisit jus exigendi. Hæc tamen potest petere debitum tamquam licitum, & benevole concedendum, non exigendo tamquam debitum, quamdiu compars ignorat, vel dissimulat; quia non tenetur crimen suum prodere. Quod si uterque conjux adulterium admiserit, utrique licet debitum petere, & reddere, eo quod *comparia crimina compensatione mutua deleantur* cap. ult. *de adult.* Porro non licet debitum denegare ob devotionem, vel communionem intentam, si absolute petatur, vel periculum sit incontinentiæ, dissensionum &c. neque ob metum impotentiæ sustentandi prolem numerosam: quamvis (36) ex San-

(35) Item novi peccati ille reus est qui mediis illicitis, v. g. voluntaria pollutione, commercio fornicario, reddit se impotentem ad satisfaciendum uxori debitum juxta prudentiæ leges petenti.

(36) Hæc opinio raro saltem redigenda est ad praxim; immo numquam a pauperibus communibus, cum possint omnibus suis filiis mendicando providere. Non desunt tamen occasiones, in quibus hæc opinio inservire possit,

ex Sancto Antonino liceat conjugibus mutuo consensu abstinere ob id a copula, modo absit incontinentiæ periculum: neque ob incommoda, & molestias, quas mulieres gravidæ experiuntur, vel ob difficultatem ordinariam partus; nam nubendo talibus pœnis a Deo Ævæ, & aliis mulieribus impositis sponte se subjecit. Sanctus Carolus monet conjuges, ut in magnis anni solemnitatibus, diebus Dominicis, & jejuniorum, & quibus Eucharistiam percepturi sunt, sumpserintve ab usu matrimonii, quantum possunt, communi consensu abstineant, idque conformiter multis canonibus antiquis.

Quæst. II. Quibus casibus non licet debitum petere?

Resp. 1. Ex communi sententia non licet conjugi, 1. qui vovit castitatem sive ante, sive post matrimonium, cap. 3. *de conv. conjug.* Nam tenetur servare votum, quantum potest, abstinendo ab omni actu venereo non debito ex justitia. Tenetur tamen reddere petenti, utpote habenti jus exigendi. Qui vero post matrimonium consummatum vovit Religionem, aut Ordines Sacros, potest petere, & reddere. Quia contraxit solum obligationem suscipiendi illa, si supervixerit; quam statim post mortem conjugis tenetur implere. 2. Qui (37) tempore matri-

possit, citra semper incontinentiæ periculum, ut si honesta mulier in extremam conjicienda sit necessitatem, seu respectu sui, suæque prolis, seu respectu patris quem jam alere non possit, &c. Item non licet mulieri negare debitum marito, etiam publice excommunicato, ut definivit Gregorius VII. in Synodo Romæ habita anno 1078. nec marito leproso, vel epileptico, præcise ne proles nascitura iisdem morbis inficiatur; nec denique quia uxor pactam dotem non solvit: quia debiti obligatio non e dotali contractu, sed ex matrimoniali proficiscitur.

(37) Hinc 1. Mulier per virum a mariti sui consanguineo cognita non excidit a jure suo, quia nullam commisit culpam. 2. Non excidit a jure maritus qui cognoscit feminam quam uxoris suæ consanguineam esse ignorat; licet affinitatem contrahat cum aliis cognitæ consanguineis; quas idcirco post uxoris suæ mortem ducere non potest. Ita sentiunt pene omnes; teste Sanchezio lib. 9. disput. 32. num. 43. ex cap. 1. *De eo qui cognovit*:

Sed quia ignorantia alia est facti; alia juris: ideo omnes fatentur, non excusare ignorantiam affectatam facti, quia ignorantia hæc dolo, ac proinde scientiæ æquiparatur: quamvis plures contendant, ignorantiam etiam crassam excusare; quia cum ex una parte lex scientiam requirat; ex alia sufficiat ignorantia quævis, modo non affectata, jam deest ille modus quem lex requirit ad inflictionem pœnæ. Atque hinc colligit Sanchez, num. 40. eum qui abusus est uxoris suæ consanguinea in secundo gradu, quam falso putabat in tertio gradu, non incurrere hanc pœnam.

matrimonii culpabiliter cognovit personam consanguineam compartis in secundo, vel primo gradu. Nam Ecclesia id graviter prohibet ob affinitatem contractam cum conjuge per incestum, cap. 1. & 10. *de eo, qui cognovit*, & donec acceperit dispensationem, quam dare potest Episcopus, & Regulares habentes privilegium. Comparti tamen innocenti reddere tenetur, *cum suo jure non debeat sine sua culpa privari*; cap. 6. eod. tit. Secus, (38) si com-

---

Quod spectat ad ignorantiam juris, vel cognoscitur lex, sed ignoratur, talem pœnam eadem lege impositam esse; & tunc Petrus Collet cum Sanchez n. 21. censet pœnam incurri; quia regulariter loquendo ad incurrendam pœnam non prærequiritur ejusdem pœnæ cognitio: vel ignoratur commercium cum consanguinea uxoris ecclesiastica lege prohiberi; & tunc, tum ob disparitatem opinionum hac in re, tum quia cap. 1. *De eo qui cognovit* &c. aperte satis de facti scientia loquitur, ut ad eam solam possit restringi, satius est, ut quisquis in casu versatur, ab Episcopo dispensari curet.

Quod si uterque conjux incestum commiserit, videndum an id ideo factum sit ut alter alterum fraudaret, an solo voluptatis intuitu? In secundo casu extra dubium est, utrumque excidisse jure suo; unde neuter, aut petere potest, aut petenti reddere. An vero idem dicendum sit in priori casu, colligitur ex iis quæ a pari dicentur in casu, quo ambo conjuges suam prolem baptizaverint.

Si autem, parte altera affinitatem contrahente, altera in adulterium lapsa sit, tunc crimen crimine non compensatur. Nam compensatio in criminibus disparis naturæ locum non habet; nec penes conjugem alium est pœnas legibus sancitas moderari. Qua etiam de causa conjux incestuosus, etsi debitum reddere debeat, & de facto innocenti petenti reddat; nusquam tamen potest exigere, donec obtinuerit dispensationem. Et licet eam, invito innocente obtinere possit; potest tamen pars minime rea eidem debitum denegare, non ratione affinitatis cujus vinculum dispensatione sublatum est, sed ratione adulterii, donec ab innocente condonetur. Tamen dispensatio Episcopalis sufficit, ut, si occultum sit crimen, debitum peti possit ut benevole reddendum. Quin & ante obtentam dispensationem debitum peti posse videtur, cum alioqui injicietur suspicio criminis admissi, aut alter conjux adducetur in periculum incontinentiæ. Interim urgenda est quamprimum dispensationis impetratio. Denique conjux qui alterius incestui consensit a suo jure excidit perinde ac si ipse adulterium perpetrasset.

(38) Vel in casu ignorantiæ facti, puta quia nescit, eum quem baptizat suum esse, aut conjugis filium: qua etiam de causa vir propriam uxorem ad fidem conversam urgente necessitate baptizat, nullam cum ea cognationem conjugalis officii impeditivam contraheret. An autem excuset ignorantia vincibilis facti vel juris colligendum est ex his quæ dicta sunt nota præced. Immo caput, *Si vir*. 2. *De cognat. spiritu*. Scientiam juris requirere videtur, ut incurratur hæc pœna.

Quamquam vero conjux ex baptismo, vel susceptione prolis amit-

compars cum consanguinea hanc affinitatem etiam contraxerit. 3. Qui extra casum necessitatis prolem suam legitimam baptizat, aut in baptismo, vel confirmatione tenet. Quia contraxit spiritualem cognationem, quæ impedit petitionem debiti, ex Rituali Romano. Secus, si in casu necessitatis baptizavit, ex cap. *Ad limina* q. 1. Nam quod quis obligationi suæ satisfecerit, non debet privari jure suo. 4. Qui contraxit cum dubio de valore matrimonii, donec dubium prudenter deposuerit. Tenetur tamen reddere comparti, quæ bona fide contraxit; cap. 2. *de secund. nupt.* Secus, si uterque cum tali dubio contraxit. Item qui (39) post matrimonium bona fide contractum, incipit dubitare de ejus valore, tenetur de veritate diligenter exquirere, & durante dubio non potest debitum petere ob periculum fornicationis: tenetur tamen reddere cap. 44. *de sent. excomm.* Nam debet vitare pe-

---

amittat jus petendi debitum, donec secum dispensetur, tamen debet reddere petenti alteri, quia „ex ejus culpa non debet „aliquod incommodum aliquis „reportare", ait S. Thom. in 4. distinct. 42. quæst. 1. artic. 1. quem omnes sequuntur. Adde, quod, etsi conjux debitum petere nequeat, non potest tamen excludi a domo & cura alterius conjugis.

Quod si alter conjugum prolem baptizaverit, altero connivente, vel si uterque idem fecerit; tunc si uterque conjux id fecit animo defraudandi alterum jure conjugali, quamvis uterque exciderit a jure suo, ac proinde petendo peccet, tenetur tamen alteri petenti reddere: quia jus contentum cap. *Si vir* 2. *De Cognat. Spirit.* sic prædictam pœnam restrinxit, ut conjugem alium alii petenti debitum reddere sanxerit, ne scilicet iis sua fraus patrocinetur. Si vero uterque culpa sua, sed non animo alterum defraudandi, contraxerit illud impedimentum, neuter tenetur, nec licite potest alteri reddere.

(39) In hoc casu hæc nobis videntur esse statuenda. 1. Si matrimonium nondum fuerit consummatum, non erit consummandum primo bimestri: 2. Si vero consummatum fuerit, & conjugum alter nihil habeat dubii, acquiescendum erit petitioni illius, nihil autem ab eo exigendum, donec res in utramque partem serio disputatæ fuerint. Si post serium examen perseveret dubium, opinio tutior &, ut multo probabilior; in praxi sequenda est; reddi quidem debere debitum conjugi qui non dubitat, ut supra dictum est, non tamen licitum esse illud ab eo exigere. Ita manifeste ex cap. 44. de sent. excomm. cujus verba ad minus generalia sunt, immo magis intelligenda de dubio examinato quam de dubio nascente. Hinc, si idem sit utriusque conjugis dubium, & utrique cognitum, tenentur ambo abstinere etiam a redditione debiti. An autem & quando alter alteri sua dubitandi motiva pandere possit, res est ex pii, prudentisque Confessarii judicio definienda qui eam ipse ex circumstantiis resolvet.

re periculum violandi jus alterius. Qui vero moraliter certus est de nullitate matrimonii, nec potest debitum petere, nec reddere, etiam ignoranti, ibid. nam scienter fornicaretur.

Resp. 2. Secundum multos saltem veniale est petere debitum, 1. tempore fluxus menstrui, ex Sancto Gregorio cap. *ad ejus* dist. 5. Sancto Hieronymo in cap. 18. Ezech. & Sancto Augustino quæst. 64. in Levit. & lib. 3. contr. Julian. cap. 21. Nam hic concubitus est indecens, & minus congruit generationi, ac bono prolis. Immo ex Sancto Thoma in 4. dist. 32. art. 2. proli sæpe noxius ob indispositionem mulieris ad concipiendam prolem. Hinc aliqui putant esse mortale, quia putant talem copulam solere multum nocere proli. Sed Sanctus Antoninus negat. Et Sanctus Thomas art. cit. dicit tunc debere reddi petenti, si monitioni non acquiescat. Quod si fluxus esset quasi perpetuus, tunc licet debitum petere. 2. Tempore graviditatis citra etiam periculum abortus; ex Sancto Augustino lib. *de bono conjug.* cap. 9. 3. Tempore puerperii; ex cap. *Ad ejus* cit. 4. Diebus Dominicis, ac Festis, nisi rationabilis causa id exigat. Sanctus Thomas Supplement. quæst. 66. artic. 5. Sanctus Bonaventura. Porro fatentur licite debitum reddi posse in his casibus, si petens monitioni non acquiescat. Immo petitio videtur posse excusari a culpa per grave periculum incontinentiæ, quod vix aliter amoveri posset.

Quæst. III. Quibus casibus non licet debitum reddere petenti?

Resp. 1. Est mortale reddere debitum, quoties est mortale petere, ob circumstantiam se tenentem ex parte copulæ, quæ ob eam fiat illicita, ut si petatur in loco sacro, vel publico, vel cum periculo abortus, aut effusionis extra vas naturale aut &c. 2. Quando petere (40) est mortale ob circumstantiam personalem petentis, ut si habeat votum castitatis, juxta Sanctum Antoninum & multos

(40) Ob hanc rationem non licet reddere, 1. Cum vir præ senio copulam perficere non valet: at si semel in uno aut altero mense perficere possit, certum videtur, ait Pontas hic cas. 40. illius uxorem ad debitum ei persolvendum teneri. 2. Cum vir, ne uxor concipiat, aut alia de causa, semen fundit extra vas; idque mulier ex continua experientia compertum habet. Secus dicendum, si vir identidem copulam perficiat; quia non licet ob incertum crimen jure suo radicali quempiam spoliare. Interim uxor virum serio monere debet, ut a tanto crimine abstineat.

tos alios, si petens averti nequeat, compars tenetur reddere. Patet ex præced. quæst. Resp. 1. & sequentibus. Alii (41) vero docent tunc non licere reddere: quia non licet cooperari petenti, qui hic & nunc non potest talem actum licite facere, & per votum amisit usum sui juris. Suadent autem, ut compars, quæ non vovit, petat, dum prævidet a vovente petendum, & tunc utrique copula est licita. Quod si petens contraxit affinitatem cum conjuge per incestum ipsi notum, non licet debitum reddere; quia potest ei juste negari, cum jus petendi amiserit: unde reddere esset moraliter cooperari peccato. Si vero usus conjugii sit solum venialis ex parte petentis, ut si petat ob solam voluptatem, reddi debet graviter exigenti, ne petens exponatur periculo gravius peccandi, & detur occasio odii, rixarum &c. Si autem peteret situ, vel modo non consueto, & venialiter malo, juxta multos potest, & debet reddi, si non possit petens adduci ad aliter coeundum, & si denegando sit periculum: juxta multos non tenetur reddere, quia non petit modo debito, & naturali.

Quæst. IV. An aliquando conjuges tenentur petere debitum?

Resp. Non tenentur per se loquendo: quia nemo per se loquendo tenetur uti jure suo, cap. *6. de priv.* At tenentur per accidens 1. Si alter, præsertim uxor, ex signis, vel ex dispositione videtur cupere hoc remedium, licet ex verecundia taceat. Sanctus Thomas in 4. dist. 32. art. 2. 2. Si alioquin sit periculum incontinentiæ in comparte. 3. Si id necessarium sit ad fovendum amorem mutuum. 4. Si prolis procreatio necessaria sit ad avertendum grave damnum, præsertim Religionis, vel Reipublicæ.

Quæst. V. An liceat exigere usum conjugii præcise ad vitan-

Si vero mulier, post adhibita remedia Orationis, eleemosynæ, &c. in gravi incontinentiæ versaretur periculo; tunc posset debitum reddere, aut petere: sicut enim e. g. ob gravem causam licet mutuum exigere ab eo qui sub usuris daturus est, quia potest id quod petitur dare sine ipsis; sic & videtur uxor uti posse jure quod habet ad copulam, quia penes maritum est legitime copulari.

(41) Posterior hæc opinio probabilior videtur. Sed quoniam ex communi Theologorum sensu permitti potest aliquando minus malum cum alioqui gravius malum imminet; addendum proinde est, uxorem marito habenti votum castitatis obsequi posse, cum, nisi obediat, gravius impendet malum quam quod avertere conatur, puta uxoricidium.

vitandam in se incontinentiam, ut pollutionem, adulterium, quamvis nulla sit spes prolis generandæ?

Resp. Juxta multos licet, quia matrimonium secundario institutum est in remedium concupiscentiæ, 1. Cor. 7. & approbante Ecclesia licite contrahunt senes, quibus ob senium nulla est spes suscipiendæ prolis, idque vel a peccato veniali eximit Sanctus Antoninus 3. part. tit. 1. cap. 20. §. 5. Legatur Catechismus Romanus part. 2. de Matrim. num. 13. & Apostolus 1. Cor. 7. Secundum alios est culpa venialis; idque probant ex Sancto Augustino Enchir. cap. 78. & lib. de bono conjug. cap. 7. ex Sancto Gregorio lib. 32. Moral. cap. 17. & ex Sancto Thoma in 4. dist. 31. q. 31. q. 2. art. 2. Sed respondent prioris sententiæ patroni, Patres solum intendere, quod cum actus conjugalis non propter generationem prolis exercetur, plerumque sit veniale peccatum, quia plerumque, & ordinarie sub prætextu vitandæ incontinentiæ voluptas carnalis intenditur, tamquam finis actus, quod illicitum est. Sanchez cum aliis censet, tunc solum debiti petitionem, ad vitandam incontinentiam carere culpa, cum aliis adhibitis mediis, præsertim oratione, stimuli carnis sedari nequeunt; ita ut non voluptas, sed sola periculi peccandi vitatio intendatur, additque (42) semper esse veniale primario intendere vitationem incontinentiæ, non prolis generationem, ubi spes est prolis.

Quæst. VI. An conjuges tenentur sub mortali abstinere ab usu conjugii, dum mulier hactenus mortuos edidit filios?

Resp. Asserit Sylvius: sed Sanchez, aliique negant, quia potest contingere, & aliquando contingit, ut mulier post multos abortus feliciter tandem pariat.

Quæst. VII. Quandonam peccant conjuges usu conjugii?

Certum est hunc esse licitum, si fiat cum debitis circumstantiis ad procreandam prolem, per quam Deus glorificetur: nam ob hunc finem Deus matrimonium instituit: vel etiam ad reddendum debitum, cum hæc redditio sit actus justitiæ.

Quam-

(42) Hinc. 1. Ille peccat qui in usu conjugali solam sanitatem quærit. 2. Ille qui partim prolis, partim voluptatis amore coit: quia is ex parte obsequitur libidini. Equidem illicita non est delectatio quæ ex matrimonii usu percipitur, sicut nec ea illicita est quæ percipitur ex alimentorum usu; sed quemadmodum peccat qui voluptatis causa comedit, quia invertit finem a natura præscriptum; sic a pari in proposito.

Quamobrem Resp. 1. Secluso quovis periculo, & alia inordinatione est semper venialis culpa, si exerceatur ob solam voluptatem. Est communis sententia ex Sancto Augustino lib. de Nupt. cap. 15. Nam est debiti ordinis eversio quærere actum propter delectationem, cum delectatio sit propter ipsum actum; ideoque præsertim in actu conjugali, qui ex se ad prolis generationem ordinatur. Hinc Innoc. XI. oppositum damnavit.

Resp. 2. Peccant mortaliter 1. Si habeant copulam extra vas debitum, aut cum effusione seminis extra illud. Ita S. Aug. l. 2. de Nupt. & concup. c. 20. & l. 1. de bono conj. c. 7. Item si habeant copulam extra vas debitum, etiam sine animo ibi consumandi, sed se excitandi ad consummandum in vase debito; nam tunc est Sodomia inchoata. 2. Si servato vase debito non servetur naturalis situs cum periculo effusionis seminis extra vas. Quod si secluso periculo non servetur sine necessitate, ut dum vir ob majorem voluptatem accedit a tergo, vel succumbit, juxta multos est solum veniale, sed grave, & graviter increpandum. Sed (ut notat Sanctus Thomas) etsi hoc non sit mortale ex parte actus, est tamen signum concupiscentiæ mortalis, cum non sufficiant ei modi ordinarii. Ex eodem autem S. Doctore nulla erit culpa circa periculum effusionis, quando corporis dispositio alium situm non patitur. 3. Si actus valde turpes, & graviter repugnantes honestati exerceant, eos præsertim, qui per se ordinantur ad copulam in vase indebito. 4. Si impediant generationem, vel conceptam prolem extinguant. 5. Qui de industria actum conjugalem interrumpunt absque seminatione integra ob periculum pollutionis, quod tunc nunquam abest saltem ab alterutro. Item si in coitu vir de industria non seminet, etiam consentiente uxore: quia tunc est periculum pollutionis saltem in viro. 6. Si actum illum exerceant cum periculo abortus. 7. Si cum affectu adulterino ad aliam personam, quæ in ipso actu præsens repræsentetur, vel optetur; vel cum affectu fornicario, seu affectu accedendi ad suam, etiamsi non esset sua: vel cum tanto ad voluptatem affectu, ut in ea finis ultimus ponatur. 8. Si exerceant coram aliis ob grave scandalum; vel in Ecclesia ob sacrilegium. 9. Mulieres, quæ susceptum semen de industria ejiciunt, aut ejicere conantur, vel quæ proprium privatim fundunt.

Quæst. VIII. An, & qualia sunt peccata tactus, & aspectus obsceni inter conjuges?

Resp. 1. Tactus ex se ordinati ad copulam sunt illiciti, si sine periculo pollutionis immediate referantur ad copulam conjugalem, nec fiant propter voluptatem majorem

jorem

jorem in copula, quia tunc sunt culpa venialis, cum numquam liceat agere propter voluptatem. Quod si exerceantur cum periculo proximo pollutionis, ex communi sententia sunt mortales. Item juxta Sanctum Antoninum, Sylvest. & alios sunt culpa mortalis, si exerceantur absque animo perveniendi ad copulam. At juxta alios sunt solum veniales: quia, inquiunt, tales actus natura sua ordinantur ad copulam ipsis licitam: solus autem defectus debiti finis est per se loquendo solum venialis. Certe in praxi hi actus censendi sunt mortales, saltem ob periculum proximum pollutionis, quod raro abesse potest, cum ex se commotionem spirituum genitalium valde excitent.

Resp. 2. Graviter illiciti sunt etiam conjugibus tactus quidam valde infames, dum scilicet inter membrum tangens, & tactum fœda nimis est disproportio. Quia tales actus graviter dedecent naturam rationalem, nec conjugium potest illos excusare, cum ex se ad copulam conjugalem non ordinentur. 1. Thessal. 4.

Quæst. IX. An peccat mortaliter conjux, si in absentia compartis, secluso periculo pollutionis, captet delectationem veneream, vel se libidinose tangat?

Resp. Affirm. Quia tales actus ex natura sua tendunt, & ordinantur ad seminis effusionem, ideoque, absente comparte, ad pollutionem.

Quæst. X. Ad quid tenetur, qui post votum castitatis, vel religionis matrimonium contraxit?

Resp. 1. Qui post votum castitatis contrahit, peccat mortaliter, & semper tenetur abstinere a petitione debiti, & post mortem conjugis a secundis nuptiis ut diximus quæst. 2. resp. 1. At juxta multos non tenetur ante consummationem amplecti statum religiosum, quia Extravag. *Antiquæ* Joann. XXII. declarat conjugem, qui ante consummationem matrimonii sine consensu uxoris Sacros Ordines suscepit, compellendum esse ad illud consummandum petente uxore, si ipse noluerit religionem ingredi. Sed alii plures cum S. Antonino 3. part. tit. 1. cap. 16. docent talem teneri statum religionis amplecti, si aptus sit, nisi voti dispensationem, aut commutationem obtineat, vel aliter conjugi persuadeat continentiam vovere, vel cedere juri petendi debitum. Sylvius addit, quod si talis non sit idoneus ad religionem, & hæc alia media non prosint, non peccabit, nequidem prima vice, si rogatus consuminet: quia ad hoc tunc tenetur.

Resp. 2. Quod si post votum ingrediendi religionem contraxit, tenetur ante consummationem ingredi. Ita omnes. Quia id licite adhuc potest. Sed licet consummando pec-

do peccaverit graviter, postea tamen potest debitum non solum reddere, sed etiam petere: quia vovit tantum ingressum, aut professionem status, in quo vovenda est castitas. At ex communi sententia post mortem, vel adulterium conjugis tenetur religionem ingredi. Si tamen non fuerit aptus, petat commutationem voti.

CAPUT QUARTUM.

De Obligationibus parentum, & liberorum, & aliorum Superiorum, & inferiorum erga se invicem.

Quæst. I. Quænam sunt obligationes parentum erga liberos?

Resp. Secundum omnes tenentur 1. illos alere, & convenienter sustentare, tum ex Jur. Can. cap. *Si quis* dist. 30. tum ex Jur. Civ. Cod. *de alendis liberis*; & §. *de liber. agnosc.* tum etiam jure naturali, quamdiu liberi sibi ipsi res necessarias providere non possunt. Videatur Sanctus Basilius in Psalm. 7. Unde tenentur etiam curare, ut artes suos statui convenientes discant, eisque procurare statum suæ conditioni convenientem, & natis dotem constituere, cum parentes sint administri providentiæ divinæ erga suos liberos. Hinc (43) graviter peccant parentes, si liberos parvulos diligenter non custodiant; si rem familiarem non curent, bona dilapident, vel diligen-

(43) Idest si non caveant, ne lusci, claudi, vel aliter difformes fiant; ne noceant sibi nimio ploratu; ne cadant in ignem, vel aquam; ne vorentur a belluis quandoque etiam domesticis; ne in eodem lecto dormientes suffocentur; quod postremum multis in diœcesibus casum reservatum constituit. A fortiori peccant gravidæ matres quæ immania gerunt onera, immoderato labori vacant, currunt, saltant, bibunt, vel comedunt nociva, non sine gravi temporaneæ ac perpetuæ infantium salutis dispendio. Item patres qui cum periculo fœtus conjuges percutiunt, vexant, ærumna & dolore afficiunt. Item parentes non possunt prolem legitimam aut illegitimam absque gravissimo peccato; & absque onere restituendi, exponere citra extremam aut gravem necessitatem. Qui vero, seu criminis occultandi, seu inopiæ causa filios exponunt, observare debent locum, tempus, ac circumstantias, quin & signo aliquo efficere ut prolem deinceps agnoscant, quo institutioni ejus provideant, si pinguior sibi fortuna obtigerit. Certe qui plures diversi sexus exponunt, vereri debent ne frater sororem ducat.

gentiam saltem mediocrem non adhibeant ad acquirenda, & conservanda bona necessaria ad liberos honeste secundum suum statum collocandos, filias dotandas, & iis hæreditatem congruam relinquendam: nam debent etiam futuris eorum necessitatibus providere, 2. Cor. 12. Possunt tamen parentes exhæredare filios ex justa causa in testamento exprimenda, nempe ob gravem culpam, & ingratitudinem in se admissam, vel dilapidationem bonorum familiæ, vel vitam luxuriosam filiæ; nam tunc tali pœna digni sunt. Quare iisdem in casibus possunt iis denegare convenientia statui suo: nunquam tamen res necessarias ad vitam sustentandam, si aliunde non habeant.

Nota. (44) Mater debet primo triennio liberos alere, & postea pater, donec ex arte, vel officio possint vitam sustentare, ex lib. 9. Cod. *de patr. potest.* quod si pater ex inopia nequeat, tenebitur mater. In defectu (45) eorum tenentur avi, & alii ascendentes lib. 5. ff. *de lib. agnosc.* 2. Christianam (46) institutionem; Ephes. 6. Hæc in tri-

(44) Idque præstare tenetur, sive per bonam nec morbo infectam nutricem, sive per seipsam, nisi obstet infirmitas, aut gradus splendor. Cæterum quæ filios non lactat, cum potest, communiter judicatur peccati venialis rea, non obstante prava quæ surrexit in contrarium consuetudine.

(45) In defectu parentum, etiam hæredes vel donatarii ipsorum filios alere tenentur; quia æquum est, ut potissimum ac naturale patris onus ad eos devolvatur qui eidem successerunt in bonis. Item pater tenetur reddere alimenta filio qui aliunde vixit, si, ut viveret, debita contraxerit, cum contracta fuerint nomine patris quem supponimus filio alimenta præbere.

(46) Patres solliciti esse debent, 1. Ut pueri quamprimum salutaris baptismatis lavacro regenerentur; utque in forma certiori baptizentur quos, ob periculum, præproperam festinationem, aut inscitiam obstetricis, vel alterius, in forma dubia contigerit domi baptizari. 2. Curandum, ut pueruli, statim ac fieri potest, orationem Dominicam, Angelicam salutationem, & Symbolum Apostolorum addiscant. 3. In id potissimum incumbendum, ut, ubi prima affulserit rationis scintilla, ad Deum se per amorem convertant. 4. Satagendum, ut fidei rudimenta teneant, mature Ecclesiam frequententent, catechismis & concionibus intersint, frequentent sacramenta, &c. virtutem amplectantur. 5. Qui alienæ manui filios committunt in culpa sunt, si quem primum inveniunt, hac cura donent, nec expendunt, an Pædagogi suo, ut par est, officio fungantur. Generatim loquendo, satius est, ut puer in paterna domo, modo pia, enutriatur, quam alibi. 6. Curandum est, ne sexus sexum alterum frequentet. 7. Cavenda unius filii præ aliis dilectio, ipsis etiam Sanctis pertimescenda. 8. Plerumque non expedit, ut parentes in bonorum suo-

In tribus potissimum consistit. Ut eos per se, vel per alios doceant necessaria ad salutem, & vitam christianam agnoscendam, Eccl. 7. & ex S. August. in Psalm. 7. 2. Ut eos non solum verbis, sed etiam exemplo ad peccati fugam, cupiditatum cohibitionem, & virtutum exercitium adducant, & peccatorum occasiones avertant, Rom. 12. ex S. Gregor. p. 2. *Pastor admonit.* S. Hieronymo epist. 7. ad Lætam. 3. Ut delinquentes corrigant objurgando, & cum oportet, moderate puniendo, Proverb. 23. & 13. Eccl. 3. Alioquin parentes sunt participes peccatorum liberorum ex cap. 3. distinct. 86. & S. Greg. lib. 7. Epistol. 6. & 1. Reg. cap. 3. Patri autem, sicut nec Domino servos occidere, mutilare, aut vulnerare non licet: cum enim præsint tantum familiæ domesticæ, quæ est imperfecta communitas, habent solum potestatem imperfectam, coercendi scilicet pœnis levioribus, quæ damnum irreparabile non inferunt. Porro educationis cura ad patrem, tamquam ad familiæ caput, maxime spectat, quamvis etiam mater ad eam graviter obligetur, 1. Ad Timoth. 5. 3. Tenentur liberis suis electionem status liberam relinquere: peccantque graviter, si eos invitos ad matrimonium, vel religionem cogant, vel ab iis avertant. Nam liberi habent jus sibi statum vitæ libere eligendi. Quare Concil. Trident. sess. 25. excommunicat eos, qui feminam cogunt ad religionem, vel professionem, aut sine justa causa impediunt. Item etiamsi liberi velint matrimonium inire, non debent parentes eos cogere ad contrahendum cum tali, vel tali si repugnent, cap. *de nupt.* 31. q. 1. Alioquin datur occasio dissidiorum, rixarum, adulterii &c. quod sine gravi peccato esse non potest.

Nota. Ex communi sententia in defectum patris, & matris ad prædicta tenentur jure naturali ascendentes ex linea paterna, & materna. Item (47) parentes tenentur jure

---

suorum distributione sortem unius alterius sorte meliorem efficiant, tametsi secundum loci leges id facere permittantur; hoc tamen non impedit, quin plus quidpiam filio erogari possit qui id speciali in parentes affectu promeruerit, aut, aliis feriantibus, rem familiarem adauxerit improbo labore: quin & is par labori suo stipendium repetere potest.

(47) Idem est de filio quem Princeps proscripserit, aut excommunicaverit Ecclesia: neutra enim potestas juris naturalis obligationem perimit. Quin & filiorum nomine veniunt filiorum uxores: pater enim non solum filiis alimenta, sed etiam eos in sustinendis quæ sibi incumbunt oneribus adjuvare tenetur; porro filii onus est ut uxorem suam alat.

jure naturali etiam alere, & christiane educare liberos illegitimos, qui, & quamdiu sibi ipsis de rebus necessariis providere non possunt; cum vere sint eorum parentes, cap. 5. *De eo, qui duxit &c.* Non possunt tamen iis aliquid ultra necessariam sustentationem causa mortis donare, vel relinquere: nam hoc vetant leges justæ. Quod si fecerint, filii illegitimi excessum hæredibus legitimis, etiam ante sententiam restituere tenentur.

Quæst. II. Ad quid obligantur liberi erga parentes?

Resp. Secundum omnes debent parentibus I. amorem, & quidem magis quam cæteris, cum illis plus debeant; sintque conjunctiores, quam aliis: & hunc amorem significare. Quare tenentur bonum spirituale, & temporale iis velle, & suppeditare in eorum necessitatibus etiam communibus; etiam quamvis sua culpa in hanc necessitatem inciderint, & filii sua bona ab illis non acceperint, Matth. 15. & c. 1. distinct. 30. & lib. 1. & 2. Cod. *de alend. liber. ac parent.* Debent quoque subvenire parentibus in omnibus aliis necessariis quoad honorem, famam, libertatem &c. & eorum defectus tegere, ac patienter ferre Eccli. 3. & 7. Porro quæ essent mortalia contra charitatem, si fierent erga extraneos, sunt etiam contra pietatem, & longe graviora si erga parentes: quæ circumstantia semper exprimi debet in confessione; nam tunc peccatum habet duplicem malitiam specie diversam contra charitatem, & pietatem. Toletus, Delugo &c.

II. Debent reverentiam, quæ obligatio clare exprimitur verbo, *Honora* & Eccli. 3. Nam (ut ait S. Thom.) parentes participant rationem principii, cum propter generationem, tum etiam propter educationem, disciplinam, & omnia, quæ ad perfectionem vitæ pertinent. Præterea repræsentant dignitatem Dei, qui est omnium Pater. Quæ autem in inhonoratione, & irreverentia ob levitatem materiæ erga alios non essent, nisi venialia, erga parentes ob circumstantiam personæ ut plurimum sunt mortalia.

III. Debent obedire parentibus in iis, quæ spectant ad gubernationem domesticam, & ad bonos mores, in iis enim subditi sunt parentibus, quorum est regere familiam, & eam bonis moribus imbuere, Ephes. 6. Coloss. 3. & Rom. 1. Qui non obediunt parentibus, dicuntur digni morte. Videantur S. August. in tit. Psalm. 70. & D. Thom. quodlib. 2. art. 9. Hinc cæteris omissis, quæ facile cognosci possunt, peccant liberi, & quidem mortaliter si contra parentum mandatum nolint dare operam litteris, aut artibus suo statui congruentibus; si iis incon-

consultis nubant, vel si filius contra eorum voluntatem ducat uxorem se indignam, vel nolint sine causâ justa eam ducere, quam parentes volunt ob magnum familiæ bonum; si filia contra prohibitionem domo egrediatur, vel sola noctu viros alloquatur &c. Non debent autem filii parentibus obedire cum aliquid præcipiunt, aut vetant contra Dei, vel Ecclesiæ præcepta, aut consilia Evangelica. Nam *obedire oportet Deo magis quam hominibus* Act. 15. Neque quoad electionem status; nam hæc pendet a Divina vocatione. Debent tamen consensum, & consilium petere, non autem sequi, nisi sit consentaneum vocationi divinæ. Porro filiusfamilias, si parentes ejus opera non egeant, potest a paterna domo discedere ad discendam aliquam artem honestam statui suo convenientem, vel quærendum aliquod vitæ genus honestum petita facultate, quam pater ei denegare non potest ex l. ult. §. *de lib. exhib.* Eadem fere ratio est de avo, proavo, & quolibet ascendente respectu nepotis, pronepotis, & cujuslibet descendentis, & vicissim.

Sed (48) an filius cupiens ingredi religionem tenetur in sæculo remanere, ut parentum necessitati subveniat? Resp. Affirm. Si necessitas sit extrema, aut gravis, nec alius possit, aut velit eis opitulari, & possit ille remanendo in sæculo. Est communis sententia. Quia subvenire parentibus graviter indigentibus est præcepti divini naturalis; ingredi autem religionem per se est tantum consilii. Immo tunc religio cessat esse opus consilii respectu filii, cum tunc sit ei illicita. Quod (49) verum est, etiam-

---

(48) Ut filius ab ineunda Religione abstineat, quatuor conditiones exigit Henno. 1. Ut filius in sæculo remanens non sit in proxima peccati mortalis occasione. 2. Ut desint alii qui possint & velint parentibus suis opitulari. 3. Ut vera subsit parentibus spes reipsa subveniendi, sicut est communiter in maribus, rarius in puellis, quæ sæpius magis aggravant quam sublevent. 4. Ut Religionis susceptio hanc opitulationem impediat. In his prudens Confessarius gravitatem tum paternæ egestatis, tum occasionum peccandi quibus filii subjacere possunt serio ponderabit. Porro notant Salmanticenses, tr. 15. cap. 3. n. 40. gravius vulgo incumbere peccandi periculum puellis, iis potissimum, quarum pudicitiam exponere non erubescunt parentes, ut a divitibus amasiis subleventur.

(49) At transacta necessitate parentum tenetur filius ingredi Religionem; perinde ac maritus qui Religionis ingressum vovit eamdem ingredi debet post mortem uxoris: quia utrobique ex eo quod non possit hic & nunc impleri votum, fit quidem ut suspendatur obligatio voti, non autem ut extinguatur. Adde, raro

etiamsi filius voverit religionem; nam illud votum est solum de ingressu religionis, quatenus est opus melius, nec impedit observationem præcepti divini. Secus, si necessitas non sit extrema, aut gravis, aut si alius possit, velitque parentibus opitulari. Ita S. Thom. 2. 2. quæst. 189. artic. 6. Porro neque parentibus licet ingredi religionem, dum liberi carent necessariis ad sustentationem, vel educationem suo statui convenientem, nisi sufficienter illis provideant de rebus necessariis ad vitam, & statum, & illos per alios recte instituere possint. S. Thom. loco cit.

Nemo tenetur in sæculo remanere propter fratrum, aut aliorum propinquorum necessitatem gravem, sed non extremam. Quia non ita stricte tenetur iis subvenire, sicut parentibus: nisi tamen fratres, vel sorores sint adhuc sub cura patris, aut matris, nam tunc creant, vel augent necessitatem ejus. Atque ita ratione parentis sic obligari quis potest erga fratres suos, quia tunc consideratur, ut pars ejusdem parentis. Ita Suarez.

Sed quid, si filius professionem emiserit, an tenetur egredi, ut parentibus succurrat?

Resp. Juxta (50) multos tenetur, si parentum necessitas sit extrema, cui aliter subveniri nequeat, sive illa ante, sive post professionem evenerit. Quia in utroque casu æqualiter urget præceptum pietatis. Ut autem talis egressus sit licitus, requiritur 1. Ut Religiosus petat licentiam, quam Prælatus tenetur concedere; quod si petitam deneget, dicunt posse religionem egredi, eo quod Prælatus sit irrationabiliter invitus. 2. Ut egressus gestet suæ religionis habitum. 3. Ut quamdiu manet in sæculo, servet, quoad fieri potest, regulas, & statuta religionis. 4. Ut redeat, ubi primum eorum necessitati sufficienter providit. At si necessitas parentum sit solum gravis, non tenetur, nec proinde ei licet egredi sine legitima sui Superioris licentia; quia religiosus est per professionem traditus potestati sui Prælati. Ita S. Thom. S. Antonin. & alii multi.

Quæst. III.

---

raro admodum contingere, ut parentes ex filiorum absentia in extremam necessitatem conjiciantur: porro *pro raro contingentibus non constituuntur leges*.

(50) Petrus Collet tract. de Decal. cap. 1. de 4. Decal. Præc. id verum esse credit, etiamsi dicat pater se cedere juri suo quod habet in suam prolem: sicut enim pater mortem sibi inferre nequit, sic nec cedere potest juri quod habet, ut in extrema miseria sublevetur a filio cum ab alio nemine sublevari potest.

Quæst. III. Ad quid Superiores, & inferiores generatim obligantur erga se invicem?

Resp. 1. Superiores tum Ecclesiastici, tum sæculares tenentur procurare bonum subditorum, & eorum malum impedire secundum potestatem quam habent, & munus quod exercent erga illos, Eccli. 32. 1. ad Tim. 5.

Resp. 2. Ut filii erga parentes, ita cum proportione subditi erga Superiores quoslibet, debent amorem, reverentiam, & obedientiam, secundum cujusque potestatem, & munus, ex Catech. Rom. de 4. præcepto. Idque constat ex 2. Petri 2. Rom. 13. Hebr. 13. & Eccli. 7.

Quæst. IV. Quænam sunt obligationes Tutoris, & Curatoris?

Tutor est is, cui commissa est cura pupilli, & bonorum ejus. Curator est, qui assignatur minori, præcipue in curam ejus bonorum. In hoc inter se differunt, quod tutor detur principaliter in curam personæ, & secundario in curam bonorum impuberis; vice versa curator. Igitur.

Resp. Tutor tenetur curam gerere pupilli, ejus personam tueri, bonis moribus imbuere, & christiane educare per se, vel per alios, & dare operam, ut artem sibi convenientem addiscat. Item ejus bona curare, & fideliter, ac diligenter administrare. Nam in hunc finem jure publico constituitur, & assignatur pupillo loco patris. Curator vero tenetur recte, ac fideliter bona minoris administrare, & insuper ejus personam tueri, cum opus fuerit, & educationi, ac institutioni invigilare. Secus, peccant graviter, & tenentur ad compensationem damni, quia peccant contra proprium officium ad aliorum commodum spectans, proindeque contra justitiam. Hinc tenentur statim inventarium omnium bonorum pupilli, & minoris efficere, lib. 24. cap. *de admin. tut.* Omnia ejus bona, jura, & actiones diligenter conservare, & curare, ut ex iis redditus annui percipiantur, bona alias peritura vendere, ex mobilibus prædia idonea comparare. *Ex ff. & Codice.* Quod si neglexerint, vel res pupilli, aut minoris in suos usus converterint, tenentur rem ablatam, vel amissam restituere, & compensare totum lucrum cessans, & damnum emergens. Tenentur autem de culpa lata, & levi lib. 7. cap. *de Arbitr. tut.* nam justum pretium suæ administrationis exigere possunt; & sic eorum munus cedit in utilitatem suam, & aliorum. Cæterum pupilli, & minores tenentur obedire, & reverentiam exhibere tutoribus, & curatoribus, velut parentibus, quorum locum illi tenent.

Quæst. V. Ad quid obligantur domini, & famuli erga se invicem?

Resp. 1. Secundum omnes, domini tenentur 1. gerere curam salutis famulorum, & famularum ex 1. Tim. 5. Nam sunt ipsorum caput, & vices parentum erga eos gerunt. Quare graviter tenentur curare, ut famuli, & ancillæ res ad salutem necessarias calleant, peccata, & occasiones vitent, Dei, & Ecclesiæ præcepta servent, sacramenta tempore debito frequentent. 2. Tenentur alimenta congrua præbere, & tempore statuto mercedem justam solvere, Coloss. 4. Levitic. 19. Eccli. 34. Nec possunt ante tempus elapsum e domo dimittere sine justa causa, quia violarent contractum; secus, tenentur eis integrum stipendium dare perinde ac si toto illo tempore servissent, nisi alteri eo tempore servierint, lib. 38. ff. *Locati*. Si vero invito domino, & sine justa causa famulus discedat, nihil ei conceditur in foro externo: at in foro conscientiæ debetur ei merces pro rata temporis, qua servivit, nisi aliud ferat pactum, vel exitu suo intempestivo damnum domino intulerit, retenta mercede, aut illius parte compensandum. 3. Tenentur eos non aspere, ac superbe tractare, sed benigne tanquam fratres in Christo, & cohæredes vitæ æternæ, quos debent sicut seipsos diligere. Ephes. 6. 4. Tenentur curare, ut in eorum morbis, ac infirmitatibus auxilia spiritualia, & temporalia non desint. Juxta multos tamen, seclusa pactione, vel consuetudine, non tenentur ex justitia famulis alimenta, & stipendium dare toto tempore morbi diuturni. Nam hæc debentur solum propter operas quotidianas. Item non tenentur solvere impensas pro eorum curatione, nisi sint modicæ, aut in necessitate versentur. Postulat tamen charitas, ut impensas saltem modicas faciant pro eorum curatione, & alimentis. Immo charitas obligat ad gratis præstanda famulis pauperibus omnia, quibus indigent, si ea præstare possint. 5. Tenentur expellere (51) famulos, qui liberos, aliosve domesticos verbis, vel moribus pravis corrumpunt, si reprehensione non emendentur. Sanctus Carolus Instruct. Confess. & Concil.

(51) Si tamen, ait post Sayrum Grandinus, grave non fuerit famuli crimen, ejusque expulsio magnam domino perniciem allatura sit, & verisimile appareat, eum expulsum deteriorem futurum, consultius est eum domi retinere, opportuna adhibendo remedia, nisi forte, ait esset scandalum, quale esset absque dubio, si famulus in domo heri sui concubinam retineret.

cil. Mediolan. III. Porro cum famulus, vel ancilla justis de caufis expellitur, sufficit si pro rata temporis stipendium ei persolvatur.

Resp. 2. Famuli, & ancillæ debent suis dominis amorem, reverentiam, obedientiam, & fidelitatem, 1. Timoth. 6. Ephes. 6. ad Tit 2. Et insuper tenentur ex justitia fideliter servire, ac laborare: nam ad hæc præstanda stipendio conducti sunt, & ex contractu oneroso obligantur. Hinc mortaliter peccant, si peccata, ac defectus familiæ aliis referant; si non bene laboraverint toto tempore designato; tenenturque tum ad restitutionem partis stipendii pro rata laboris omissi; quia non habent jus, nisi ad stipendium labori, & operæ impensæ congruens; tum ad compensandum damnum, & lucrum cessans, quia fuerunt injusta illorum causa. Idem dic de aliis operariis conductis. Si grave damnum inferri permittant, cum impedire possunt; vel videntes inferri taceant, nec admoneant dominum, sive illud inferatur ab extraneis (quod certius est, & *ita fere habet communis gentium sensus* ait Lessius) sive a consamulis, etiam in rebus, quarum cura sibi specialiter commissa non est, tenenturque illud resarcire in defectu aliorum. Domestici vero, quibus specialiter domus, vel alia res commissa est, tenentur insuper magna cura eam custodire, diligenter invigilare, ne quid damni in ea patiatur dominus. Si ante tempus condictum discedant sine justa causa. Nam ex contractu, ideoque ex justitia tenentur toto illo tempore servire; & sic tenentur resarcire damnum, quod dominus inde patitur, ut si majori pretio alium conducit.

Quæst. VI. Quænam sunt obligationes magistrorum & discipulorum?

Resp. Inter magistros, pædagogos, & discipulos est quodammodo eadem obligatio, quæ inter parentes, & liberos. Sed speciatim magistri, & pædagogi graviter peccant. 1. Si cum non sint idonei, nec sufficienter docti ad hoc munus recte, ac diligenter obeundum, illud suscipiant, aut non dimittant, aut se ad illos idoneos non præstent. 2. Si discipulorum progressum in litteris non sedulo promoveant. 3. Si non satis studeant ipsi, ut recte officio fungantur. 4. Si ex proposito falsa, ut vera doceant, vel superstitiosa, aut saluti noxia. 5. Si (52) Docto-

(52) Porro hoc peccatum adversatur justitiæ, cum adversetur officio quod debetur communitati, Ecclesiæ nempe & Rei publi-

Doctoratus, vel licentiatus gradus indignis conferant, præsertim in Theologia, ut docent S. Antonin. Sylvest. & alii, jure Can. & Civ. & Medicina, immo etiam videtur in Philosophia: unde fit, ut indignis conferantur officia sæcularia, vel benef. Eccles. cum damno multorum; quod sine gravi culpa esse non potest. Porro Concil. Later. V. sess. 9. præcipit, ut humanarum litterarum Magistri discipulos de rebus fidei, & præceptis Dei, ac Ecclesiæ instituant.

Discipuli peccant præsertim, si magistris, & pædagogis non obediant in rebus ad studia, & bonos mores pertinentibus, si libros prohibitos legant, si a schola absint absque justa causa, & tempore studiis destinato lusui vacent, vel otio. Et quidem mortaliter, si studia notabiliter negligant, contra obedientiam præceptoribus, parentibusque graviter debitam. Quare non sunt absolvendi nisi negligentiam suam emendare curaverint.

CAPUT QUINTUM.

De obligationibus personarum judicialium, vel Forensium.

In his generatim requiruntur Scientia, Diligentia, Veritas, Fidelitas, & Justitia.

QUI officium aliquod ad aliorum commodum spectans suscipit, tenetur ex justitia, 1. Ad curandum ut sua negligentia nemini damnum sequatur. 2. Ad procuranda commoda ejus, cui per officium servit, saltem quantum commode potest; & ad diligenter obeunda ea, quæ ad tale munus spectant, & necessaria sunt ad finem, ad quem institutum est. Nam hæc tacite promittit, & ad ea se obligat, hoc ipso, quod tale munus assumit; & ideo stipendium ei datur.

§. I.

publicæ, adeoque induit obligationem restituendi. Sed quia nescitur cui restitutio in hoc casu facienda sit, ideo vix aliter tantum malum reparari potest quam fusis precibus ad Deum, ut digniores mittat operarios. Interim tamen perpetua opus est pœnitentia qua malæ electionis crimen expietur.

§. I.

De Judice.

Quæst. I. AD quid (53) tenetur judex, ut recte judicet?

Resp. Judex (idem dic de Advocato, Medico &c.) tenetur ex justitia habere scientiam sufficientem ad munus suum recte obeundum, Sap. 1. & Eccli. 5. unde tenetur habere scientiam legum, consuetudinum &c. debet etiam habere constantiam, ac virtutem ad hoc munus necessariam: alioqnin se exponit periculo injuste judicandi Eccli. 7. Hinc ob rationem mox allatam petens, aut suscipiens officium judicis sine sufficienti scientia, & idoneitate peccat mortaliter. 2. Judex debita scientia carens absolvi non debet, nisi se officio abdicet, vel nisi brevi tempore scientiam sufficientem acquirere possit, & conetur. 3. Si judex ex imperitia male judicet; quamvis putet se recte judicare, tenetur compensare totum damnum inde litigantibus obveniens, sive in substantia litis, sive in supervacaneis impensis. Nam est causa injusta talis damni: quod est ei voluntarium saltem indirecte, nempe in ignorantia culpabili, ex capit. ultim. *de injur.*

Resp. 2. Ex communi sententia, ut judex recte judicet, præter scientiam debet. 1. Habere jurisdictionem, & auctoritatem in personas judicandas, & in causam. Porro quatuor modis potest quis habere potestatem judicandi aliquem. 1. Ratione potestatis ordinariæ, vel delegatæ. 2. Ex consensu partium. 3. Ratione delicti in suo territorio patrati. 4. Ratione rei, de qua contra possessorem causa movetur, ex cap. ult. *de foro compet.*

II. Te-

(53) Judex est persona publica, potestatem habens de eorum qui subditi sunt controversiis & criminibus cognoscendi, eorumque causas ex præscripto legis per sententiam definiendi. Dividitur 1. In ecclesiasticum qui lites ecclesiasticas, & civilem qui civilia negotia tractat ac dirimit. 2. In supremum a quo provocatio non est, & inferiorem a quo ad alium appellare licet. 3. In ordinarium qui vi officii sui habet potestatem judicandi, & delegatum, cui judicandi facultas ex alterius commissione competit. 4. Judex delegatus vel talis est ad universitatem causarum, & tunc aliquam suæ jurisdictionis partem subdelegare potest; vel est talis ad causam particularem, & non potest subdelegare, nisi a Principe Supremo sit delegatus.

II. Tenetur judex habere certitudinem, saltem moralem in cognitione causæ.

III. Tenetur (54) judicare secundum leges, tum quoad modum procedendi, ordinem, & formam judicii, tum quoad sententiam ferendam, & exequendam, ex cap. 1. *de const.* & ex S. Ambros. in Psalm. 118. serm. 20. Nam ad hoc constitutus est a Republ. vel a Principe. Quare non potest quemquam condemnare inauditum, & sine testibus. Clement. 2. *de sent. & re judic.* nec uti potest scientia injuste, & contra juris ordinem parta: alioquin injuriam continuaret, & augeret. Item nec potest secundum omnes condemnare eum, quem privata scientia scit esse nocentem, si juridice non sit probatus reus: nam non habet potestatem judicandi, nisi ut persona publica.

IV. *In summa æquitatem ante oculos habere debet judex*, leg. 4. ff. de eo, quod certo loco. Idem traditur lib. 90. de reg. jur. & Prov. 31. ac Sap. 6.

V. Quando jus non est clarum, tenetur ferre sententiam secundum opinionem certo probabiliorem in quæstione tum juris, tum facti. Nam officium Judicis est judicare secundum merita causæ, & sententiam, quæ inspectis allegationibus, & probationibus, æquitati, & juri conformior est: alioquin esset locus acceptioni personarum contra Deut. 1. & alibi & contra reg. 12. jur. in 6. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propositionem. „ Probabiliter judico, judicem posse judicare secundum sententiam minus probabilem. " Quod si opiniones sint æque probabiles, & nullus ex litigantibus rem possideat, debet rem inter partes ex æquo dividere, vel ejus pretium, si dividi nequeat. Nam judex non est dominus rei, sed tenetur suum cuique jus tribuere secundum merita causæ. Hinc Alex. VII. damnavit hanc propositionem: „ Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio. " Idem dic de quæ-

(54) Hinc peccat Judex, qui commiseratione ductus minorem reo pœnam indicit, quam quæ legibus instituta est. S. Thom. 2. 2. quæst. 67. art. 4. & ex eo Pontas V. *Judex* cas. 6. ubi duo notat, 1. Id habere locum, etiamsi accusator cui a reo satisfactum sit desistat a petenda ejusdem rei pœna. 2. Non tamen peccare judicem, qui pro tempore & loco spiritum legis potius quam verba sectatur. Unde qui e. g. crimen triremibus dignum commisit, potest quandoque minori affici pœna, si id exigat conditio ætatis jam provectæ.

quæstione facti. Judex enim tenetur causam adjudicare parti pro se habenti testimonia, vel instrumenta, aliaque argumenta probabilia, cum jus probabilius reddant, lib. 21. ff. *de testib.* Quod si hæ probationes facti sint æquales, æquale jus fundat: ideo (55) æqualiter res est inter eos dividenda, si nemo eam possideat: alioquin possessori adjudicanda est, cum in dubio, & pari causa melior sit conditio possidentis, ex reg. 65. jur. in 6. in casibus vero criminalibus, si utrimque appareat æqualis probabilitas, debet reo favere, eum absolvendo, ex reg. 11. jur. in 6. alioquin se exponit periculo damnandi innocentem.

VI. Tenetur lites celeriter expedire, cap. 2. de sent. & re jud. Nam partes habent jus, ut non sine justa causa differatur judicium. Quare tenetur parti læsæ damna, & impensas, quæ ex iniqua dilatione sequuntur, compensare.

VII. Debet habere rectam intentionem, scilicet justitiæ, ita ut nihil agat ex odio, invidia, aliove pravo fine.

Quæst. II. An judex potest capite condemnare eum, quem certo novit innocentem, si per testes legitime probetur reus?

Resp. 1. In (56) tali casu, ex communi sententia, judex

---

(55) In his casibus consultissimum est; ut judex partes ad amicam compositionem adhortetur: immo non desunt casus, juxta Felinum, in quibus possit judex partes ad compositionem compellere, licet eam regulariter imperare non possit.

Hic autem duo notanda sunt. 1. Ad Judicem, etiam delegatum, pertinere, ut parti litiganti idoneum procuret advocatum, si hunc ob paupertatem, imbecillitatem judicii, adversarii potentiam, aliaque de causa obtinere non possit. 2. Ea quæ sunt *de jure*, si a litigantibus, eorumque advocatis omissa, aut minus bene dicta fuerint, posse & debere suppleri; non autem ea quæ sunt de facto, saltem communiter. Quod si factum aliquod, vel aliunde, vel ex actis notorium sit, potest judex illud supplere, cum a partis advocato suppressum est.

(56) Ex hac responsione, & sequenti colligitur, Auctorem amplecti illam sententiam quæ medio incedit gradu. Nam triplex hac de re circumfertur opinio. Prima universim docet; Judicem in quacumque materia, etiam capitali, ex allegatis & probatis sententiam ferre posse; eumque tunc ire quidem contra conscientiam quam habet ut persona privata, non autem contra eam quam habet, ut persona publica, & cujus solius in judiciis rationem habere debet. Ita S. Thomas 2. 2. q. 67. art. 2. & q. 64. artic. 6. ad 3. aliique plures magni nominis Theologi, & juris utriusque Doctores. Secunda contendit, ne in materia quidem civili posse Judicem contra propriam conscientiam

dex tenetur omnes vias inire, quibus possit eum liberare, ut impediendo accusationem, extrahendo judicium, remittendo causam ad Superiorem, & apud eum assumendo officium testis &c. Quod si his mediis non possit eum liberare, secundum multos non ei licet talem morte damnare, sed debet jurare se certo cognoscere ejus innocentiam, & potius officium dimittere, & quælibet pati. Quia directe innocentem occideret, & quidem ut causa principalis mandando, ut occidatur, quod est intrinsece malum, & contra Exod. 23. Nec Resp. ipsa potest verum innocentem directe occidere, sicut potest directe bonis temporalibus spoliare ob justam causam ad bonum commune pertinentem, quia habet dominium altum in bona subditorum, non autem in eorum vitam. Idem dic de mutilatione ob eamdem rationem. Quare nec minister justitiæ potest executioni mandare sententiam mortis, vel mutilationis, quam certo scit esse iniquam: sicut enim per se malum est jubere occidi innocentem, ita & hæc justa exequi.

Resp. 2. In causis civilibus, & in iis, in quibus agitur solum de pœnis pecuniariis, ex communi sententia potest judex judicare secundum allegata, & probata, ob rationem paulo ante adductam, & insuper ne cum populi scandalo forma, seu ordo judiciorum publicorum evertatur,

---

judicium ferre. Ita Pickler, & alii apud ipsum. Tertia ea est, quam propugnat Auctor hac prima & sequenti responsione.

Sed hic quædam sunt animadvertenda quibus certa, & ab omnibus receptissima, & communiter admissa ab incertis secernuntur.

Et 1. Quidem fatentur omnes, judici qui non omnino certam & indubitatam notitiam habet, curandum esse, ut & conscientiam deponat, & secundum allegata, & probata judicet. 2. Communiter Doctores asseverant, a judice secundum allegata & probata absolvendum esse reum quem propriis oculis delinquentem adspexit: nam generaliter constitutum est, ut, actore non probante, absolvatur reus. Idque extenditur ad ipsos etiam Reges, ita ut certum sit, ipsos etiam Reges, si quando judicent, regulariter saltem, sequi debere judiciorum leges; quia alioquin tyrannorum nomen & gererent, & sæpissime mererentur. 3. Id etiam apud omnes receptissimum est, ut Magistratus, antequam judicet ex allegatis & probatis (si tamen mendacii defensio nomen probationis habere potest) nullum non moveat lapidem, ut innocentis fortunæ & multo magis vitæ consulat. Potissimum judex, si alia media minime succedant, tenebitur, vel efficere, ut reus e carcere aufugiat, vel causam remittere ad Superiorem, eumque de accusati innocentia, etiam jurejurando, facere certiorem. Quod si idem judex sit qui Princeps supremus, is insonti vitam dare tenebitur.

tur, ac impediatur, & ut fraudi, ac dolo aditus præcludatur. Tenetur tamen judex in hoc casu prius omni industria curare, ut falsitas detegatur, vel ut processus impediatur, immo remittere causam ad Superiorem, si fieri possit absque detrimento boni communis.

Quæst. III. An peccat, & tenetur ad restitutionem judex, qui reum condemnat ex cognitione inique extorta?

Resp. Affirm. Quia talis confessio est injusta, & sic nullum jus dat: & injuriam, quam facit, notitiam injuste extorquendo, continuat hac utendo, & dat injuste causam damni, quod ex illa sequitur. Confessio autem criminis injuste extorquetur. 1. Si judex reum interroget, nulla præcedente infamia, vel semiprobatione, aut sine indiciis competentibus. 2. Si tormentis, vel eorum metu elicuit confessionem sine indiciis sufficientibus ad torquendum. Nec refert, quod confessio fuerit postridie ratificata; quia cum fuerit irrita, nulla est ratificatio ex ea orta. 3. Si persona non poterat torqueri ob ætatem, vel infirmitatem, vel privilegium, ac dignitatem. 4. Si dolo, v. gr. promissione impunitatis inductus est reus ad confitendum: nam tunc ei facta est injuria.

Quæst. IV. An licet judici munera a partibus accipere?

Resp. 1. Non licet judici quidquam accipere pro ferenda sententia, sive justa, sive injusta. Non pro justa: quia ex justitia eam debet; ideoque sic accepta restituere tenetur, cum nullum habeat titulum retinendi. Neque pro injusta, ut patet ex S. August. epist. 54. Et sic accepta restituere tenetur, quia accipiendo injuste agit contra officium; & Clerus Gallic. ann. 1700. oppositum damnavit. Spectato autem solo jure naturali, & ante omnem sententiam restitutio fieri debet ei, qui dedit juxta August. ibid.

Resp. 2. Neque licet judici munera liberalia, & sponte, ac sine ullo onere oblata a partibus accipere: quia id prohibetur jure communi humano laicis, lib. 18. §. *de officio Præsidis*, & lib. 6. §. *de offic. Procons. & Authent. Ut judices sine quoquo suffragio*, Eccles. vero, cap. 10. *de vita, & honest.* & cap. 11. *de rescript.* in 6. Cum autem dissentiant Doctores circa obligationem restituendi ante omnem sententiam munera sponte, liberaliter, nec ad vexationem injustam redimendam donata: Confessarius debet semper judicem obligare ad talem restitutionem: tum quia forte ad eam tenetur ex conscientia; tum quia tali pœna dignus est, & per eam avocandus est a relapsu. Sunt, qui excipiunt leviora munuscula, in quibus corruptionis periculum abest, quæ ex urbanitate

tate offeruntur, nec nisi quasi inurbane recusantur. Quia cessat ratio prohibitionis, lib. 18. §. *de offic. Præsidis* & cap. 11. *de rescript.* in 6. Sed multi docent judices sæculares nihil omnino posse a partibus recipere, eo quod leges ff. correctæ sint per jus authenticorum, quo prohibetur judicibus universaliter munera accipere. Auct. *Ut judices sine quoquo suffragio*.

Quæst. V. Quid judici servandum circa inquisitionem?

Triplex est inquisitio. Prima generalis, quando in genere quæritur, an leges serventur. Secunda specialis, cum de certa persona, & certo crimine inquiritur. Tertia mixta, cum inquiritur generatim de persona, & specialiter de crimine, vel e contra.

Resp. 1. Judex, & Magistratus nulla data occasione ex suo officio potest, ac debet facere inquisitionem generalem, ex cap. 1. *de offic. judic.* 2. Quando crimen est publicum, sed auctor ignoratur, judex debet quærere in genere, quis patravit. 3. Non licet judici contra aliquem facere inquisitionem specialem, tendentem ad punitionem, nisi præcesserit infamia, vel improbatio, vel aliquid, quod justam det causam, ex cap. 21. & 23. *de accusation.* & est communis sententia.

Quæst. VI. Quænam requiruntur ad subjiciendum torturæ reum?

Resp. 1. Ex communi sententia, illæ torturæ sunt injustæ, quas sustinere est reo moraliter loquendo impossibile, spectatis viribus, & complexione. Unde non potest judex ex confessione sic extorta procedere. Peccat etiam graviter, si non prius omnes alias mitiores detegendæ veritatis vias tentet, quam torturæ subjiciat. 2. Ad torquendum reum, qui jure non prohibetur torqueri, ex communi requiruntur probationes, vel indicia de commisso gravi crimine, digno pœna mortis, tali medio, & cruciatui congruentia; ita ut sola confessio rei ad plenam probationem deesse videatur. Porro prohibentur torqueri, nisi in criminibus exceptis, viri illustres, vel in magna dignitate constituti, Doctores, milites, senes, impuberes, prægnantes, & nondum confirmatæ a partu. 3. Semel tortus, si nihil est confessus, non potest iterum torqueri, nisi nova criminis indicia superveniant, quia per torturam priora elisit. Si vero crimen in tortura fassus, extra eam revocet coram judice, repetitur tortura. Si vero tertio tortus, & confessus, tertio retractet, absolvendus est; quia præsumendum est vi tormentorum coactam fuisse confessionem falsam. Excipiunt aliqui, nisi indicia sint gravissima, quæ violentam præsumptionem pariant, crimen malitiose a reo negari.

Quæst. VII.

Quæst. VII. An sententia judicis obligat in conscientia?

Resp. Sententia justa semper per se obligat in conscientia. Est sententia communis. Quia est præceptum legitimum Superioris, & usus potestatis legitimæ, cui qui resistunt, Dei ordinationi resistunt.

Resp. 2. Secundum communem sententiam certo injusta per se non obligat, 1. Si constet niti falsa præsumptione, aut falsis probationibus, quamvis lata sit secundum allegata, & probata. Quia nulla est, cum nitatur falso fundamento, ideoque nullo. 2. Si sit injusta ex omissione debiti ordinis juris quoad essentialia, & formæ judicialis: quia judex non habet potestatem ferendi sententiam, nisi servato juris ordine. Hinc qui per iniquam sententiam, quam sciebat esse iniquam, accepit bona alterius, tenetur ea restituere, nec unquam præscribere potest: quia possessor malæ fidei nunquam præscribit: immo tenetur impensas, & damna compensare. Qui vero bona fide aliquid accepit per sententiam injustam, quam putabat justam, si ante tempus præscriptioni requisitum cognoscat fuisse injustam, restituere tenetur accepta, non tamen impensas, nec fructus bona fide consumptos, saltem si iis non sit factus ditior. Secus, si ea possedit bona fide toto tempore ad præscribendum sufficienti. Sententia tamen injusta servanda est, quantum requiritur ad vitandum scandalum, perturbationem, & incommoda graviora.

Quæst. VIII. Ad quid tenetur judex circa pœnæ impositionem?

Resp. Ex communi sententia si lex pœnam imponit, tenetur judex facta sufficienti probatione crimen declarare, & pœnæ per legem impositæ executionem procurare: si vero lex minetur tantum pœnas, tenetur judex eam imponere, & executioni incumbere. Quare non potest remittere pœnam lege statutam, nisi in casibus jure expressis, aut consuetudine receptis; nam inferior non potest dispensare in lege Superioris. Immo ipsi Supremo Principi non licet condonare crimina, nisi aliquando ex justa causa: alioquin occasionem præberet patrandi crimina. Judex vero nequidem potest minuere pœnam, etiamsi actor consentiat, nisi quando delinquentis ætas, infirmitas, vel modus delinquendi gravitatem criminis minuens, aut justa aliqua ratio id postulet, vel id ad bonum commune pertinere, dictet epikeja. Item non licet ei, saltem ordinarie, augere pœnam lege statutam: nam lex pœnam statuens eo ipso judicis potestatem restrinxit, ne graviorem imponeret. Aliquando tamen potest augere pœnam

pro-

propter extraordinarias circumstantias, quæ crimen multum aggravant; quia lex statuens pœnas loquitur de delictis ordinariis.

§. II.

De Accusatore.

Accusator, (57) & denuntiator inter se differunt. Nam accusare est deferre crimen judici ad vindictam ob bonum commune, cum obligatione etiam probandi: denuntiare est deferre crimen præcipue ob emendationem rei, vel ob bonum commune, sine obligatione illud probandi.

Quæst. I. An, & quis tenetur accusare, vel denuntiare?

Resp. Ex communi (58) sententia, qui ad hoc deputati sunt, vel stipendium accipiunt a Rep. ut Fiscalis, & custodes, ac vigiles, tenentur ex justitia deferre crimen, ac proinde ad damna ex omissione delationis secuta. Item custodes agrorum, nemorum &c. saltem quantum necesse est ad vitandum damnum Domini, vel illatum resarciendum: nam contractus, seu quasi contractus inter-

(57) Differunt inter se accusatio, denuntiatio, & testimonium. Accusatio, ajunt Canonistæ, est patrati criminis apud judicem delatio scripto facta ad publicam punitionem, cum onere probandi sub pœna talionis. Denuntiatio est delatio minus solemnis criminis, vel criminosi, vel utriusque apud Superiorem, tamquam judicem, vel partem. Dividitur autem in canonicam; privatam, & publicam.

Canonica, sic dicta quia Canonicis legibus introducta est, est delatio alicujus personæ vel criminis ad judicem ecclesiasticum sine solemnitate, sive ut præcaveatur malum impendens, sive ut compescatur malum jam factum. Civilis est minus solemnis delatio criminis ad judicem laicum.

Testimonium est assertio qua quis testatur, se rem talem vidisse, vel audivisse.

(58) Sunt aliqui qui ab accusando liberi sunt, eo quod eorum accusatio recipi prohibeatur: tales sunt infames, saltem infamia juris, excommunicati, suspecti calumniæ, ut Pagani, Hæretici, Judæi, Hostes capitales, filii relate ad patres, aliique quos citat Auctor parag. seq. Porro qui ab accusatione repelluntur, non prohibentur denuntiare, neque etiam accusare, si suam, suorumque injuriam prosequantur. Immo, ait post Azorium Sylvius 2. 2. q. 68. art. 1. a quocumque nunc porrigatur querela, Judices eam admittant ex consuetudine. Judicis tamen est inspicere statum, motiva, & indolem accusatoris.

intercedit inter eos, & Remp. seu Communitatem, ut ad id teneantur. Alii vero privati accusare, seu potius denuntiare tenentur, etiam citra Superioris præceptum, quando crimen est noxium Reip. & adhuc pendet in futurum, vel continuandum putatur, ut hæresis, proditio, falsæ monetæ fabricatio, crimen læsæ majestatis &c. Nam quisque tenetur, etiam cum proprio damno malum communitatis avertere, quantum potest. Item cum id necessarium est ad avertendum grave damnum innocentis. Nec tunc præmitti debet secreta monitio, nisi certo constet per eam malum impeditum iri. Nam in re tanti momenti eligi debet id, quod tutius est bono publico, vel innocenti.

Qui crimen (59) probare nequeunt, non debent accusare, S. Thom. q. 68. art. 1. Sed tunc debent admonere eos, qui malum impendens avertere possunt; & si hæc monitio sufficiat ad impediendum damnum, non nominata persona, a qua illud imminet, non licet eam nominare, ut patet.

Sed si delictum sit occultum, & probari possit, sed ex eo non impendeat damnum, & speretur proximus emendandus privatis monitis, & ad debitam satisfactionem inducendus; an privato licet eum accusare, non præmissa monitione secreta?

Resp. Juxta multos non licet: quia tunc sine justa causa infamaretur proximus. Sed contrarium docet S. Thomas in 4. dist. 19. art. 3. quæst. 1. ad 4.

Quæst. II. An accusator aliquando tenetur desistere ab accusatione?

Resp. Tenetur, quando deprehendit accusatum esse innocentem; vel cum (60) crimen incipit esse dubium, & tale

---

(59) Cum delicta vergunt in Principem, vel Reipublicæ damnum, vel innocentis cujuspiam, tunc, licet qui probationum defectu personam accusatoris gerere nequeat, tenetur ea denuntiare, non quidem *stricte judicialiter*, quia ex hypothesi probari juridice nequeunt, sed *quasi judicialiter*, seu *ad cautelam*, quia ad id satis est, moneri judicem, ut attendat, vigilet, & quo meliori fieri potest modo præcaveat grande detrimentum quod Communitati, vel privatis ita pendet. Nihilominus si malum averti possit quin nominetur reus, non est indicandum ipsius nomen: quia neminem infamare licet sine gravi necessitate. Potest autem malum averti majori vigilantia, duplicato custodiarum ordine, &c.

(60) Si tamen bona fide accusavit, seu crimen inculpate credendo verum, seu ratus illud probari posse, non videtur in interiori foro ad restituendum obligatus.

Item

tale remanet post diligentem veritatis inquisitionem; vel cum videt se probare non posse; tunc enim frustra aliquis accusaretur, & sine causa ei inferretur infamia.

§. III.

De Testibus.

Suppono ad legitimam, & plenam in judicio probationem regulariter requiri, & sufficere duos testes, ut constat ex omnium sententia, & praxi, & ex Matth. 18. Dico *regulariter*: nam aliquando unus sufficit, ut ad impediendum matrimonium cap. 27. *de sponsalib.* Item ad leviores pœnas: unde ex testimonio publici custodis mulctari solent furantes ligna in sylva communi, quia ita expedit facere ad bonum commune. Aliquando vero duo testes non sufficiunt, ut in testamentis. Testes autem debent sensu externo percepisse id, de quo testantur, & de eodem facto cum iisdem circumstantiis deponere, & esse omni exceptione majores. Sunt autem aliqui, qui jure rejiciuntur, nimirum 1. Servus 2. Mulier jure Canon. in criminalibus, sed in jure civili in omni causa admittitur. 3. Minor 20. annis in criminalibus, in civilibus autem impubes. 4. Inimicus. 5. Consanguinei, & domestici actoris, exceptis quibusdam casibus apud Lessium. 6. Infames. 7. Perjuri. 8. Socii criminis. 9. Persona vilis, & inops. 10. Delirus, & semifatuus. Ex quibus tamen ii, qui solo jure positivo sunt ad testificandum inhabiles, possunt admitti in criminibus exceptis, ut hæresi, crimine læsæ majestatis &c. Item quando delictum est commissum eo tempore, & eo in loco, ubi copia testium haberi nequit, ut in campo, sylva, nocturno tempore.

Quæst. I. An, & quando quis tenetur testificari?

Ex communi sententia est obligatio sub mortali, 1. Cum hoc necessarium est ad avertendum grave malum impendens spirituale, vel temporale publicum, vel privatum innocentis, quamvis id non requiratur a judice, constat ex §. præced. quæst. 1. Ita S. Thom. 2. 2. q. 70. artic. 1.

Item non licet accepto pretio, aut gratis, desistere ab accusatione justa, quam quis intulit seu ex officio, seu propter bonum publicum, seu denique propter bonum innocentis. Sed nec extra hos casus id licitum est; quia ob rem quæ nullo labore fit, non videtur licere domo quidpiam accipere.

artic. 1. Si tamen accusator ex obligatione accusarit, v. g. quia crimen Reip. vel Religioni directe perniciosum erat, quale est hæresis, conspiratio contra Principem: tunc debet ejus damnum vera testificatione averti.

2. Posito præcepto Superioris, vel judicis exceptis casibus mox dicendis. Porro (61) secundum multos testis legitime interrogatur, ideoque tenetur testificari, quoties præcessit vel accusatio, vel denuntiatio, vel querela ab alio porrecta: nec ad hoc requiritur (licet a fortiori sufficiat) infamia delinquentis, aut semiprobatio, aut indicia, sicut requiritur, ut reus ipse legitime interrogetur. Quia bonum commune postulat, ut judex habeat tunc jus interrogandi.

Resp. 2. Etiam posito præcepto, & monitorio non tenentur ex communi sententia testari, nec deferre. 1. Qui rem norunt ex confessione sacramentali. 2. Qui rem accipit sub secreto naturali, consilii, vel auxilii petendi causa, ut Advocatus, Theologus, Medicus &c. alioqui peccatores a consilio petendo averterentur; unde desperatio, & multa mala sequi possent. Excipe, (62) nisi testifi-

(61) Utrum juridice interrogatus censeatur, proindeque veritatem aperire debeat unicus testis, disconveniunt Theologi. Petrus Collet in Tract. de Decal. cap. v. *De octavo Decalogi Præcepto* anceps est, nec satis videt eos sequi, quos impugnare valeat. Unde concludit, si de Superioris voluntate constet, a peccato eum vacare qui humiliter obsequitur, veritatemque aperit, quoties agitur de resarciendo gravi damno injuste illato, aut de avertendo malo impendenti, seu Reipublicæ, seu privato: stricte tamen in re tam intricata ad revelandum adigere non audet extra hos casus, modo indubium foret rem de qua agitur prorsus occultam esse.

(62) Immo in tali casu testis seipsum in testimonium offerre debet, etiam non vocatus: quia fieri potest, ut, nisi sponte se offerat in testem, periclitetur, vel bonum commune, vel vita, aut bonum innocentis; idque quandoque, nempe cum agitur de gravi malo communitatis, cum gravi suo incommodo. Et hæc obligatio extenditur etiam ad eos qui de jure a testificando eximuntur, ut Episcopi, & similes, quia charitatis debitum omnes ligat & afficit.

Hinc tenetur testis ad ferendum testimonium, quoties id necesse sit ad liberandum accusatorem qui propter bonum publicum accusare tenebatur, & deficientibus alioqui probationibus incurreret calumniatoris labem & pœnas. Secus est de accusatore, qui accusandi munus absque ulla necessitate suscepit. D. Thom. q. 70. art. 1. Si quis tamen reum accusasset, falso quidem, sed bona fide, ratus, se ad id teneri, putat Petrus Collet, deferendum non esse ab illo qui accusationem ejus confirmare potest. Quin si accusatus, adversus accusatorem insolescens, cum eo tamquam cum fœtido calumniatore durius ageret,

ſtificatio neceſſaria ſit ad avertendum imminens grave damnum communitatis, vel privati innocentis; tunc enim tenetur aperire ſecretum, etiam juratum, quod tunc non obligat, cum ſit de re illicita. Ita commun. cum S. Thom. Alii autem, qui delictum viderunt, vel ab aliis audierunt, & poſtea jurant non revelaturos, tenentur obedire præcepto, etiamſi non agatur de damno aliorum avertendo: tunc enim juramentum non obligat, cum ſit de re illicita, & contra jus Superioris. 3. Qui rem accipit a viris non fide dignis. 4. Si ſcias alterum non peccaſſe mortaliter. 5. Si ex tua teſtificatione tibi, vel tuis immineat grave damnum, niſi bonum publicum eam exigat, vel niſi alienum malum privatum impediendum tuo longe prævaleat. 6. Pater, filius, maritus, uxor, fratres, ſorores, conſanguinei, vel affines delinquentis uſque ad ſecundum gradum juxta aliquos, & juxta plures uſque ad quartum, ex cap. 4. *Si teſtes* 4. quæſt. 3. referente legem Jul. 4. ff. *de teſtib.* Excipe ſemper crimina toties repetita hæreſis &c. An autem famuli, ac domeſtici eximantur a teſtimonio ferendo contra dominum controvertitur. Sed in hoc ſtandum eſt praxi fori contentioſi, in quo ſi illorum exceptio non admittatur, teſtificari debent. 7. Quando per mandatum intenditur ſolum emendatio rei, vel ſatisfactio partis læſæ, qui novit crimen, non debet illud aperire ante præmiſſam monitionem, niſi conſtet non profuturam. Quod ſi reus monitus reſipuit, & ſatisfecit, non licet eum denuntiare. Si vero judex intendat punitionem, ſecundum multos tenetur ſubditus reum patefacere etiam poſt ejus emendationem: quia bonum commune id exigit. 8. Monitorium non obligat ad revelandum ipſum auctorem criminis, nec cooperatores: poſſunt tamen per cenſuras compelli ad ſatisfaciendum parti læſæ. 9. Si crimen per illatam injuriam, v. gr. litteras aperiendo, cognoviſti. Qui intra tempus in monitorio præſcriptum non revelavit, cum debuiſſet, peccavit mortaliter, & excommunicationem latam contrahit, teneturque quamprimum commode poteſt revelare,

---

ret, idem Petrus Collet hortatur ad minus, ut qui rei veritatem compertam habet, oppreſſæ innocentiæ partes tueretur.

Denique teneris te offerre, etiamſi, conſervando uni vitam, alteri, nempe nocenti, mortem allaturus ſis: nam ordo charitatis exigit, ut, qui duobus ſubvenire nequit, ei opem præſtet qui ex ſua ipſa innocentia alteri præferri mereatur.

lare, si hoc adhuc prodesse potest. Est communis sententia.

Quæst. II. Quandonam testis peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem?

Resp. In his casibus. 1. Si affirmet ut verum id, quod non certo novit. 2. Si dum (63) testari tenetur, occultet se, ne interrogetur. 3. Si Judici legitime interroganti non obediat. 4. Si veritatem occultet, cap. 1. *de crim. falso*. 5. Si pro dicenda veritate pretium accipiat; non tamen pro labore, itineris impensis, vel lucro cessante. 6. Si falsum testetur quod est grave scelus; ex Prov. 6. & cap. 21. *testis mendax peribit*. Præter perjurium peccat contra justitiam, & tenetur resarcire omnia damna inde secuta; immo & revocare testimonium cum pari suo damno, & periculo etiam vitæ, si accusatus de ea periclitetur, & retractatio putetur profutura, Porro (64) testis qui bona fide restificatus est falsum tenetur ex justitia suum testimonium retractare, si ex eo sequatur damnum alteri. Peccant similiter contra justitiam, & tenentur de dam-

(63) Nisi videat sibi, vel suis imminere grave periculum; nisi vel boni publici necessitas, vel longe gravius proximi nocumentum aliud postulet. Idem est de eo, quoad immunitatem a restitutione qui ultro sese non offert ad testimonium; quia etsi sæpissime teneatur ex charitate ad se offerendum, non tamen tenetur ex justitia, ut apud omnes receptum videtur. Excipiendi videntur Petro Collet casus læsæ majestatis propter pactum quod supponit intercedere Principem inter & subditos.

(64) Non tamen tenetur retractare, etiam cum periculo vitæ: nam etsi obligatio non inferendi scienter proximo sit absoluta; obligatio tamen damnum a nobis inculpate prorsus illatum reparandi ex communi hominum sensu est tantum conditionalis; & tunc tantum urget, cum sine gravi incommodo adimpleri potest. Nihilominus putat Petrus Collet quod, si periclitaretur innocentis vita, aut bona spectatissimi viri existimatio, etsi exigere non velit, ut, qui inculpate contra eum deposuit, par incurrat periculum, videtur sibi tamen eumdem teneri ad impensas respective graves, ut impendentem ictum avertat.

Quod si damnum avertere nequeas, quia e. g. quem accusastis sat aliunde contra se testium habet, ut condemnari debeat, tunc juxta omnes pene, tu a retractatione immunis es; cum hæc ad nihil profutura sit. Sed animadvertenda sunt sequentia.

1. Difficile admodum esse, ut quis inculpate prorsus falsum testimonium ferat. 2. Eum qui in hoc casu versatus esset, teneri, ubi errorem suum comperisset, eum admonere qui ex errore suo lucrum percepisset, ut restitueret rem male partam. 3. Eum qui ex veniali negligentia falsum testatus esset, non quidem teneri ad damni totius restitutionem, sed tamen ad tantam partem teneri posse, ut, nisi restituat, peccet lethaliter.

(65) In-

damno, qui falsa instrumenta conficiunt, aut vera adulterant, & iis ad pervertendum judicium utuntur. Item qui aliquam Scripturam, vel Syngrapham, aut Apocham adulterat peccat mortaliter, etiamsi ista fiant ad manifestam injuriam propulsandam, & suum jus certum recipiendum. Hoc tamen casu non tenetur ad restitutionem cum habeat jus certum ad rem hac via acceptam. Idem dic de eo qui Scripturam publicam amisit, si pro sua indemnitate aliam similem efficiat: nam ejusmodi Scripturarum falsificatio est valde perniciosa Reipublicæ. Quare lex id vetans cum justa sit & in materia gravi graviter obligat.

Quæst. III. An tenetur ad restitutionem qui a Judice etiam in generali citatus se occultat, vel testimonium fraude declinat vel veritatem reticet?

Resp. Communior sententia asserit. Quia Respublica imponit onus ac officium ferendi testimonium post citationem, & sic qui aliquid scit tenetur ex officio sibi imposito tamquam publica quædam persona veritatem testari: Sicut qui a Republica invitus constitueretnr judex, teneretur ex justitia judicare. Quare si testis veritatem taceat injuriam facit & sic tenetur resarcire damnum inde parti læsæ secutum. Item qui subtrahit supprimit, lacerat, vel tradere vetuit instrumenta alteri, profutura ad suum jus obtinendum tenetur damnum restituere, cap. *Si quis* 12. quæst. 2. etiamsi sit in favorem adversarii ex cap. 4. *de test. cogend.* Quod si fugias, vel te occultas antequam citeris ad testificandum juxta multos peccas etiam contra justitiam, & teneris ad restitutionem: sed hoc alii negant eo quod jus quod oritur parti ex tuo testimonio, procedat ex solo præcepto, & præceptum non obliget antequam impositum sit. Peccat tamen saltem contra charitatem.

§. IV.

De Reo.

Quæst. I. AN Reus tenetur fateri veritatem?

Resp. 1. Si reus non interrogetur juridice, non tenetur fateri suum crimen, absque tamen mendacio. Ut autem interrogetur juridice, requiritur, ut præcesserit (65) vel infamia, vel indicia competentia, vel

(65) Infamia censetur interrogationem præcedere, cum quis in perpetrati criminis suspicionem vocatur a multis, qui viri pro-

vel semiplena probatio, seu assertio unius testis omni exceptione majoris; ex cap. 21. & 24. *de accusat.* Quamvis juxta multos ad interrogandos testes ab accusatore productos sufficiat accusatio. Quare judex debet hæc omnia reo aperire, ut sciat se juridice interrogari; & ut si quid contra habeat, possit opponere.

Resp. 2. Reus a legitimo judice juridice interrogatus, tenetur sub mortali aperire veritatem, & crimen suum fateri, etiamsi morte plectendus sit, alioquin eam vitaturus. Ita S. Thom. 2. 2. q. 69. art. 1. estque communis sententia, teste Delugo, contra alios docentes non teneri, si sit spes evadendi, secus si absit. Nam judex in hoc casu habet jus interrogandi, & exigendi veritatem ob bonum publicum; unde reo inest obligatio eam fatendi; facitque contra jus judicis, auctoritatem, & justitiam publicam si eam occultet; ex Catech. Rom. de 8. præcepto. Deinde reus non potest evadere, nisi mentiendo: omne autem mendacium in judicio justo circa crimen est mortale, cum sit in re gravi, & contra justitiam. S. Thom. q. 69. art. 1. ad 3. Adde, quod a reo exigatur juramentum de dicenda veritate. Quare (68) non est absolvendus reus, nisi

---

probi habentur & graves, non malevoli, neque maledici; aut cum populi totius voce, aut rumore publico talis delicti reus conclamatur. Indicia vero sunt circumstantiæ & signa, ex quibus prudenter de aliorum actionibus judicari solet. Probatio semiplena est assertio unius testis jurati omni exceptione majoris, qui rem vel viderit, vel ab ipso reo audiverit, ut docet Cabass. lib. 4. capit. 5. numero 1.

Porro reus juridice non interrogatus se extricare potest appellando a Judice, quasi qui ordinem a legibus constitutum violet; aut dicendo judici, se non teneri ad respondendum; aut saltem negando proposita ut proponuntur; cum proponantur ut publica, quæ publica non sunt, nec esse possunt.

Quod si reus dubitet, an interrogetur juridice, non tenetur respondere, quia in dubio rationabili melior est conditio possidentis. Si vero ipse judex, an jus habeat interrogandi dubitet, tunc, aut ex omissa rei interrogatione imminet Reipublicæ damnum, & tunc debet Judex dubium deponere, & meminisse, se custodem esse publici boni, cui proinde plus consulere debet quam reo. Aut res moram patitur, & tunc reo magis quam alteri cuilibet favendum est. Interim, ait Sylvius, in neutro casu tenebitur reus respondere ob rationem mox allatam.

(68) Immo si videat Confessarius hominem satis convictum negare in sacro tribunali se furti aut homicidii reum esse; aut si ex iis, quæ extra juridicam interrogationem respondet, sentiat futurum, ut recta via coram judicibus non procedat, impense cavebit, ne absolutionem largiatur; alioqui enim sacramentum manifestæ profanationi exponet.

Monet hic apposite Sylvius, Confessariis, antequam reorum

nisi veritatem aperuerit saltem ante sententiam. Ita communiter Doctores, teste Sanchez contradicente. Immo juxta Cordub. Navar. Cabassut. & alios etiam post sententiam mortis tenetur. Sed hoc alii negant, nisi necessarium sit ad avertendum grave malum publicum, aut privatum, eo quod sententia lata judicium sit finitum; & finito judicio finiatur rei obligatio ad respondendum. Neque hæc confessio rei necessaria est ad securitatem conscientiæ judicum: nam si judicarunt secundum allegata, & probata, securi sunt absque tali confessione: si secus, ea nihil prodest ipsis ad solatium. Nec inde sequitur infamia judici, aut aliis, cum omnibus notum sit, solitos esse reos crimina negare. Porro consentiunt Doctores, reum, si absolvatur, non teneri apud judicem confiteri crimen suum, sed ei sufficit confessio sacramentalis cum debita pœnitentia: quia jam est extra judicis potestatem.

Resp. 3. Reus interrogatus tenetur etiam complices, seu socios sui criminis patefacere, si contra eos stent indicia sufficientia, vel unius testimonium, aut infamia, vel si ejus crimen ex se sine sociis fieri nequeat, & bonum commune exigat, ut detegantur: secus si ista deessent, quia tunc non interrogatur legitime de illis, ex lib. ult. *cod. de accus.* & cap. 1. *de confessis*, nisi crimen exceptum sit, & in publicam perniciem tendens, ut hæresis &c. Tunc (67) enim tenetur complices patefacere, saltem quos non scit esse emendatos, alioqui non absolvendus. Item tenetur complices detegere, dum legitima consuetudo obtinuit, ut etiam in privatis criminibus occultis, quæ detegi Reip. interest, reus de complicibus interrogetur.

Resp. 4. Reus, qui ad vitanda tormenta falsum crimen sibi imponit, ob quod sit morte plectendus, peccat mortaliter: quia est directe & positive causa moralis injustæ suæ

---

confessiones excipere incipiant, sedulo curandum esse, ut inquirant, sintne omnia ita secundum ordinem juris ut reus nonnisi juridice interrogetur: alius enim eos inducent vel in jacturam corporis, temere jubendo ut confiteantur, vel in jacturam animæ, non jubendo ut confiteantur cum debent.

Quod si confessarius animadvertat violari juris ordinem, teneri videtur reum admonere. Immo, etsi generaliter præsumendum sit in favorem Superiorum, tamen *in dubio verò magis reo favendum esset* quam cuique contra eum actori.

(67) Si crimen sit tale ut ab uno committi potuerit, & desit infamia, vel semiprobatio, aut indicium sufficiens, tunc Judex non interrogat juridice de sociis, extra casus exceptos, prout docet

suæ mortis. Quare non potest absolvi, nisi dicta (68) revocet, etiam cum periculo quævis tormenta patiendi.

Quæst. II. Quandonam licet reo appellare?

Resp. Licet, si prudenter judicet sententiam esse iniquam; vel quia est innocens; vel quia si nocens est, damnatus est ad pœnam justo graviorem, nec est servatus ordo juris, cap. 53. *de Appellat.* At ei non licet, si putet contrarium, cap. 6. *de Appellat.* Conc. Later. Alioqui faceret injuriam tum judici, tum adversario suo, cujus justitiam, quantum potest, perturbat, & impedit. Unde injuste appellans tenetur omni jure ad impensas litis, & alia damna adversario inde secuta.

Quæst. III. Quid licitum est reo circa pœnam, & fugam?

Resp. Reus juste damnatus ad mortem, quam vitare fugiendo nequit, ex communi sententia tenetur ad locum destinatum proficisci, collum parare, manus apponere; & facere ea, quæ a ministro justitiæ commode fieri nequeunt: quia hæ actiones sunt necessariæ saltem moraliter ad executionem pœnæ justæ. Non licet tamen reo exequi pœnam mortis, aut mutilationis; quia seipsum directe occideret, quod non licet, sicut nec se mutilare.

Resp. 2. Reo, (69) etsi vere nocenti licet ante, & post sententiam fugere ad vitandam mortem, ac mutilationem, etiamsi custos carceris grave damnum inde passurus sit, nisi juramento, aut voto, aut speciali promissione se obligaverit ad permanendum, cum tunc utatur jure suo. Ita communiter cum S. Thom. q. 69. art. 4. ad 2. Item licet fugere, ne capiatur, vel etiam a ministro apprehendente se excutere; non tamen vim inferre custodi, vel ministris, percutiendo, vulnerando &c.

Resp. 3. Multi, immo teste Delugo, Doctores communiter censent, reo licere vitandæ mortis causa carcerem effringere: quia cum fuga sit ei licita, licitum est etiam medium ad id necessarium. An autem aliis liceat suppedita-

docet lex 17. Cod. *de Accusat.* proindeque reus non tenetur socios ei manifestare.

(68) Tenetur dicta revocare juxta omnes. 1. Si speret se hac ratione mortem evasurum. 2. Si ex ejus non retractatione notabilis in alio infamia resultet, quæ per retractationem vel auferretur, vel diminueretur notabiliter.

(69) Censet Delugo non licere reo evadere, si ex fuga ejus longe gravius Reipublicæ, aut custodi malum immineat quam quod reus vitare intendit. Porro reus qui; ut fugiat, mœnia diruit, de damno sic illato tenetur; perinde ac ille qui ut vitam a sicario tueatur, alienum equum rapit, tenetur de damno equi.

ditare reo instrumenta ad effringendum carcerem, negant Tolet. Sot. & alii; quia ista suppeditare est contra bonum publicum exigens, ut custodia publica sit tuta, ac firma. Affirmant Cajet. Solon. & alii, quia (70) licet reo consulere fugam, utpote ei licitam, quidni & præbere media ad hunc finem necessaria? Item licet reo ostendere viam, & modum, quo possit elabi. Ergo &c. Consentiunt omnes id non licere officialibus, & ministris justitiæ; quia agerent contra officium suum. Negant etjam omnes, teste Delugo, licere aliis reum juvare effringendo exterius carcerem, seu portas, effodiendo parietes, vel alia similia faciendo: quia custodiam publicam violarent, nihilque posset esse satis firmum, ac tutum ad custodiam reorum, quod cederet in maximum Reip. detrimentum.

Resp. 4. Reo ad mortem juste damnato non licet resistere, nec se defendere contra judicem, vel executores sententiæ. Quia resisteret potestati a Deo ordinatæ ad vindictam malorum, ad Rom. 13. Deinde judex, ac ministri habent jus puniendi reum, & exequendi sententiam, & iis resistendo fieret injuria. Ita S. Thom. q. *69*. art. 4. addens innocenti injuste, seu contra ordinem juris damnato licere resistere, secluso scandalo, ac periculo perturbationis. Innocens vero damnatus per sententiam justam in foro exteriori tenetur pœnam patienter tolerare, si non potest eam vitare sine resistentia publica, & scandalo: nam semper talis resistentia est illicita, quando sententia justa est secundum allegata, & probata. Secus, si posset sine violenta resistentia, & scandalo pœnam effugere.

Quæst. V. Reo ad mortem damnato licet non fugere ex amore justitiæ. Immo commerito mortem licet judici se ultro sistere, & occasionem justitiæ exercendæ offerre.

Resp. Ex communi sententia damnatus ad exilium, vel ad pœnam carceris saltem non valde molesti, tenetur eo se

(70) Hæc ratio falsa omnino videtur Petro Collet: 1. Quia tam is qui fugæ consilium quam qui instrumenta suppeditat facit contra disertam Superioris voluntatem, qui consilii perinde ac instrumentorum artificem pœna proprie dicta plecteret, si certo comperiret. 2. Quia falsum est, semper consuli posse id quod quis sine peccato facere potest: potest enim quis e. g. licite semel in anno confiteri; nec tamen licite potest quis consulere, ut semel tantum in anno confiteatur. Rationes istæ certe non spernendæ videntur.

eo se conferre, & manere in exilio, vel in carcere. Et proinde non licet aliis suppeditare ei instrumenta ad effringendum carcerem. Item damnatus ad mulctam pecuniariam, tenetur eam solvere, etiam antequam exigatur, si judex expresse jubeat, ut sine alia monitione reus eam solvat: quia hæ pœnæ non habent injustitiam, nec crudelitatem, ex quo a reo executioni mandantur; reus autem tenetur per seipsum exequi hujusmodi pœnas. Porro si reus ante solutam pecuniam moriatur, tenetur hæres eam solvere: nam succedit in eodem onere bonis affixo: cum autem dicunt pœnam non transire ad hæredem, loquuntur vel de pœna corporali, vel de pœna, quæ nondum fuit debita vivente reo. Non pauci censent, damnato ad triremes licere fugere, nisi data fuerit fides præsertim jurata manendi, quod extendunt etiam ad perpetuum carcerem valde molestum: nisi sit Religiosus; nam is ex communi sententia tenetur manere, quia ex voto obedientiæ tenetur parere Prælato in hac pœna justa ipsi præcepta.

§. V.

De obligationibus Advocati.

Dico secundum communem sententiam: Advocatus tenetur ex justitia, 1. Habere competentem scientiam, qua valeat sufficienter justitiam, & merita causarum secundum jura cognoscere, & proponere. 2. Suo clienti præstare diligentiam debitam pro qualitate causæ, & fidelitatem, eique indicare causæ æquitatem, vel injustitiam, probabilitatem obtinendi, & periculum eam perdendi. 3. Abstinere se a fraudibus, falsis probationibus, conviciis, & aliis injuriis contra partem adversam. 4. Non accipere ultra pretium justum, scilicet taxatum: vel si non sit, illud censetur justum, quod habetur tale judicio prudentem, spectata qualitate negotii, peritia Advocati, & labore, quem impendit, ac consuetudine approbata. Nec ei licet pacisci cum cliente, ut, si vincat pro pretio det v. g. tertiam, vel quartam partem illius, quod ex victoria consequetur; nam hoc prohibetur l. 13. ff. *de Pact.* 5. Non licet Advocato tueri causam, quam scit esse injustam, vel nihil fere habere probabilitatis, Tamen ex causis civilibus æque probabilibus juxta multos ei licet alterutram tueri, modo cliens de periculo perdendæ litis moneatur. Sed limito, modo cliens sit possessor, vel ipse Advocatus judicet clientis causam esse probabiliorem, aut saltem talem visum iri judicibus.

Nam non poteſt agere cauſam contra poſſeſſorem, quam judicet eſſe dubiam, & talem communiter haberi, ac judicibus viſum iri. A fortiori in cauſa criminali dubia non licet tueri partes actoris. Quia hic in tali caſu graviter peccat contra reum: ergo etiam Advocatus, cum conſtet in dubio reum abſolvi debere, ideoque cauſam actoris eſſe injuſtam. Item non licet ſuſcipere cauſam civilem, quam certo judicat eſſe minus probabilem, & talem viſum iri judici. Nam defenderet cauſam, quam magis judicat eſſe injuſtam, quam juſtam. Quare Advocatus antequam cauſam ſuſcipiat, tenetur ejus æquitatem, & probabilitatem perpendere, eamque clienti indicare.

Hinc Advocatus peccat contra juſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem. 1. Si, cum non ſit ſatis peritus, & idoneus, Advocati officium ſuſcipiat. 2. Si defendat cauſam, quam ſcit eſſe injuſtam; & tunc tenetur compenſare omnia damna inde ſecuta, ſive parti adverſæ, ſive clienti non admonito de injuſtitia cauſæ ab eo ignorata. 3. Si quamlibet cauſam ſine diſcrimine, & conſideratione ejus juſtitiæ ſuſcipiat, ſolum attendens ad formalitatem juris, nihil expendens cauſæ meritum. 4. Si in progreſſu cauſæ iniquitatem deprehendens, non monet clientem, ut deſiſtat, nec ipſe eam deſerat, licet prius juſtam putaverit. 5. Si ob ejus imperitiam, vel negligentiam, vel malitiam cliens cauſa cadat, aut indebitas impenſas faciat, vel aliud damnum patiatur, ex cap. ult. *de injur.* 6. Si periculum litis amittendæ non indicet clienti, qui eo cognito non fuiſſet litigaturus. 7. Si cauſæ expeditionem cum damno clientis differat, & poſtponat. 8. Si fundamenta, vel ſecreta cauſæ detegat adverſario. 9. Si in defendenda cauſa utatur aliqua falſitate. 10. Si falſa crimina parti adverſæ imponat, aut vota, ſed occulta ad cauſam non pertinentia referat. 11. Si plures cauſas accipiat, quam recte expedire poſſit. 12. Ex his cætera facile dignoſci poſſunt.

Advocatus tenetur ſub mortali in extrema, aut gravi neceſſitate pauperum gratis ei patrocinari, ſicut etiam Medicus, Chirurgus, & alii operam ſuam gratis præſtare tenentur; idque ut conſtat, ex præcepto charitatis.

§. VI.

§. VI

De Obligationibus Referentis, Secretarii, Notarii, Procuratoris, & Apparitoris.

Dico. II omnes generatim tenentur fideliter, ac juste exequi suum officium; & proinde scire omnia, quæ ad illud spectant, debitamque diligentiam adhibere. Quod si quid faciant, vel omittant contra proprium officium, peccant contra justitiam; ideoque tenentur resarcire damna inde aliis orta. Quæ enim sunt debita ex officio ad aliorum commodum spectante, debentur ex contractu implicito in assumptione officii, cap. ult. *de injur.* & l. 174. ff. *de reg. jur.* Item peccant, & tenentur ad restitutionem, si stipendium majus eo, quod lege, vel consuetudine taxatum est, accipiant. Quod si pretium non fuerit taxatum, illud solum erit justum, quod secundum communem prudentum æstimationem est æquale operi, ac obsequio prestito. Unde speciatim 1. Referens (71) peccat, si defectu studii, aut diligentiæ sufficientis male referat, aut aliquid substantiale omittat, si conetur unius jus magis, quam alterius exponere &c. 2. Secretarius peccat, si juramentum violet, si processus, aut sententiam diligenter non custodiat, vel partibus sine mandato judicis ostendat, si testimonia infideliter transcribat &c.

3. Tabelio, seu Notarius peccat, & tenetur de damno, si ignoret, quæ ad suum officium pertinent; si instrumenta non recte conficiat; si juramentum, vel secretum violet; si testamentum hominis rationis usu destituti scribat. Si amisso instrumento antiquo publico, vel testamento, aliud simile confingat. Si parti petenti instrumenta sua, vel alia, sine quibus recuperare nequit id, quod sibi debetur, occultet, vel transumptum (72) neget, vel id ge-

(71) Item peccat, cum rem cui ob materiæ ambages referendæ impar est, referendam suscipit. 2. Cum partium instrumenta per se non legit, sed excerpta tantum aliena manu exarata, nisi manus hæc sit admodum perita & fidelis. 3. Cum in rei deferendæ studio segnis est & tardior quam decebat, ita ut ex mora crescant litigantium impensæ. 4. Idem est de cæteris judicibus, cum revelant, quis uni vel, faverit, vel adversatus fuerit suffragando, cum hæc secreti proditio malorum ferax sit.

(72) Item si conficiat instrumentum falsum; tunc enim, præsertim imminente morte, nec habens unde restituat, tenetur ad faciendum quantum in se est, ut pars cui nocet instrumentum servetur illæsa, idque etiam cum amissione suæ famæ, si tamen tan-

id genus alia committat. Nam in his omnibus peccat contra officium, & justitiam, & causam damni dat, 4. Procurator peccat, si litem injustam suadeat, procuret, vel suscipiat, si suadeat reo, vel parti, ut veritatem neget; si falso testes inducat; si differat, aut protrahat causam, vel petat dilationes supervacaneas, aut non petat necessarias &c. Vide dicta de Advocato.

Apparitor peccat, si non servet jusjurandum; si accepto mandato capiendi aliquem, vel ejus bona spe muneris monuerit, ut sibi caveat; si plura negotia expediens in eodem loco, vel eodem die, tantumdem pro singulis exigat, quantum pro diversis itineribus, vel pro diversorum dierum expeditionibus acciperet; si lustrans domos asperius agat, ut aliquod munus extorqueat; si tempore præscripto acta judiciaria sibi commissa non faciat &c.

CA-

---

tantum sit damnum falsi instrumenti confectione illatum, ut debeat reparari per jacturam boni Ordinis Superioris, qualis est fama, 2. Contractum usurarium; idque etiam in eo casu in quo licitum est mutuantis mutuum petere sub usuris: ubi nota, posse conficere instrumentum in gratiam hominis qui palam habetur pro usurario, modo instrumentum illud nihil in se habeat usurarii. Pontas V. *Notarius* cas. 1. & 2.

mutuatori

Si autem contractus manifeste sit usurarius, nulla Notario inest obligatio restituendi: quia nullus usurarius est qui tale instrumentum in judicio proferre audeat. Si tamen alicubi judices usuras persolvi juberent, teneretur Notarius de damno in defectum Judicis, & Judex in defectum usurarii. Idem dico, si mutuans eo usque simplex esset, ut crederet se vi contractus posse in usuras conveniri. Si vero contractus palliatam sub alterius debiti nomine usuram contineret; vel si fieret invito mutuatario, vel ad preces ipsius: tunc in primo casu, ex omnium confessione, tenetur Notarius ad restitutionem; quia gravi inviti hominis damno cooperatur. In secundo casu constat, 1. Notarium peccare mortaliter contra juramentum se talia instrumenta non conficiendi. 2. Incurrere excommunicationem latam in clem. *de Usuris*, si hæc vigeat in loco ubi conficitur instrumentum: nihilominus juxta magis communem sententiam obnoxius non est restitutioni; quia volenti & consentienti nulla fit injuria.

Denique, ut cætera omittam, peccant Notarii si per longum tempus differant plenam & integram instrumentorum confectionem, vel eo modo vel iis in regionibus in quibus summaria, seu, ut ajunt, *protocolla* in judicio fidem facere non possunt: nam moriente Notario, partes quæ nihil habent unde tueantur, grave tunc inde damnum percipiunt. Debent ergo Confessarii urgere Notarios, ut omnia quam primum in forma debita reponant; iisque absolutionem negare, nisi spes affulgeat fore ut huic malo citius medeantur.

CAPUT SEXTUM.

De Obligationibus Ducum, & Militum.

Dico 1. Belli Duces graviter contra justitiam peccant, ideoque ad restitutionem tenentur. 1. Si vi, fraude, dolove milites conscripserint. 2. Si suos milites invitos aliis Ducibus vendant, vel commutent. 3. Si pagos aliquos majori, quam par sit, militum copia gravent; vel si aliquos ob pecuniam acceptam a militum hospitio eximant, qui idcirco apud alios incolas mittantur. 4. Si non habeant completum numerum militum, pro quo stipendia accipiant. 5. Si fidem hostibus datam frangant, aut dolose interpretentur &c.

Dico 2. Milites omnes tenentur sub mortali ex justitia. 1. Duci, seu Præfecto militiæ parere, fortiter pugnare, stationem servare, arcem sibi commissam diligenter custodire, & defendere etiam cum vitæ periculo. 2. Sine Ducis sui licentia a castris, & exercitu discedere. 3. Non discedere a militia ante tempus condictum. 4. Suis stipendiis contenti esse; nihil auferre, vel extorquere a non hostibus, nec quidquam exigere præter id, quod a Principe constitutum est. 5. Sine jussu Ducis, aut saltem post ejus prohibitionem damna hostibus non inferre, cap. *Miles*, 23. q. 5. 6. Nihil auferre, vel exigere a subditis Reipublicæ hostilis, qui Principi, aut Duci aliquid solvunt pro redimenda omni exactione, & damnificatione.

Quæres. An qui dubitant de justitia belli, possint, aut debeant militare?

Resp. Subditi, qui de belli justitia dubitant, Principi jubenti parere debent, ac militare. Nam in dubio quisque tenetur obedire Superiori suo, cum hic sit in possessione potestatis præcipiendi, idque exigat debita subordinatio. August. lib. 22. contr. Faust. cap. 75. Idem dic de extraneis, qui ante bellum erant stipendiarii. Item milites subjecti, vel conducti justitiam belli examinare non tenentur, quamdiu nulla probabilis ratio in contrarium occurrat, quæ ipsis dubium positivum afferat. Secus est, de extraneis nondum stipendio conductis. Porro nemo debet contra proprium Principem, ac Patriam militare, cum hoc sit contra pietatem, & fidelitatem debitam.

CAPUT SEPTIMUS.

De obligationibus Medicorum, Pharmacopæorum, & Chirurgorum.

Dico. HI tenentur ſub mortali, 1. Habere ſufficientem ſcientiam, ac peritiam. 2. Impendere diligentiam debitam ad curandos morbos. 3. Adhibere remedia tutiora, certiora, & in horum defectu probabiliora, & quæ citius ſanitatem allatura ſunt. Quod ſi omnino dubium ſit medicamentum, nec probabiliter judicetur profuturum, communior docet, inquit Filliucius, non eſſe dandum. Si tamen nulla ſit ſpes de infirmi ſalute, nec adſit remedium, niſi dubium, de quo ſcilicet dubitatur, num profuturum, an nociturum ſit, debent illud adhibere: nam poteſt curari, ſi detur, & verſatur in certo periculo m rtis, ſi non detur. 4. Tenentur ſaltem ex charitate infirmum monere per ſe, vel per alios de periculo mortis, ut ſuæ ſaluti æternæ mature providere poſſit, ex Concil. Later. IV. cap. *Cum infirmitas*, de pœnit. & ex Conſtit. 2. S. Pii V. in qua addit S. Pontifex ne Medici ultra tertiam diem viſant infirmum, niſi (73) de illius confeſſione ſibi conſtet, cum ſcilicet morbus gravis eſt, vel periculum eſt, ne gravis fiat.

Mercatorum, Opificum, Operariorum obligationes, ac peccata patent ex dictis de contractibus, de juſtitia, & alibi. Paucis tamen ruſticorum, & opificum obligationes hic congero: Igitur hi omnes tenentur, 1. Artis, aut profeſſionis ſuæ ſufficientem peritiam habere. 2. Illam ſine fraude, negligentia, & cujuſquam damno exercere. 3. Debitam diligentiam ad opus ſuum perficiendum, & utile aliis, ac ſecundum rationabilem eorum voluntatem præ-

(73) Aut „ niſi longius tempus eidem Confeſſor ob aliquam rationabilem cauſam conceſſerit “. Ita cit. Bulla, quæ etiam vetat, ne Medicus ægros officio chriſtiano fungi nolentes viſitare pergat, non jam abſolute poſt tertiam diem febris, ſed poſt tertiam diem ab inutili monito. Si tamen medici fuga ægro impœnitenti graviter nocitura, mortemque allatura eſſet, non eſſet is deſerendus.

Hinc medici peccant 1. Si abſque ſufficienti peritia morbos curare tentent: ſi tamen nemo alius præſto eſſet, non videretur arguendus qui modeſte indicaret remedium aliquod, nec in ſe, nec habita ratione ad ægri conditionem periculoſum. 2. Si, cum certa deſunt remedia, ſed ſuppetunt probabiliter utilia, dent inexplorata explorandi gratia. Si vero unicum ſuppetat remedium, 1. Debet medicus ex variis circa idem remedium opinio-

præstandum, adhibere. 4. Nihil ultra justum pretium exigere. 5. Contractus, & pactiones in omnibus fideliter servare. Oppositum agentes peccant, & quidem graviter, si damnum inde proveniens grave sit.

---

nionibus sequi tutiorem, eam nempe cui frequentior experientia suffragatur; 2. Si, rebus rite expensis, pergat dubitare de bono vel malo effectu remedii, tunc, si desperata sit infirmi salus, censent alii illud applicari posse, immo debere; alii vero negant. Quamvis autem materia hæc gravis sit, sunt, qui neutram opinionem in praxi redarguere audeant; modo qui alterutram sequitur, nihil contra conscientiam agat. 3. Si pauperibus graviter ægrotantibus non opitulentur: immo non solum pauperes ægrotantes invisere debent; verum etiam „ medicinas „ pro ipsis solvere, si valeant, „ & egeni facultatem non ha- „ bent. “ Ita S. Antonin. 3. part. „ tit. 8. part. 1. cap. 2. circa quam doctrinam duo sunt animadvertenda; nempe nec obnoxium fore irregularitati medicum, qui quempiam invisere noluisset (nisi a communitate, aut alio quovis esset conductus ad invisendos omnes certi loci incolas); nec plus eumdem teneri ad præbenda gratis egeno medicamenta, quam cæteros quoscumque.

TRA-

TRACTATUS DE JUSTITIA, JURE, INJURIIS, ET RESTITUTIONE.

PARS PRIMA.

De Justitia, & Jure.

CAPUT PRIMUM.

De Justitia.

JUstitia sumitur 1. pro gratia sanctificante; 2. Pro complexione omnium virtutum, seu virtute generali. 3. Pro speciali virtute morali, ut hic.

Quæst. I. Quid est justitia, prout est virtus specialis?

Resp. Est (1) virtus moralis, perficiens, & inclinans voluntatem ad constanter, ac perpetuo tribuendum unicuique jus suum, quod est quidquid ei debitum est ex jure objectivo. Duplex est debitum, unum simplicis honestatis, & est illud, cujus violatione contrahitur solum turpitudo moralis: tale est debitum gratitudinis. Aliud est debitum ex jure, seu debitum rigorosum, de quo solo hic agitur, & est illud, quod si non redditur, contrahitur non solum turpitudo moralis, sed etiam obligatio restituendi, vel satisfaciendi, vel subeundi pœnam, quæ exigi possit ab eo, cui illud debetur. Justitia autem versatur circa hoc debitum rigorosum. Unde ejus objectum materiale est redditio debiti rigorosi: formale vero specialis honestas hujus redditionis. S. Ambr. lib. 1. de offic. cap. 24.

Quæst. II. Quomodo dividitur justitia?

Resp. Dividitur in legalem, quæ est virtus inclinans ad tribuendum communitati, seu Reipublicæ debitum, ut debitum

(1) Dicitur 1. *Constanter* ad significandum quod voluntas tribuendi cuique jus suum esse debet firma, plena, & fortis. 2. *Perpetuo*, non ad significandum perpetuitatem actus, sed objecti. 3. *Cuique* idest alteri cuicumque personæ. 4. *Jus suum*, idest stricta obligatione secundum æqualitatem rei ad rem debitam.

bitum communitati propter bonum commune: dicitur legalis, quia habet pro objecto id, quod debetur communitati ratione legum; vocatur etiam generalis, quia versatur circa debitum ex jure communi, seu generali, quod habet communitas, sive ejus Princeps ad actiones, & bona privatorum in ordine ad bonum commune. Hæc justitia est vera species justitiæ proprie sumptæ; nam (2) versatur circa debitum rigorosum proprie dictum, ut tale. In commutativam, quæ est virtus inclinans ad reddendum ad æqualitatem debitum rigorosum particularibus vi dominii, aut proprietatis, vel pacti, aut contractus, alteriusve tituli particularis, ratione cujus habent jus in re, vel ad rem. Unde spectat jus fundatum in titulo particulari, & æqualitatem rei ad rem. Sic vocatur, quia inter actiones, quas moderatur, valde illustres, & frequentes sunt mutuæ utrinque dationes, & acceptiones. In (3) distributivam, quæ est virtus inclinans communitatem, seu ejus Principem, & ministros ad distribuenda civibus bona communia, officia, munera proportionate ad cujusque merita, & dignitatem: onera vero communia proportionate ad cujusque facultatem, & vires. Et (4) in vindicativam quæ est virtus inclinans Superiorem ad reum pro merito puniendum. Porro violatio cujusque justitiæ supradictæ est peccatum ex genere suo mortale, secundum doctrinam omnium, inquit Suarez. Nam qualibet est virtus magni momenti, & habet finem gravissimum, nempe civium pacem, concordiam, charitatem, securitatem, bonum commune &c. Unde ejus violatio in materia gravi est gravis inordinatio.

CA-

(2) Solius tamen justitiæ legalis violatio, juxta communem sententiam, non obligat ad restituendum, nisi eos quibus ex officio communi incumbit communis boni conservatio; non vero alios nisi interveniat contractus inter communitatem & membrum privatim ipsius.

(3) Justitia distributiva non est justitia stricte sumpta, cum reperiatur communitatem inter & ejusdem communitatis partes, adeoque satis non sit ad alterum. Nihilominus Princeps communitatis plerumque tenetur ad restitutionem, non praecise quia violat justitiam distributivam; sed quia eam lædendo simul & commutativam lædit.

(4) Nota: ex justitiæ vindicativæ violatione sequitur non raro obligatio restituendi, sive privatis, sive judici: quia ad justitiam commutativam, & legalem sub diverso respectu pertinet.

CAPUT SECUNDUM.

De Jure.

Quæst. I. Quid est Jus?

Resp. Jus formale, cui respondet debitum rigorosum, est potestas legitima ad aliquid, cujus violatio obligat ad restitutionem, vel satisfactionem, vel pœnam, quæ possit exigi a læso. Dicitur: 1. *Legitima*, idest lege aliqua concessa, vel legi conformis, vel justo titulo nixa. 2. *Ad aliquid*, scilicet retinendum, obtinendum, agendum, omittendum, impediendum, vel ad utendum, fruendum aliqua re, vel de ea disponendum.

Quæst. II. Quomodo dividitur Jus?

Resp. Dividitur 1. in jus in re, seu reale, quod est potestas legitima circa rem sibi obligatam, & suam factam; & in jus ad rem, quod est potestas legitima ad obtinendam, sibique obligandam rem nondum sibi obligatam, seu factam suam. Illud dat actionem realem: istud personalem. Actio autem hic est jus prosequendi in judicio id, quod suum est, vel quod sibi debetur. Dividitur 2. in varias species.

Quæst. III. Quænam sunt species Juris realis?

Resp. Sunt (5) dominium, usus, ususfructus, servitus, emphyteusis, feudum, pignus, & hypotheca, quibus affinis est possessio. Hic aliquæ, cæteræ alibi exponentur.

§. I.

(5) Præcipua species juris in re est dominium. Dantur tamen aliqui casus, in quibus jus in re habetur absque dominio. Sic e.g. dum rem alienam quis cum titulo, bona fide possedit, si ipsi furto, seu injuste auferatur, potest rem illam, ubicumque repertam, actione reali repetere; habet proinde in eam jus in re, non tamen dominium, si eam non præscripserit. Item, quando quis rem accepit in pignus, vel hypothecam; tunc habet in eam jus in re, tametsi non sit dominus pignoris, vel hypothecæ. Tandem, quando quis habet jus servitutis, vel alium titulum quo tenet rem sibi immediate obligatam, v. g. obligatione decimarum inde percipiendarum; tunc competit ipsi jus in re, & actio realis, ad quemcumque res illa deveniat, quamvis non sit dominus illius.

§. I.

De Dominio.

Quæst. I. QUid est Dominium, & quotuplex?

Resp. Dominium in genere est jus (6) gubernandi, vel disponendi de re aliqua, tamquam sua. Unde duplex est, jurisdictionis, & proprietatis. Dominium jurisdictionis est potestas gubernandi subditos in illorum commodum, præcipiendo scilicet, puniendo, judicando, prohibeudo &c. Duplex est, aliud politicum, seu sæculare, quod est potestas gubernandi subditos in rebus temporalibus, qualis est in Regibus, aliisque Principibus: aliud Ecclesiasticum, quod est potestas gubernandi subditos in ordine ad bonum spirituale, qualis est in Papa, Episcopis, &c. Gubernandi actus sunt præcipere, vetare, permittere, judicare, punire, remunerare. Dominium proprietatis, de quo solo hic agitur, est jus disponendi de re aliqua, tanquam sua, seu suo nomine, arbitratu, & auctoritate, nisi lex, vel pactum obsistat. Quod addo, quia ejus usus potest lege, vel pactione impediri, ut apparet in pupillo, & debitore. Dividitur 1. In altum, quod habet Respublica, seu Princeps disponendi de bonis, & actionibus privatorum ad bonum commune; & in humile, quod quisque privatus habet disponendi de suis bonis in proprium commodum. 2. In plenum, seu perfectum, quod est jus disponendi de re, & fructibus ejus, tamquam suis; & non plenum, quod est jus disponendi vel de sola re, vel de solis fructibus.

Quæst. II. Quænam subjiciuntur dominio hominis?

Resp. 1. Res omnes externæ, & inferiores, usibus humanis subjectæ cadunt sub dominium hominis jure naturæ, ut agri, montes, flumina, bestiæ, metalla, & alia similia. Ex Psalm. 8. Nam homo habet a natura potestatem disponendi de illis in suum commodum.

Resp. 2. Ex communi Doctorum sententia, homo non habet jure naturæ dominium in alterum hominem: quia sunt

(6) Utique, dominium in genere est jus gubernandi vel &c. at est jus gubernandi *auctoritate propria*. Hinc solam habens potestatem delegatam regendi aliquos, in ipsos non habet dominium, nequidem jurisdictionis, licet jus habeat regendi ipsos, velut sibi subditos: quia ipsos regere non potest auctoritate propria, sed sibi delegata, seu commissa.

ſunt omnes ejuſdem naturæ. Poteſt tamen homo illud habere jure gentium, & civili, ut conſtat ex Scripturis. Dominium autem in ſervos ſeu mancipia quatuor modis acquiri poteſt. 1. Jure belli. 2. Nativitate, ita ut qui naſcatur ex ſerva, fiat ſervus: 3. Juſta condemnatione, ut cum quis ob crimen ſervitute damnatur a Judice. 4. Emptione, homo enim, cum ſit dominus ſuæ libertatis, poteſt ſeipſum vendere. Poſſunt etiam parentes ob graviſſimam neceſſitatem vendere proles non mancipatas. Jure (7) tamen civili ſolus pater poteſt vendere prolem & ſolum propter nimiam paupertatem. Hinc non licet ſervis fugere, ſaltem ſi venditione, vel nativitate facti ſint ſervi, modo iis alimenta neceſſaria tribuantur nec vi impellantur ad peccandum quam aliter vitare nequeant, l. 1. Cod. *de ſervis fugit.* An autem juſto bello captis, & in ſervitutem redactis ab infidelibus (8) licet fugere ad ſuos controvertitur. Sed inter omnes conſtat non licere, ſi promiſerint ſe nunquam fugituros; nam jure naturali fides data ſervari debet.

Reſp. 3. Homo (9) non habet dominium vitæ ſuæ ſed ſolus Deus eſt Dominus vitæ hominum. Ita omnes ex Sap. 16. Quia homo non poteſt licite diſponere de ſuo eſſe illud deſtruendo pro ſuo arbitrio. Item homo non eſt dominus ſuorum membrorum, quia non eſt dominus ſui ipſius.

Reſp. 4. Ex communi ſententia neque Reſpublica, ſeu Princeps habet dominium vitæ ſuorum ſubditorum ex Scriptura citata. Nam Deus ſolus illud habet. Princeps tamen habet convenientem uſum vitæ ſubditorum in ordine ad bonum commune. Nam propter ipſum poteſt ſubditos in bello exponere, & interficere homines ſceleſtos, ut cuſtos tranquillitatis, & boni publici.

Reſp. 5. Ex communi ſententia homo eſt vere dominus ſuæ famæ, & honoris. Nam homo famam propria induſtria, virtute, ac labore ſibi acquirit, & auget. Poteſt ejus

---

(7) Sed pater, ſi ad meliorem fortunam devenerit, compelli poteſt ad redimendum filium.

(8) Licet controvertatur, an liceat juſto bello captis fugere ad ſuos: certum tamen eſt, non licere, nec poſſe illos dominis perſequentibus vi reſiſtere. Habet enim dominus verum jus eos retinendi, quamdiu extra hoſtium fines non pervenerint; ergo cum bellum utrinque juſtum eſſe non poſſit, non poſſunt vi ſe tueri.

(9) Licet homo non habeat directum vitæ ſuæ dominium, habet tamen indirectum, & utile in vitam & membra: ad hoc enim ſufficit, ut homo ſine cujuſpiam injuria vita & membris uti poſſit ad omnem uſum lege permiſſum.

ejus restitutionem condonare: & in multis casibus potest se ipsum infamare ob justam causam. Non tamen licet seipsum infamare sine rationabili causa; nam id est contra rectam rationem.

Quæst. III. Quænam requiruntur ad acquirendum dominium?

Resp. 1. Ad acquirendum dominium rei, quæ nullius est, &c. sufficit sola rei apprehensio facta animo illam faciendi suam: l. 3. ff. *de acquir. rer. domin.* Nisi aliter speciali aliqua lege, vel consuetudine statutum sit.

Resp. 2. Ad acquirendum dominium rei, quæ habet dominium, jure naturæ sufficit mutuus consensus signo externo expressus; sed jure positivo duo ordinarie requiruntur, scilicet (10) titulus, & traditio; ex l. 2. Cod. de pact. juncta lege 31. ff. *de acquir. rer. domin.* Titulus autem est fundamentum dominii, ac radix, sive ratio, & causa, propter quam dominium alicui competit, ut venditio; per eum tamen non habetur dominium, aut jus in re, sed solum jus ad rem, nisi accedat traditio, quæ est veluti conditio requisita a jure, ut tituli acquiratur dominium. Traditio vero duplex est: alia realis, qua res ipsa datur in manus; & alia ficta, seu civilis, quæ fit per instrumentum, ut per traditionem clavium, aut similem actionem lege, vel consuetudine institutam: Dixi, *ordinarie*, quia licet ad acquisitionem dominii semper requiratur titulus, tamen ad eam, lex non requirit traditionem in his casibus, 1. In hæreditate, l. 23. ff. *de acquir. vel amiss. poss.* 2. In legato, cujus dominium acquiritur, ubi primum hæres hæreditatem adiit, l. 66. ff. *de furt.* 3. In beneficiis. 4. Ex titulo donationis, venditionis, aliove simili acquiritur dominium civitatibus, Ecclesiis, aliisque similibus piis locis ob speciale privilegium.

Quæst. IV. Quomodo acquiritur dominium animalium?

Resp. 1. Animalia ex natura sua mansueta, & domestica, ut boves, oves, equi, gallinæ &c. quantumvis aberrent, & fugiant, semper remanent prioris domini, nec fiunt occupantis. Ita omnes *ex instit. de rer. divers.* Idem de animalibus natura sua feris, vel sylvestribus, ut sunt cervi, lepores, &c. quæ ejus, a quo capta sunt, custodia, seu loco concluso coercentur; vel quæ usu mansue-facta

(10) Titulus duplex est, verus & præsumptus, verus est ille, qui vere dominium transfert, ut emptio a domino legitimo; præsumptus vero, qui præsumitur verum dominium transferre; quamvis reipsa non transferat; ut si emeris equum a fure quem credidisti legitimum esse ejus possessorem.

facta habent consuetudinem redeundi ex libera vagatione in potestatem domini, ut columbæ, cuniculi, accipitres, cervi cicurati &c. Nam tamdiu carent naturali libertate. Nec obstat, quod cuniculi, & columbæ damnum privatis afferant, nam cum sint Reipublicæ utiles, privati debent illud pati propter bonum publicum. Si vero ejusmodi animalia redeundi consuetudinem amittant, censentur recuperasse naturalem libertatem, & sic sunt primo occupantis. Nam jam nullius sunt, *ex inftit. rer. diverf.* Hinc licet tibi retinere, v. g. columbas, quæ sponte, non attractæ, se sociaverunt tuis columbis, & ad proprium columbarium redire desierunt. Examen vero apum quamvis avolet ex alveario tuo, tamdiu tuum manet, quamdiu in tuo conspectu versatur, nec difficilis est ejus persecutio. *Inftit. de rer. diverfitat.* Quod si difficile sit illud sequi, & recuperare, potest a quovis capi.

Resp. 2. Animalia fera, & sylvestria, si antea nullius fuerint, vel quæ aliquando fuerunt, sed jam naturalem libertatem recuperarunt, fiunt primo occupantis. *Inftitut. de rer. diverfit.* l. 3. ff. *de acquir. rer. domin.* & l. 39. ff. ad legem Aquil.

Sed cujus est fera læsa, vel laqueo capta?

Respond. Si feram læsisti, quantum satis est ad capiendum, & læsam insequeris cum certitudine morali eam capiendi, fera est tua. Item si fera laqueo tuo ita capta sit, ut non sit evasura, est tua, sicut etiam piscis per tuum rete captus. Quod si fera erat facile evasura, est primo occupantis, quia nondum amisit libertatem, *ex inftit. de rer. diverfit.*

Quæst. V. Cujus est thesaurus?

Resp. Jure naturali, & gentium totus est inventoris: nam quæ nullius sunt, fiunt jure naturali, & gentium primo occupantis: talis est thesaurus; qui definitur in jure: *Vetus quædam depofitio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat*, l. 31. ff. *de acquir. rer. domin.* Ubi per pecuniam intelliguntur quævis opes mobiles. Dicitur autem vetus depositio; nam si non sit vetus, non censetur thesaurus, sed res inventa, quæ domino, & in ejus defectum hæredibus restitui debet: qui si cognosci nequeant, impendi debet in usus pios, quia sunt bona incerta. *L. Nunquam*, ff. *de acquir. rer. domin.* Jure tamen civili communi, obligante in conscientia, hæc statuta sunt de thesauro, 1. Thesaurus (11) totus est il-

(11) Idemque est, si quis in sacro, aut religioso loco, fortuito casu, invenerit. Institut. L. 2. tit. 1. par. 39. At thesaurus tunc tantum est totus inventoris, quando invenitur in fundo

est illius, qui eum in proprio fundo reperit. *Institut. de rer. domin.* Si tamen arte magica ibi inventus sit, totus pertinet ad Fiscum, saltem post sententiam Judicis. 2. Qui fortuito thesaurum in fundo alieno reperit, fit dominus dimidii; alterum vero dimidium tenetur ante sententiam Judicis tradere domino speciali fundi, sive sit Princeps, sive privatus, *Instit. de rer. divers.* 3. Thesaurus de industria quæsitus in fundo alieno sine consensu domini, totus est domini, l. Unica Cod. *de Thes.* Varii tamen putant, inventorem non teneri ante sententiam Judicis tradere, nisi dimidium, ob hæc verba legis ex ea parte pœnalis: *Totum locorum domino reddere compellatur.* 4. Si thesaurus inveniatur in platea, foro, vel via publica, juxta multos dividi debet cum Fisco; juxta alios totus est inventoris. In his tamen, sicut in aliis spectandæ sunt speciales locorum leges, vel consuetudines.

Sed quid, si in aliqua domo inveniatur pecunia occultata, cujus depositio non sit antiqua?

Resp. Ea non est invenientis, cum thesaurus non sit, utpote non vetus depositio; nec ulla lex eam invenienti tribuit. Sed si homines ejusdem familiæ in illa domo habitaverint continue, & diuturno tempore, hæredibus illius familiæ restitui debet. Si vero locatores plurimi in eadem domo habitaverint, nec ulla haberi possit præsumptio, ad quam familiam inventa pecunia pertineat, tunc illa distribui debet pauperibus, vel applicari aliis bonis operibus proximo utilibus, ut dictum est in Tract. de Justit. cap. 3. quæst. 21.

Quæst. VI. Cujus sunt lapidicinæ, venæ metallicæ, gemmæ, lapilli, &c.

Resp. 1. Lapidicinæ, carbonariæ, cretariæ, arenariæ fodinæ ferri, plumbi, quæ sunt in fundo alicujus, pertinent ad dominum fundi. Nam vel sunt pars fundi, qui non consistit in sola superficie, sed in tota profunditate usque

---

fundo qui est inventoris, tum quoad dominium directum, tum quoad dominium utile. Quapropter si idem fundus duos habeat dominos, directum scilicet & utilem, tres partes pertinebunt ad inventorem, & quarta ad illum qui simul dominus est: inventori enim ut sic debetur dimidium; cum vero inventor sit ex hypothesi etiam Dominus ex parte, debetur adhuc ei media pars dimidii superstitis. Quod si quis emat agrum, sciens in ipso latere thesaurum, is illius thesauri dominium acquirit: nam pretium agri & rei cujuslibet, non præcise ex majori ejus utilitate, sed ex communi hominum æstimatione sumi debet: porro qui emit agrum, supponitur pretium ejus secundum communem hominum æstimationem solvere.

usque ad centrum terræ; vel sunt ejus fructus. Idem dic de venis metallicis, spectato solo jure naturali, & gentium. Jure tamen civili in variis locis venæ auri, & argenti in fundo privatorum repertæ sunt partim Principis, partim inventoris. Possunt tamen Principes ob bonum commune sibi jus effodiendi hæc metalla vindicare, & concedere privatis jus ea inquirendi ubilibet, & eruta fisco applicandi ad sustinenda onera Reipublicæ compensato solo damno, quod infertur loco.

Resp. 2. Gemmæ, corralium, lapilli, & similia, quæ inveniuntur in promontoriis, sunt occupantis, *instit. de rer. divis.* quia nullius sunt.

Quæst. VII. Quinam sunt alii speciales modi acquirendi dominium?

Resp. Sunt alluvio, specificatio, accessio, confusio, commixtio, inædificatio, pictio, implantatio, satio, nativitas, *ex instit. de rer. divis.* & lib. 7. *de acquir. rer. domin.* Itaque 1. Per *alluvionem* id, quod vi aquarum insensibiliter uni fundo detrahitur, & alteri adjicitur, fit domini fundi, cui fit adjectio. Dico, *insensibiliter*; nam si notabilis pars tui prædii statim subducta aquarum tempestate adjiciatur meo, ea tibi remanet. 2. Per *specificationem*, cum res aliena ita mutatur in aliam speciem, ut ad primum statum reduci nequeat. Secus, si res aliena in pristinum statum reduci possit. 3. Per *accessionem*, (12) cum quid ad ornatum alteri rei adjicitur. 4. Per *confusionem*, & *commixtionem*. Si materiæ ad duos dominos spectantes, sive casu, sive communi consensu confundantur, vel permisceantur, quod resultat, fit commune utrique pro rata materiæ, si materiæ ad invicem secerni nequeant, ut duo vina confusa: si vero res separari possint, ut oves in grege permixtæ, debent separari. Si autem alienam pecuniam, domino inscio, vel invito, tibi hoc ignoranti datam misceas tuæ, volens totam habere tuam, nec jam discerni possit a tua, acquiris ejus dominium. L. 78. §. de solut. Teneris tamen restituere rem æqualem, Reg. 48. de jur. in 6. 5. Per *inædificationem*, ædificium in alieno fundo constructum cedit domino fundi, qui tenetur materiam, & operas solvere, si alter bona fide fabricavit: secus si mala fide. Item si quis in fundo suo ædificat ex ma-

(12) Si tamen ornamentum rem cui adjectum est pretio longe superaret, tunc ornamentum haberetur pro principali, & pertineret ad eum a quo prodisset.

materia alterius, fit dominus materiæ, sed tenetur (13) alteri de damno. 6. Per *pictionem*, in tabula aliena pictor fit dominus tabulæ, sed tenetur priori domino tabulæ de damno. 7. Per *implantationem*, & *sationem* nam arbores, plantæ in aliquo fundo a quolibet collocatæ, eo ipso quod radices egerunt, cedunt domino fundi. Idem de seminibus in agro alieno sparsis. Qui tamen arborem alienam in suo fundo transplantaverit, tenetur de damno. 8. Per *nativitatem*. Quod ex animali feminei sexus nascitur, pertinet ad dominum animalis, l. 5. §. *de rei vindic.*

Quæst. VIII. Quinam sunt capaces dominii?

Resp. 1. Omnis, & sola substantia intellectualis, quia dominium est facultas de re aliqua disponendi arbitratu suo, quæ facultas non potest esse sine intellectu, & voluntate. 2. Infantes sunt capaces juris, & dominii. Constat ex communi usu omnium gentium, & 4. ad Galat. Nam ad dominium habituale, & in actu primo sufficit natura intellectualis, ac libertas innata: præterea possunt infantes jus suum exercere per parentes, tutores, Remp. &c.

Quæst. IX. An Filiusfamilias habeat dominium bonorum, quæ dicuntur fortunæ?

Nota 1. Filiusfamilias dicitur is, qui adhuc est sub patria potestate, quæ est jus lege civili inductum, quod habet solus pater, vel avus paternus in personam, & bona liberorum legitimorum. 2. Bona filiorumfamilias sunt quadruplicia, nempe castrensia, quasi castrensia, adventitia, & profectitia. Castrensia sunt ea, quæ acquiruntur in militia, vel occasione militiæ, ut stipendia militaria &c. vel in obsequio Principis in ejus aula exhibito: item ea, quæ eunti ad militiam, vel ad obsequium Principis dantur, & lucra omnia ex talibus bonis interventu alicujus contractus provenientia. Quasi castrensia dicuntur ea, quæ filius acquirit ex officio, & munere publico, ut Judi-

(13) Si aliena materia usus est bona fide, non tenetur nisi ad solvendum ejus æstimationem; si vero mala fide, tenetur insuper de omni, ut ajunt, interesse, de lucro cessante, de damno emergente, &c.

Sunt insuper duo modi acquirendi dominium, nempe *alveus* & *insula*. Si enim fluvius, alveo priori derelicto, alium sibi quærat, vetus alveus vicinis prædiis cedit; novus vero fit publicus, sicut flumen. Quod si fluvius hunc alveum derelinquat, & ad antiquum redeat, rursus novus alveus a quo recessit fluvius eorum esse incipit qui prope ripam ejus prædia possident: ex æquitate tamen veteribus dominis restituendus esse videtur. Insula vero quæ in mari nata est, fit occupantis.

Judicis &c. ex professione alicujus artis liberalis, ex liberalitate Principis, ex officio Clericatus, ex beneficio eccles. & alia hujusmodi. Authent. *Presbyteros*, Codic. *Episc.* Adventitia sunt ea, quæ filio proveniunt ex successione in bona materna, amicorum donatione, aut legato, inventione thesauri, propria industria &c. Profectitia sunt ea, quæ proveniunt a Patre vivo, vel patris gratia donata sunt, vel ex bonis paternis acquisita verb. grat. negotiando.

Resp. Filiusfamilias habet plenum dominium in bona castrensia, & quasi castrensia, eorumque administrationem liberam, ita ut de illis, anno completo, possit etiam testari. Bonorum autem adventitiorum habet proprietatem, sed (14) pater usumfructum. Profectitiorum vero filiusfami-

(14) At pater, si eorumdem bonorum substantiam dilapidet, tenebitur ad restitutionem, per se vel hæredes suos, quia proprietas eorum penes filium manet: secus, si dilapidatio fructus concernat. Sunt tamen aliqui casus in quibus pater adventitiorum filii bonorum usumfructum non retinet. 1. Si bona filiofamilias relinquantur hac solum lege, ut ususfructus non pertineat ad patrem. 2. Si pater cum filio succedat alteri filio in bonis adventitiis; pars enim quæ devenit ad filium superstitem non debet usumfructum pati. 3. Si filius aliquid acquirat titulo donationis, aut successionis, patre irrationabiliter contradicente. 4. Si pater incestas nuptias contrahat, si fiat Judæus, Hæreticus. Sed videndæ locorum consuetudines. 5. Si filio relictus non sit nisi ususfructus.

Porro lucra ex operibus artificialibus provenientia numerantur inter adventitia, proindeque possunt a filio recuperari post obitum patris, deductis tamen impensis quas in alendo filio fecit pater. Atque, Layman & Cabassutio testibus, in eo puncto unanimes sunt Doctores, illudque probant ex lege penult. §. *De obseq. parent. præb.* Si tamen filius opificis operam suam patri præstaret, nulla sive expresse sive tacite petita mercede, præsumitur illam patri remittere titulo pietatis. Item ex eod. Cabassutio, aliisque multis, filius e. g. fabri, cauponis, aut mercatoris, qui ex bonis patris, ipso patris nomine lucratur, jus habet in hujusce lucri partem: quin & addit, si ex metu reverentiali jus illud petere non audeat, aut sciat si repeteret se passurum repulsam, nec sibi jus illud computatum iri, posse eum sibi clam assumere, unde operam suam compenset, sive vivente, sive mortuo patre. Ratio est quia filius non debet esse deterioris conditionis quam extraneus, qui dubio procul debito non careret stipendio; & quia non tenetur jure naturæ pro patre non indigente laborare. Nihilominus certas quasdam conditiones exigunt Casuistæ. Prima est, ut filius ea deducat, quæ tunc temporis expendit pater in eo alendo, & vestiendo. Secunda, ut filius usumfructum lucri hujus sibi non vindicet ante emancipationem suam, vel patris mortem. Tertia, ut pater per se, vel per alium, minori pretio id facturus non fuisset quod fecit filius.

familias nec habet proprietatem, nec usumfructum. Ratio horum est dispositio juris civilis.

Quæst. X. An servi, seu mancipia habeant dominium aliquarum rerum?

Resp. habent dominium, etiam perfectum non solum bonorum spiritualium, sed etiam secundum multos temporalium. 1. Quæ Dominus eis concessit. 2. Quæ servo dantur ad compensationem injuriæ illatæ in bonis, quorum est dominus. 3. Quæ eis data sunt ea conditione, ut non acquirantur domino. 4. Quæ de bonis suis ludo, aut aliqua negotiatione lucrantur. Ratio est, quia jura non reddunt servum incapacem dominii. Immo jura supponunt in eo dominii capacitatem, lib. *Vix* §. *de judic.*

§. II.

De Præscriptione.

PRæscriptio sumpta pro usucapione, ut nunc sumitur, est acquisitio Dominii per possessionem bonæ fidei continuatam tempore per legem definito. Nomine dominii jura, servitutes, officia, & beneficia etiam comprehendimus.

Quæst. I. An per præscriptionem vere acquiritur in foro conscientiæ dominium rei alienæ absque consensu, & culpa prioris domini?

Resp. Affirm. Est communis sententia. Quia principes sic volunt, & sic velle possunt, vi dominii alti in bona subditorum, hoc postulante communi bono, l. 1. §. *de usucap.* l. ult. §. *pro suo*, l. 3. §. *de usucap.* Idem constat ex jur. Canon. Id autem introductum fuit principaliter ad quietem civium, & familiarum, & ad excitandam diligentiam, & curam possessorum circa bona sua, cap. 5. *de præscript.* Hinc licet retinere rem legitime præscriptam, nisi tamen prior dominus per Judicem restituatur in integrum: quæ restitutio conceditur Minoribus, qui habent jus eam petendi toto quadriennio a die, quo Majores facti sunt. Idem jus Ecclesiæ, & aliis piis locis conceditur per quadriennium a die, quo Ecclesia novit præscriptionem bonorum suorum, ex cap. 1. *de restitut. in integr.* in 6. interdum conceditur etiam Majoribus ob justas causas. Post sententiam autem Judicis est obligatio in conscientia res præscriptas restituendi.

Quæst. II. Quænam conditiones requiruntur ad legitimam præscriptionem?

Resp. Quatuor, videlicet possessio, bona fides, titulus, & continuatio possessionis cum bona fide per tempus lege defi-

definitum. 1. Requiritur possessio, ex reg. 3. jur. in 6. & ex l. 25. §. de usucap. Sufficit autem possessio civilis. Quamvis autem qui per alium possidet, v. g. per colonum, possit præscribere, non tamen (15) is, qui alieno nomine possidet: Quia iste non est vere possessor, sed alius per eum possidet. Idem dic de usufructuario, conductore, feudatario, &c. 2. Requiritur bona fides, ex reg. jur. in 6. Hæc debet perseverare toto tempore ad præscribendum requisito, ex Concil. Later. IV. cap. 41. relato in capit. ult. de præscript. Bona autem fides hic est persuasio, qua quis prudenter judicat rem esse suam, & a se licite teneri. Est autem duplex. 1. Cum quis prudenter judicat rem esse suam, & hæc requiritur ad inchoandam possessionem; alioquin ex communi sententia non est possessor bonæ fidei. 2. Cum quis post diligentem inquisitionem veritatis nescit, nec judicat probabilius, rem, quam habet, esse alienam, ideoque judicat se posse ut suam retinere. Hæc (16) juxta multos sufficit ad continuandam possessionem, quia, ut quis post inchoatam bona fide possessionem perseveret esse possessor bonæ fidei, satis est, quod post diligentem veritatis inquisitionem non habeat rei alienæ conscientiam, ex Concil. Lateran. cit. & ex S. August. in cap. *Si virgo* 34. q. 1. Possessor autem, cum dubitare incipit, tenetur diligenter exquirere veritatem: qua diligenter investigata, si perseveret dubium, potest juxta multos determinate, & prudenter judicare, se posse rem, ut suam retinere; eo quod in tali dubio melior est conditio possidentis, reg. 65. in jur. in 6.

Sed

(15) Tamen necesse non est, ut possessio ab eadem persona continuetur; potest enim secundus possessor annos quibus possidet conjungere iis quibus possedit auctor ejus, seu prædecessor.

(16) Meliores jurisconsulti docent, eum qui dubium habet non leve & temerarium, sed grave ac probabile, an res quam possidet sit sua, nec ne, eo ipso non habere bonam fidem, nec præscribere posse: Nec obstat regula juris, „ in pari dubio melior est „ conditio possidentis: “ quia regula illa nullibi traditur in jure canonico, saltem in hoc sensu, quod omnis possessor, in pari dubio, ex vi possessionis tutus sit in conscientia, sibi rem totam retinendo; sed regula 65. in 6. dicit solum, quod „ in „ pari delicto, vel causa, me„ lior est conditio possidentis;“ eo quod utique in controversia super rei dominio, probatio dominii adversario potius quam possessori incumbat: verum hic non sequitur, possessorem in pari dubio posse in conscientia rem totam retinere, donec certo sciat esse alienam. Denique regula illa nec dicit in pari delicto, vel causa totum esse possidentis, sed melior est conditio possidentis dumtaxat. Unde ex ea perperam deducitur, in pari dubio totum esse possidentis.

Sed sine tali judicio non potest rem illam retinere, l. 23. §. *de usucap.* Hinc 1. Leges civiles statuentes præscriptionem triginta, & quadraginta annorum procedere etiam cum mala fide, abrogatæ sint jure Canon. ex Conc. Later. cit. & cap. *de præscript.* 2. Si creditor certo tempore non exigat a te debitum, licet postea ei denegetur actio in judicio, non tamen præscribis contra illum, si noris debitum; sed teneris totum debitum solvere, nam habes conscientiam debiti, & sic cares bona fide ad præscribendum. Secus est, si quis invincibiliter ignoret debitum, vel prudenter putet solutum fuisse. L. 3. *Cod. de præscr. 30. vel 40. annor.*

Ignorantia juris saltem clari etiam inculpata ex communi sententia impedit præscriptionem saltem ordinariam. Secus de ignorantia facti invincibili, ex l. 4. §. *de jur. & facti ignor.* De ignorantia invincibili juris dubii controvertitur.

3. Requiritur titulus coloratus, sive apparens, qui scilicet putetur probabiliter verus, licet sit falsus. Constat ex utroque jur. Ex *Usucap.* Cod. de Usucap. & cap. 17. de præscript. Nam sine titulo non potuit esse bona fides initio possessionis. Ad præscriptionem tamen longissimi temporis, nempe 30. vel 40. annorum, præsumitur titulus præcessisse, quia difficilius probatur, qua ratione inchoata sit possessio tam longo tempore durans; nisi (17) juris præsumptio sit contra præscribentem. Dixi, *coloratus*, nam titulus verus, seu validus sufficit sine præscriptione ad transferendum dominium secuta traditione.

4. Requiritur possessio cum bona fide continuata per totum tempus lege definitum, quod tempus diversum est pro diversitate rerum præscribendarum. Nam ex communi sententia res mobiles possessione triennali cum titulo præscribuntur, *instit. de usucap.* Sed sine titulo requiruntur 30. anni. Ad præscribenda bona immobilia contra Ecclesiam Romanam requiruntur centum anni, contra aliam Ecclesiam, vel hospitale, vel Monasterium, (18) vel

(17) Titulus præsumptus duobus in casibus non sufficit, etiam cum possessione longissimi temporis. 1. Cum præsumptio juris est contra præscribentem, ut Auctor asserit, 2. Cum res a possessore malæ fidei transit ad successorem ejus universalem, seu hæredem; de quo vide eumdem Auctorem quæst. 3. resp 1. & 2.

(18) Bona Ordinum Mendicantium non præscribuntur nisi spatio 60. annorum (ut videre est in Compendio Privil. Mend. V. *Præscriptio*,) vel etiam 100. annorum, ex communicatione privilegii Eugenii IV. Benedictinis concessi. De quo videri potest Lezana, consultat. 36. numero 22.

vel pias causas 40. anni, ex Authentic. *Quas actiones*, c. de Sacr. Ecclesiis. Ad præscribenda vero immobilia privatorum cum titulo, requiruntur decem anni inter præsentes, & 20. inter absentes, *Institut. de usucap.* Sine titulo requiruntur 30. anni, ex l. 3. *Cod. de præscr. 30. vel 40. annor.* & ex c. 3. *de præscript.* Si autem Dominus fuit partim præsens, & partim absens, tot anni sunt adjiciendi, quot abfuit, ex Authent. *Quod si Cod. de præsc. longi temp.* ita ut duo anni absentiæ computentur tantum pro uno anno præsentiæ. Res autem quælibet minoris non præscribitur, nisi 30. annis. Dixi, *sine titulo*, supple qui probetur: nam tunc præsumitur præcessisse. Quare ad præscribendum requiritur titulus coloratus, vel qui probetur, vel qui præsumatur præcessisse.

Nota 1. Præsentes hic dicuntur ii, qui in eodem territorio, licet non in eadem civitate, habitant; absentes, qui in diversis territoriis. 2. In hac materia tempus breve dicitur, quod est minus decennio. Longum est spatium decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes. Longissimum 30. vel 40. annorum. Immemoriale vero, cujus initii non extat memoria etiam apud seniores. 3. Bona mobilia sunt res corporales, quæ loco moveri possunt, ut animalia, vestes, pecunia &c. Ad hæc revocantur debita, & actiones, quæ ex rebus mobilibus competunt. Immobilia sunt, quæ loco moveri non possunt, ut domus, fundus &c. Ad quæ reducuntur res incorporeæ, ut jura, servitutes, census, ususfructus, beneficia; item debita, & actiones, quæ ex rebus immobilibus competunt, aliaque jura ad illa spectantia.

Quæst. III. An qui bona fide accepit aliquid ab auctore malæ fidei potest illud præscribere?

Resp. 1. Hæres, qui bona fide aliquid ab auctore malæ fidei accepit, nunquam potest illud præscribere. Est communis sententia, ex *instit. de usucap.* & l. 11. §. de diversf. temp. *præscript.* Quia hæres in jure censetur una persona cum defuncto, succeditque uti in omnia jura, ita etiam in omnes obligationes reales & onera. Idem habetur etiam ex l. 11. *Cod. de acqu. & retin. poss.*

Resp. 2. Qui rem bona fide ab auctore malæ fidei accepit alio titulo, quam hæreditatis, puta donationis, emptionis, legati &c. potest eam præscribere tempore ordinario. Est communis sententia ex l. 5. §. *de diversf. temp. præscript.* Excipiuntur duo casus. Primus, si res sit immobilis, & ille, contra quem præscribitur, ignoret eam ab alio possideri, tunc enim ad præscribendum requiruntur 30. anni, ex Authent. *malæ fidei, Cod. de præscript. long. temp.* Secundus, si res illa sit furtiva, aut vi posses-

possessa, nam non potest tunc præscribi spatio 10. vel 20. annor. *institut. de usucap.* Sed juxta multos potest spatio 30. annorum, ex l. *Sicut* Codic. *de præscript.* 30. vel 40. annorum.

Quæst. IV. An res omnes præscribi possunt?

Resp. Multa præscribi non possunt, scilicet homo liber, res sacræ, & religiosæ, ut calices, templa, &c. Jus decimarum percipiendarum a laico, res publicis usibus destinatæ, ut forum, pons, &c. limites provinciarum, Episcopatuum, & parochiarum, si de illis constat; res populi, immunitas ab iis, quæ quis ut subditus debet principi, ut sunt tributa, obedientia &c. Quamdiu scilicet manet subjectio: ad hoc autem requiruntur 40. vel 50. anni cum titulo, & sine titulo tempus immemoriale. Nulla tamen potest præscribi exemptio a jurisdictione spirituali Summi Pontificis.

§. III.

De usu, usufructu, & servitute.

Quæst. I. QUid est usus?

Resp. Usus duplex est, nempe juris, & facti. Ille, de quo solo agunt Juristæ est potestas legitima utendi tantum re aliena, salva ejus substantia. Usus facti est actualis usus legitimus, vel etiam jus utendi re aliena, quæ ipso usu consumatur, sed revocabile ad nutum concedentis.

Quæst. II. Ad quid tenetur usuarius?

Resp. Tenetur 1. Rem, cujus habet usum, integram diligenter conservare proprietario. 2. Non ei licet percipere fructum distinctum ab ipso usu concesso; immo nec potest usum sibi concessum alteri donare, locare, vendere, quia non habet jus utendi nisi ad suum usum.

Quæst. III. Quid est ususfructus?

Resp. Est jus utendi, & fruendi re aliena, salva ejus substantia l. 1. §. *de usufr.* Porro usus est assumptio rei ad aliquid, fructus vero est id, quod provenit ex re. Hinc usufructuarius potest omnem fructum rei, & utilitatem percipere, cujusvis generis res illa sit. Non fit autem Dominus fructuum, nisi postquam eos percepit. Potest etiam omnem utilitatem ususfructus, & usum juris vendere, locare, vel donare, manente apud ipsum usufructu, quem non potest alteri donare, aut vendere sine consensu proprietarii.

Quæst. IV. Ad quid tenetur usufructuarius?

Resp. Ex instit. *de rer. divis.* & ff. *de usufructu* tenetur

1. Uti

1. Uti re, cujus habet usumfructum; omniaque damna sua culpa rei proprietario illata compensare. 2. Si habeat usumfructum pecorum, tenetur in locum capitum demortuorum, vel inutilium alia capita e fœtu substituere, quæ cedunt in Dominium proprietarii. Idem intellige de vitibus, arboribusque demortuis. 3. Rem domino integram conservare. 4. Tenetur præstare sumptus ad fructuum perceptionem necessarios, & solvere tributa, quæ pro re frugifera debentur.

Quæst. V. Quid, & quotuplex est servitus?

Resp. 1. Servitus active sumpta est Jus, quod quis habet in re aliena, ut in ea aliquid fiat, vel non fiat in suum commodum. Passive sumpta est obligatio rei alienæ, ut aliquid in ea fiat, vel non fiat in commodum alterius, salva rei substantia.

Resp. 2. Servitus generatim duplex est, realis quæ a re immediate debetur alteri rei; & personalis, qua res obligatur personæ, vel e contra. Servitus realis alia est urbana, quæ debetur prædio urbano; alia rustica, quæ rustico. Prædium autem urbanum dicitur omne ædificium habitandi causa confectum, sive in urbe, sive in villa, & hortus amenitatis causa ei annexus. Rusticum vero sunt ager, vinea &c.

§. IV.

De Possessione.

1. POssessio, (19) alia est facti, quæ est actus possidendi, abstrahendo an juste, an injuste; & alia juris. Possessio facti definitur rei apprehensio, vel detentio, corporis, animi, & juris adminiculo. Possessio juris est jus insistendi rei, tanquam suæ, non prohibitæ possideri.

(19) Dicitur 1. *Rei apprehensio*, idest inceptio possessionis, quæ fit per apprehensionem corporalem, vel *detentio*, idest continuatio possessionis, quæ fit per detentionem. 2. *Rei*, quæ vox significat non solum res corporales, sed etiam incorporeas; ut census, beneficium, & similia. 3. *Corporis adminiculo*, quia, ut res aliqua possideatur, debet apprehendi aliquo actu corporali, verbi grat. manibus, ut feræ, gemmæ, thesauri, vel *pedibus*, ut insulæ, vel oculis, ut si antiquus possessor emtinus vel cominiis fundum mihi ostendat, &, me acceptante possessionem ejus tradat: oculi enim sunt veluti longæ manus quibus res visæ quasi contrectantur. 4. *Animi*; quia res debet apprehendi animo illam possidendi, tanquam suam. 5. *Juris*, idest jure non resistente, seu impediente.

deri. Possessio dividitur in naturalem, qua res possessa corpore, & animo retinetur, ut sua, dum scilicet quis corporaliter insistit detentioni rei, tanquam suæ: & in civilem, qua res corpore, & animo apprehensa retinetur solo animo. Hic additur tertia species possessionis, quæ civilissima dicitur, & est ea, quæ sola dispositione legis acquiritur absque omni corporis, & animi adminiculo, etiam ab inscio.

PARS SECUNDA.

De injuriis, & necessaria restitutione in genere.

CAPUT PRIMUM.

De injuria, seu injustitia in genere.

Quæst. I. Quid est injuria?

Resp. Est (1) voluntaria violatio juris alieni. Porro injuria censetur gravis, ideoque mortalis, quando per se apta est parere tristitiam magnam, seu difficile sedabilem, aut aversionem animi difficile impedibilem, spectata communi hominum conditione, ac dispositione naturali, & communiter parit. Nam talis injuria graviter repugnat justitiæ fini.

Quæst. II. An violentia potest fieri injuria?

Resp. 1. Fit injuria consentienti ex dolo, vi, vel metu injuste incusso: quia talis non cedit moraliter juri suo, saltem sufficienter ad tollendam injuriam. Idem dic de consentiente per ignorantiam, ut si quis solvat centum, putans se ea debere, patitur injuriam, si quinquaginta tantum debeat.

Resp. 2. Fit etiam injuria consentienti, quoties consensus est moraliter nullus, ut patet. Sic v. g. fit injuria sol-

(1) Definitio ab Auctore tradita est definitio injuriæ, seu injustitiæ actualis: nam injustitiæ habitualis definitio est ista, „ Prava voluntatis dispositio ex „ actibus injuriosis orta, & ad „ similes actus inclinans." Hinc aliquis non dicitur proprie injustus ex eo quod aliquid injustum faciat, sed ex eo quod ex habitu operetur, sciens ac volens. Quia tamen plerumque nomina quibus exprimuntur habitus ad exprimendos actus assumuntur; hinc fit, ut passim injustus dicatur quicumque peccat peccato injustitiæ, sive ex habitu injustitiæ operetur, sive non

solventi usuras, quia consensus in hoc est nullus, cum sit de re impossibili.

Resp. 3. Quoad jura abdicabilia consentienti omnino voluntarie non fit injuria, ex reg. jur. 27. in 6. quia eo ipso, quod sponte consentit, cedit efficaciter istis juribus.

Resp. 4. Quoad jura inabdicabilia consentienti fit vera injuria. Ex cap. 36. *de sentent. excomm.* Ratio est, quia jus inabdicabile est illud, cui efficaciter cedere non potest dominus. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propositionem: „ Copula cum conjugata consentiente marito non „ est adulterium, adeoque sufficit dicere in confessione „ se esse fornicatam.

CAPUT SECUNDUM.

De natura, & necessitate restitutionis.

Quæst. I. Quid est restitutio?

Resp. Est rei alienæ redditio, vel damni illati compensatio, debita ex justitia ad æqualitatem; vel etiam, rei alteri debitæ solutio. Nam de ea sic sumpta hic agetur. Unde est actus justitiæ commutativæ, quæ versatur circa qualitatem rei ad rem, ex S. Thom. 2. 2. quæst. 62. art. 1.

Quæst. II. An restitutio actualis necessaria est ad salutem necessitate præcepti?

Resp. Affirm. Nisi impotentia excuset, vel adsit justa causa differendi. Constat ex Rom. 13. Ezech. 33. &c. ex reg. 4. jur. in 6. ex S. August. epist. 54. & refertur in cap. *Si res* 14. quæst. 6. Ratio est, quia qui non restituit, cum potest, nec habet rationabilem causam differendi, voluntarie nocet; & facit injuriam proximo. Quod procedit, sive res sit debita ob injuriam, sive ex contractu justo, cum sit utrobique eadem ratio, & creditor habeat jus strictim possidendi rem sibi ex contractu debitam. Porro præceptum divinum naturale prohibens injuriam proximi est primario negativum, & secundario affirmativum. Nam primario vetat, ne retineatur alienum, vel alteri debitum invito rationabiliter domino, & ideo præcipit actum restituendi, S. Thom. q. 62. art. 8. ad 1. Quare obligat semper, pro semper. Hinc (2) mortaliter pec-

(2) Ex his facile colliges, in quam aperto versentur periculo, immo in quam manifesto jaceant peccato qui restitutionem usque ad mortis articulum procrastinant. Et idem est de illis qui, ambi-

peccat, qui notabili tempore omittit restitutionem, vel solutionem integram, quam potest facere, vel etiam brevi tempore omittit; si inde creditor damnum grave patiatur. Qui autem non potest restituere, debet habere voluntatem saltem implicitam restituendi, cum primum facultas restituendi aderit, & moralem diligentiam adhibere ad hanc facultatem comparandam. Qui vero non potest totum restituere, tenetur statim restituere partem, quam potest, cum circa illam non habeat justam excusationem.

Quæst. III. Quandonam peccatum injustæ detentionis continuatur, & multiplicatur?

Resp. 1. Qui non restituit, vel debita non solvit, cum potest, & debet, actu peccat toto tempore, quo id omisit: quia omissio restitutionis, vel solutionis debitæ toto eo tempore, quo fieri potest, est injuriosa proximo; estque sufficienter voluntaria, cum omittens possit, ac debeat restituere, & ad hanc obligationem advertere.

Resp. 2. Iniquus detentor rei alienæ, vel alteri debitæ novum peccatum admittit, & sic multiplicat numero peccata

---

ambigentes, an id quod habent alteri debeant, nolunt, superstite ejus vita, in judicio illud decernere, sed satis dicunt in testamento id hæredi suo demandare. Videant ergo Confessarii, ne, restitutioni vel legatorum piorum obnoxiis cito manus imponentes, peccatis communicent alienis; tales enim, antequam restituerint, absolvendos non esse, docent multa Concilia, S. Thom. opusc. 42. al. 73. & S. Antonin. 2. part. tit. 2. part. 28.

Immo Confessarius ne moribundum quidem ordinarie absolvere debet, nisi statim restituat, si res bene ferat tantam moram; neque sufficit quod restitutionem hæredibus injungat, quando per ipsummet eam facere potest. At si hoc præstare non possit per seipsum absque nota infamiæ, dare debet cautionem de ea quam primum poterit facienda, vel rem restituendam in manu confessarii consignando, vel potius tertiæ personæ, de cujus probitate & fidelitate nullum est dubium; vel accersito Notario, vel Pastore, vel duobus testibus declarando, se absolute velle, ut ex sua hæreditate primo & ante omnia tollatur pecuniæ summa, per Confessarium suum statim applicanda ad finem ipsi declaratum. Quod si nihil horum tempus permittat, & interim promptum ad ista facienda animum ægrotus præseferat, absolvendus erit. Similiter, si non habeat unde restituat, satis erit; si firmum habeat propositum restituendi, si supervivendo facultatem habuerit; nec tamen hoc sufficiet, si spes sit fore ut hæredes postea habituri sint facultatem satisfaciendi; sed tunc hoc illis injungere debebit, si forte gavisi fuerint rebus injuste possessis, vel forte gavisuri sint rebus a moribundo relictis.

cata injustæ detentionis. 1. Quoties habet voluntatem expressam non restituendi: nam nihil est exterius, in quo illi actus uniantur, & continuentur ad faciendum unum moraliter actum. 2. Quoties interrumpit illud peccatum actuale detentionis, & postea advertit, & advertere potest, ac debet ad obligationem restituendi, & tamen non restituit cum potest: quia toties omissio restitutionis est ei saltem interpretative voluntaria, & nova culpa. Interrumpitur autem moraliter per contritionem, vel propositum restituendi, per impotentiam restituendi, per somnum, vel longam distractionem &c. nam tunc volitio non restituendi non durat virtualiter eadem numero.

Sed quid si detentor utatur re aliena?

Resp. 1. Si domino perinde sit, utaris ne re sua, an eam apud te detineas otiosam, non magis peccas utendo, quam retinendo solum. Quod si dominus longe ferret ægrius usum, quam otiosam detentionem, tunc gravius peccas usu ejus rei, quam nuda detentione. 2. Si res apud te facta sit deterior, ita ut prudenter judices Dominum eam non amplius velle, sed pretium ejus; non peccas ea utendo, aut destruendo eam, quia hoc non facis invito domino. Peccas tamen ejus pretium non restituendo, cum primum potes.

CAPUT TERTIUM.

De radice obligationis restituendi.

Quæst. I. Unde oritur obligatio restituendi?

Resp. Ex quatuor capitibus, scilicet 1. Ex injusta acceptione, ex cap. ult. *de injur.* 2. Ex re accepta, idest ex re aliena in se, vel in æquivalenti extante apud alium sine hujus culpa, ex reg. jur. 48. in 6. 3. Ex contractu explicito, vel implicito, seu quasi contractu in assumptione muneris, seu officii. 4. Ex lege positiva, & justa sententia.

Quæst. II. An oritur obligatio restituendi ex damnificatione nullatenus peccaminosa v. g. ob inconsiderationem, distractionem mentis, oblivionem prorsus involuntariam?

Resp. Non oritur extra contractum, & officium, ex cap. 2. *de constit.* Et ratio est, quia qui damnum sine ullo peccato extra contractum, & officium intulit, ex nullo capite tenetur restituere: non ratione injustitiæ, cum non peccaverit; neque ratione rei acceptæ, aut contra-

ctus,

ctus, vel legis, vel sententiæ, cum nihil horum extet. Dixi, *extra contractum*, quia leges imponunt contrahentibus onus restituendi damnum secutum ex culpa mere juridica, & contrahens hoc ipso, quod contrahit, illud onus tacite in se suscipit, cum velit, & debeat contrahere secundum leges.

Quæst. III. An oritur obligatio restituendi ex damnificatione reali?

Resp. 1. Ex damnificatione, & furto veniali ob parvitatem materiæ oritur obligatio restituendi sub veniali.

Resp. 2. Ex damnificatione gravi quoad materiam, sed veniali ob defectum advertentiæ oritur obligatio restituendi: Quia tunc committitur vera culpa, & injuria, licet levis. Non videtur tamen esse obligatio restituendi totum damnum citra contractum, aut officium: quia injuria venialis, ac imperfecta non debet citra contractum, aut quasi contractum tantam obligationem parere, quantam injuria gravis, & perfecte voluntaria. Sunt tamen, qui docent, tantum esse posse damnum, ut pars illius correspondens culpæ veniali sit adhuc gravis momenti, ideoque sub mortali restitui debeat; Cæterum in praxi quando damnum grave est, censeri omnino debet intervenisse culpam mortalem. Nam (ut notat Lessius) generaliter in operibus externis periculosis circa subitaneam passionem vehementem raro contingit advertentia imperfecta. Quare in dubio an culpa sit mortalis, an venialis, totum damnum resarciri debet, præsertim cum in dubio potior sit conditio innocentis.

Quæst. IV. An oritur obligatio restituendi ex damno dato per culpam juridicam in officio, vel extra illud commisso?

Culpa duplex distinguitur: theologica, & juridica, seu civilis. Culpa theologica est peccatum imputabile, sive mortale, sive veniale: culpa juridica est omissio diligentiæ debitæ ad cognoscendum, vel cavendum, vel faciendum, vel providendum, ex qua sequitur damnum, sive illa omissio sit peccatum, sive non. De hac sola hic agitur: & triplex est, lata, levis, & levissima. Culpa lata est omissio diligentiæ, quam passim in rebus ejusmodi propriis adhibere solent homines diligentiores, & prudentiores ejusdem conditionis. Levissima est omissio diligentiæ, quam soli diligentissimi, & prudentissimi adhibent. Itaq.

Resp. 1. Ex communi sententia, extra officium, & contractum non oritur obligatio restituendi damni secuti ex culpa levi, & levissima: Quia citra contractum, & officium nemo tenetur majorem diligentiam adhibere in suis ope-

operibus, ne alteri noceat, quam in similibus casibus adhibere solent homines ejusdem conditionis diligentes, ac prudentes. Constat tamen (inquit Lessius) esse obligationem restituendi damnum secutum ex culpa lata, nisi constet eam esse prorsus inculpabilem: quia quisque ex justitia tenetur, ne alteri noceat, adhibere in actionibus suis eam diligentiam, quam adhibere solent in ejusmodi actionibus diligentes, ac prudentes. 2. Per se loquendo nemo tenetur in conscientia ad restitutionem propter culpam levem, vel levissimam in officio, vel arte commissam, sed tantum propter latam. Est communis, aut fere communis sententia. Quia nemo tenetur in officio suo, vel sua professione adhibere majorem diligentiam, & providentiam, quam soleant adhibere diligentes, & prudentes ejusdem professionis. Dixi, *per se loquendo*: nam si quis profiteatur se diligentiorem, aut peritiorem aliis, aut diligentissimum; is tenetur adhibere majorem, aut etiam maximam diligentiam, & prudentiam; quia id promisit, & ad id se obligavit saltem implicite; unde tenetur resarcire totum damnum ex levi, vel etiam levissima culpa secutum. Porro culpa, quæ dicitur lata in iis, qui officium, vel artem exercent, censeretur levis in aliis privatis: unde illi dici possunt teneri de culpa comparate ad alios, qui non tenentur ex officio, vel pacto.

Resp. 3. Qui præbet consilium in rebus ad suum officium, vel artem pertinentibus, tenetur ad restitutionem ratione culpæ latæ. Quia ex officio tenetur in consilio dando adhibere eam diligentiam, & prudentiam, quam adhibere solent in similibus casibus homines diligentes ejusdem professionis. Item tenetur ratione ignorantiæ, quia talis ex officio tenebatur hoc scire, & in responso vitare errorem, ex quo damnum secutum est, ex cap. ult. *de jurejur.* Non tenetur tamen ad restitutionem qui consultus aperit bona fide dumtaxat opinionem suam dicendo ita sibi videri, nec suadendo ut alter faciat; & a fortiori si indicet se dubitare. Immo si des consilium in rebus, quæ ad tuum officium non spectant, & quarum peritus non es, & alter sciens tuam imperitiam consilium tuum sequatur, non teneris de damno inde secuto. Si tamen agitur de damno tertii, ut si suadeas alteri contractum injustum; vel ut non restituat, peccas graviter in re gravi & teneris illi tertio. Nam illi, & quidem invito damnum infers tuo malo consilio. Jam vero hæc regula juris 62. in 6. *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur*; intelligitur solum de eo qui bona fide dat consilium in rebus ad suum officium non pertinentibus,

bus, & qui ratione sui muneris aut status peritiam non profitetur. Vel nomine fraudis intelligitur culpa lata, quæ ei æquiparatur in jure.

Quæst. V. Ex qua culpa juridica in contractibus oritur obligatio restituendi?

Resp. 1. Si contractus cedat in utilitatem solius accipientis, ut in commodato, accipiens tenetur ad restitutionem, si res aliena pereat, vel deterior fiat ex culpa etiam levi, & levissima: sed non tenetur, si (3) fecit id, quod diligentissimi, ac prudentissimi in simili re propria conservanda facere solent. Constat ex l. 18. §. *commod.* & ex instit. l. 3. tit. 15. & ex cap. 1. *de commod.* Excipitur precarium, in quo accipiens tenetur solum ex dolo, vel culpa lata, l. 8. §. *de precario*: eo quod res concessa precario, potest a domino quovis tempore revocari, non autem res commodata.

Resp. 2. Si contractus sit utilis utrique contrahenti, ut contractus pignoris, locati &c. uterque tenetur ad restitutionem damni secuti ex culpa lata, & levi, non autem levissima ex l. 5. §. *commod.* & l. 23. *de reg. jur.* Ratio est, quia cum res aliena alicui conceditur in ejus utilitatem, æquitas postulat, ut eam valde diligenter custodiat; non tamen ad tantam diligentiam teneatur, quantam si in sui tantum utilitatem accepisset. Quare ad nihil tenetur, si fecerit, quod diligentiores faciunt in simili re propria conservanda.

Resp. 3. Si contractus cedat in utilitatem solius dantis, ut in deposito, accipiens tenetur solum ad restitutionem ex culpa lata, & dolo, ex l. 5. §. *commod.* & l. 23. §. *de reg.* & instit. l. 3. tit. 15. Patet ex dictis resp. 1. 2. & alibi. Hinc si depositum pereat apud te sine tua culpa lata, non teneris illud restituere, nisi in his casibus. 1. Si adsit pactum de majori, vel maxima custodia adhibenda, vel etiam de casu fortuito præstando, ex l. 1. §. *deposit.* 2. Si in culpa fuisti tecum deferendo depositum in locum periculosum, vel fuisti in mora non red-

(3) Item non tenetur de casu fortuito, quia ubi nulla culpa, vel pactio intercedit, res domino suo perire debet. Variæ nihilominus sunt hypotheses in quibus de casu fortuito quis teneatur, & restituere debeat. 1. Si casui fortuito causam præbuerit. 2. Si præcesserit pactum de re quocumque perirei modo restituenda. 3. Si commodatarius sit in mora restituendi rem præfixo tempore, quæ interim perierit, aut deterior evaserit quod verisimiliter sine mora hac non contigisset. Ita communiter Theologi.

reddendo, cum potuisti, & debuisti, teneris ad restitutionem, quantamcumque custodiam adhibueris, ex variis Jurib. & cap. ultim. *de deposit.* 3. Si accepisti mercedem pro deposito custodiendo, ex eodem cap. Tunc enim teneris de culpa levi; quia contractus depositi cedit in tuam, & domini utilitatem, transitque in locationem operæ ad illud custodiendum. 4. Si teipsum ad depositi custodiam offeras petenti diligentissimum custodem, tunc teneris de culpa levissima l. 1. §. *de deposit.* quia tunc censeris custodiam diligentissimam promittere.

Quæst. VI. An qui inculpabiliter dixit, vel fecit aliquid, ad quod jus nullum habet; & ex quo impendet damnum proximo, tenetur ex justitia illud impedire, vel restituere, si non impediat, quantum commode potest?

Resp. Affirm. Est communis sententia. Quia quisque tenetur ex justitia curare ne ex sua actione eveniat damnum proximo contra jus illius, ideoque impedire, ne damnum ex sua actione secutum perseveret. Hinc, qui inculpate errorem docuit, vel consilium noxium dedit, tenetur, ubi advertit, deducere: Si tamen non posset impedire alterius damnum sine graviori, aut saltem æquali suo damno, non poterit illi imputari, sed censebitur juste permitti: nam non est obligatio impediendi damni, nisi cum potest impediri sine gravi, aut saltem æquali suo damno. Cujus quidem damni proprii gravitas spectari debet respective ad damnum, quod inde proximo sequetur.

Quæst. VII. Quid restitui debet ratione injustæ acceptionis, vel damnificationis?

Resp. Qui injuriam alteri intulit, rem ejus culpabiliter accipiendo, aut detinendo, aut damnum inferendo &c. tenetur in conscientia restituere rem, si adhuc extet, vel ejus pretium, si ipsa non extet; item omnes fructus naturales, ac mixtos, sive perceptos, quamvis dominus eos non percepisset, nec illi extent amplius, nec ex illis factus sit ditior, ex l. 22. Cod. *de rei vindic.* sive non perceptos, sed quos dominus percepturus erat, & compensare omne damnum emergens, & lucrum cessans. Est communis sententia. Quia ratione injuriæ contrahitur obligatio injuriatum omnino indemnem reddendi, & restituendi in eum statum, in quo fuisset, si injuria illata non fuisset. Quare mensura restitutionis faciendæ ratione injustæ acceptionis, vel damnificationis est quantitas boni alieni ablati, & damni illati, ac lucri impediti, quamvis lædens inde nihil emolumenti perceperit, ex cap. Gravis

vis de restit. spoliat. Immo (4) tenetur fructus etiam mere industriales restituere, quos dominus singulari sua diligentia licite percepisset, quamvis ipse damnificator nullos perceperit, ex lib. 33. §. de rei vindic. & ex cap. *Gravis* cit. Nam debet compensari omne damnum emergens, & lucrum cessans. Nota 1. Fructus mere naturales sunt ii, qui ex re aliqua gignuntur sine ulla fere industria, & labore, ut herbæ in pratis, arborum poma, animalium fœtus. Mere industriales sunt ii, qui ex sola industria, & labore proveniunt, licet mediante aliqua re, tanquam mero instrumento: ut quæstus, qui ex negotiatione, vel ex usu artificioso alicujus instrumenti, puta penicilli percipitur. Fructus mixti sunt ii, qui ab ipsa re mediante industria, & labore proveniunt, ut fructus agrorum, vinearum; ad quos revocatur pretium locationis ædium, earumque rerum, quæ habent usum locabilem: Hi fructus vocantur civiles, & debentur domino rei l. 5. cod. *de rei vindic.* Soli autem fructus, mere industriales, quos dominus rei non percepisset, non sunt restituendi, quia non sunt fructus rei alienæ, sed industriæ propriæ. Sic qui v. g. pecunia furtiva negotiatus est, non tenetur lucrum novum restituere, sed solum pecuniam ablatam, & omne damnum emergens, & lucrum cessans, si quod est. 2. Semina & alia similia, si sint aliena, non fructificant domino suo, sed domino agri, l. 25. §. *de usur.* quia sunt magis agri, quam seminis, quod mortuum est, & ab agro vivificari, & ali debet. 3. Restitutio fructuum facienda intelligi debet deductis pretio operæ ac laboris, & impensis, quæ a domino fieri debuissent ad illos percipiendos, ad conservationem rei, & ad ejus melioramenta, quibus rei valor crevit domino, ex l. 7. §. *soluto matrim.*

Quæst. VIII. An injustus damnificator tenetur insuper aliquid solvere pro culpa in pœnam?

Resp. Non tenetur ante sententiam judicis: quia punitio ad judicem pertinet; sed post sententiam tenetur. Ita S. Thom. 2. 2. quæst. 61. art. 3.

Quæst. IX. An fur, vel injustus possessor, aut damnificator tenetur restituere rem alienam, si peritura fuisset apud dominum?

Nota 1. Possessor malæ fidei est is, qui rem alienam inju-

(4) Secus tamen, si Dominus eos de facto percepturus non erat; tunc enim nec lucratus est possessor malæ fidei id quod erat alienum, nec amisit Dominus id quod suum erat.

injuste accepit; vel retinet, aut consumpsit, vel alienavit, putans, aut dubitans esse alienam, vel se non legitime possidere; vel ex ignorantia graviter culpabili judicans esse suam. Possessor bonæ fidei est, qui rem alienam detinet judicans prudenter esse suam. Itaque.

Resp. 1. Injustus possessor tenetur rem alienam restituere, si illa non erat peritura apud Dominum, nisi per injuriam alterius; v. g. furtum. Est communis sententia, clara, & manifesta.

Nota 2. Si res perit dolo, vel injuria injusti possessoris, quia vel amisit culpa lata, vel eam scienter destruxit, absumpsit, alienavit &c. tenetur ejus pretium restituere domino, etiamsi apud hunc casu peritura fuisset. Est communis sententia teste Layman. Quia talis ratione injustæ læsionis statim contrahit obligationem restituendi, quæ subsequente fortuito casu non extinguitur. Idque magis adhuc constat, si tempore, quo ex culpa periit, vel destructa est res aliena, non erat notitia interitus vel periculi futura. Quia, cum periculum illud ignoraretur, res illa vere tantum valebat apud homines, sicut si peritura postea non fuisset.

Resp. 2. Item tenetur restituere rem alienam, quæ casu apud ipsum periit, si non sit omnino certum casu perituram fuisse apud dominum: quia in dubio melior est conditio innocentis, & domini possidentis jus certum recipiendi rem suam, vel ejus pretium. Immo juxta multos tenetur, etiamsi fuisset peritura apud dominum casu, vel justa hostium spoliatione: nam qui injuste accipit, injuste detinere incipit; qui autem injuste detinet, semper est in mora restituendi: & qui est in mora restituendi tenetur etiam de casu fortuito, nam mora trahit ad se periculum rei, ut statuunt jura.

Sed si rem alienam quæ incendio, vel aliter peritura erat apud dominum auferam, & post elapsum periculum non statim restituam, & postea apud me pereat, non jam peritura apud dominum, an teneor ejus pretium restituere?

Resp. Affirm. Ita omnes; quia res illa a periculo libera, & secura ad dominum pertinebat, & sic ei tunc statim reddi debuit; quare si non fuit reddita, injuria ipsi facta fuit per injustam detentionem, quæ fuit causa damni.

Quæst. X. An ratione injuriæ restitutio facienda est juxta summam æstimationem, quam res a tempore detentionis habuit?

Resp. 1. Si res aliena apud furem, vel injustum possessorem facta est deterior, quam cum accepta est, tenetur

restituere secundum statum illum, quem res tunc habebat, ut patet.

Resp. 2. Si res apud injustum possessorem melior effecta est, sive intrinsece, & in substantia, ut si vitulus evaserit in bovem, sive extrinsece, & in valore, ut si auctum sit ejus pretium ob emptorum multitudinem, restitui debet domino in tali statu, si extet: nam res semper mansit in ejus dominio, melioratio autem, & incrementum rei pertinet ad ejus dominum. Si autem res illa non extet, & vendita fuerit majore pretio, quam vendidisset dominus, totum pretium acceptum restitui debet domino, quia pretium acceptum ei debetur, cum sit valor suæ rei. Quod si res casu periit, vel minore pretio vendita fuit, aut in deteriore statu, & valore alienata, vel consumpta, restitui debet domino secundum æstimationem, quam in optimo statu, & maximo valore habuit, si dominus eam tali tempore erat venditurus, vel passus est damnum emendo aliam summo valore: quia injustus possessor fuit causa injusta talis lucri cessantis, vel damni. Idem dic, si incertum sit, an dominus lucrum ex ejus melioramento fecisset, vel quo pretio venditurus fuisset, ut docent passim doctores. Patet ex q. IX. resp. 2. Immo juxta varios restitutio fieri debet secundum summum valorem, & incrementum, etiamsi dominus re sua certo usurus non erat in tali statu, nec juxta summum valorem venditurus. Quia dum res apud injustum possessorem melior, & carior facta est, domino meliorata fuit, ipsique debita erat in tali statu, l. 8. §. *de condit. fuit*.

Quæst. XI. An qui ponit actionem, ex qua damnum obvenit alteri, tenetur illud restituere?

Resp. 1. Si damnum evenit tertio ex actione tua mala, vel otiosa, quæ fuerit periculum sive per se, sive ratione circumstantiarum, teneris illud resarcire, quamvis aliunde adhibueris diligentiam ne eveniret, & illud non intenderis: nam illud damnum est tibi sufficienter voluntarium in causa; & intulisti injuriam damnosam illi tertio. Secus est, si damnum eveniret alteri ex tua actione non mala, licet periculosa, sed utili tibi, cujus faciendæ jus habebas, modo adhibueris debitam ad illud impediendum diligentiam, quæ adhiberi potuit, retenta illa actione licita: tunc enim damnum illud tibi non imputaretur, cum utaris jure tuo, ex cap. 31. *de elect.* ex l. 193. §. *de reg. jur.* Sed si non adhibueris debitam diligentiam, ne aliis damnum eveniret, teneris de damno: nam quisque tenetur curare, ne ex sua actione damnum eveniat alteri. Propter eamdem rationem teneris restitue-

re dam-

re damnum, si jus non habeas faciendi aliquid periculosum, licet non malum. Lib. 28. *ad leg. Aquil.*

Resp. 2. Teneris resarcire damnum, quod alteri evenit ex tua actione mala, vel inutili, si damnum illud intendisti, licet ex ea plerumque damnum non eveniat: nam tunc damnum tibi voluntarium est in se.

Resp. 3. Teneris resarcire damnum, quod obvenit alteri ex actione tua mala, vel inutili, quamvis ex ea plerumque damnum tertio non eveniat, nec illud intenderis, si prævideris probabiliter eventurum. Quia tunc damnum illud est voluntarium tibi in actione illa mala tamquam in causa, vel saltem tamquam in occasione, quæ est æquivalenter causa. S. Thom. 1. 2. quæst. 74. art. 8.

Resp. 4. Non teneris resarcire damnum, quod ex tua actione mala non periculosa obvenit, si illud non intenderis, nec potueris prævidere obventurum, eo quod nunquam, vel fere nunquam illud eveniat ex tali actione in talibus circumstantiis. Quia tunc damnum illud nec in se, nec in alio tibi voluntarium est, ut patet.

Quæst. XII. An in dubio de damno secuto ex actione mala per se damnificativa est obligatio restituendi?

Resp. 1. Qui injuste posuit actionem ex se impeditivam lucri, vel damnificativam tenetur in dubio restituere pro ratione dubii, seu quanti æstimatur certum subeundi damni periculum. Quia talis fuit causa injusta periculi, quod alter subit, patiendi damnum, nec constat non passum fuisse. A fortiori, qui certus est de patrata a se actione injusta per se sufficiente ad damnum inferendum, & de damno secuto, sed dubitat an secutum sit ex illa, tenetur restituere saltem pro ratione dubii, & æstimationis periculi: nam præsumptio juris valet, quamdiu de contraria veritate non constat; tunc autem est præsumptio juris damnum ex illa actione, v. g. consilio malo, secutum esse, ex reg. 45. jur. in 6. Idem dic de omissione injusta, hoc est omissione rei ex justitia debitæ, dum dubitatur, an ex ea secutum sit damnum: nam in moralibus omissio injusta est æquivalenter actio injusta.

Quæst. XIII. An qui solo exemplo movit efficaciter alium ad damnum inferendum, tenetur damnum ab hoc illatum resarcire in ejus defectum?

Resp. Affirm. Si hoc eventurum probabiliter præviderit; quia talis vere movit alium ad damnum inferendum, & æque est causa damni, quod ex motione exempli sequitur, ac si sequeretur ex consilio. Idem dic de eo, qui hoc eventurum prævidere aut potuit, aut debuit.

Quæst. XIV. An quis tenetur resarcire damnum irrogatum per suum mancipium, animal, vel filium?

Resp.

Resp. 1. Ante omnem sententiam tenetur ratione culpæ si negligens fuit in præcavendo, ex cap. 3. 4. & ult. *de injur.* Nam tunc damnum illud ei voluntarium fuit in omissione diligentiæ debitæ, ideoque ei merito imputatur; cum dominus, & pater teneatur ex justitia impedire, ne aliis damnum inferatur a suis, vel per sua animalia.

Resp. 2. Si damnum irrogatum sit sine culpa voluntaria domini, hic tenetur dare pro noxa mancipium, vel animal, aut damnum compensare, ex jur. civ. instit. ff. & cod. *de noxal. actionibus*, &c. Canon. cap. ult. *de injur.* Et ratio est, quia cum animal, vel servus non sint sui juris, sed totum quod sunt, domini sint, leges juste disposuerunt, ut sicut omnis utilitas ab eo proveniens domini est, ita etiam & damnum domini sit, nisi velit ipsum pro eo tradere: nam qui sentit commodum, debet sentire & onus, reg. 55. jur. in 6. Quare hæ leges obligant ante sententiam, nisi ex consuetudine legitime præscripta, sententia requiratur. Item quando ex domo aliquid projicitur, vel effunditur, quod damnum intulit, si ante non fuit clamatum, caput familiæ in illa domo habitantis tenetur ad solvendum duplum illius damni, quamvis sine ejus culpa illati. L. 1. & l. 6. §. *de his qui effud. et.* Sed juxta multos, si dominus vere peccato careat, nihil tenetur restituere ante sententiam; quia sic usu receptæ sunt leges illæ, nec id necessarium est ad finem illarum. At post sententiam tenetur in conscientia parere sententiæ judicis, quia hæc fundatur in legibus, quæ ad bonum commune, & pacem publicam ita statuerunt.

Resp. 3. Parens non tenetur ex delicto filii, vel damnum resarcire, vel filium noxæ dedere, si absque parentis culpa commissum est, ex Instit. *de noxal. action.*

Quæst. XV. An qui impedivit alterum a consecutione alicujus boni tenetur ad restitutionem?

Resp. 1. Qui quocumque modo, etiam solis precibus, vel consilio, saltem absque causa justa, impedit aliquem a consecutione boni ipsi ex justitia debiti, sive habeat jus in re, sive solum jus ad rem, peccat contra justitiam, & tenetur compensare totum damnum. Ita omnes. Quia illius fuit causa injusta, violando jus, quod habet alter ad habendum illud bonum. Unde si alter habeat jus in re, impediens tenetur restituere valorem illius rei; si vero solum jus ad rem, tenetur restituere, quanti jus illud judicio prudenti æstimabitur. Idem dic de impediente alterum, ne utatur jure suo, v. g. exercendi suam artem, operam locandi &c.

Resp.

Resp. 2. Qui vi, fraude, dolo, minis, detractione, calumnia, mendacio, vel alio modo injusto impedit aliquem a consecutione beneficii, vel officii, quo dignus erat, vel alterius boni ex justitia non debiti, ut doni, legati &c. tenetur restituere, quanti judicio prudenti ea spes ei valebat. Est omnium teste Sanchez. Quia licet impeditus non habeat jus strictim ad tale bonum, jus tamen habet, ne ab illius consecutione, per vim, fraudem, vel aliam quamvis viam illicitam impediatur, & ut perfecte cuique liberum sit ei gratificari. Idque sive vis, vel fraus exerceatur circa eum, qui impeditus est a consecutione boni; sive circa collatorem. Dixi, *quanti spes* &c. Nam non tenetur ad æquale, *quia gratiam illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri*, ait S. Thom. quæst. 62. art. 2. ad 4. Quod si nulla erat spes, non tenetur restituere damnum, cum reipsa nullum intulerit. Si tamen exigua spes fuisset, compensanda est judicio prudenti. Qui autem a consecutione beneficii ecclesiastici, vel officii aliquem indignum impedivit per vim, & fraudem, licet peccaverit, non tenetur restituere, cum indignus nullum ad illud jus habeat, etiam conditionatum, & in libera collatoris voluntate positum. Idem dic, si a consecutione beneficii aliquem dignum, & spem habentem impedivit, ut digniori conferatur. Si tamen impediat calumnia, & detractione, tenetur ad restitutionem famæ, sicut in primo casu. Idem dic, si dignum solis precibus, & commendatione impedias, ut æque digno conferatur, quia via injusta non impeditur, & tibi licet petere pro æque digno: secus, si injusta via talem impedias; nam tunc teneris ei restituere, quantum ea spes ei valebat.

Resp. 3. Qui, etsi sine fraude, aut vi, aut alia injusta via, impedit dignum a consecutione beneficii, vel officii, ut detur indigno, tenetur ad restitutionem Ecclesiæ, vel Reipublicæ quæ inde damnum injuste patitur. Est communis sententia. Quia utraque jus habet, ne damnum ei quovis modo inferatur. Idem dic, si modo etsi non injusto impedias digniorem, ut detur minus digno; quia Ecclesia, & Respublica habent jus habendi optimos ministros, & magistratus. Sed juxta multos non tenetur restituere impedito, quia non habet jus in re, nec ad rem, quo debitum ei sit beneficium, vel officium, & quo possit illud jure exigere.

Resp. 4. Ex communi sententia, qui sine fraude, vi, vel alia via injusta aliquem impedivit a consecutione boni non debiti ex justitia, non tenetur ad restitutionem. Quia non fecit injuriam impedito, cum nullum jus habeat

beat ad illud bonum: & impediens liberum cuique relinquat ei gratificari, si velit, cum nullam viam injustam adhibeat. Nec refert, quod alter statuerat donare; quia sine injustitia semper poterat propositum mutare: unde & ad id induci via non injusta. Tamen sine justa causa aliquem a consecutione boni non debiti impedire via non justa est contra charitatem, qua debemus velle bonum proximo.

Sed quid, si alterius procuratorem, vel tabellarium, litteras, aut mandata alterius deferentem ad impetrandum beneficium, vel aliquod negotium, detineam prætextu recreationis, vel potionis, sciens hanc detentionem nocituram mandatario?

Resp. Peccas contra justitiam, & teneris ad restitutionem: quia mandatarius habet jus, ut procurator, vel tabellarius, seu famulus diligentiam adhibeat, & moram vitet, ad quod tenetur ex justitia; & tu scienter impedis executionem, ac usum ejus juris, seu id, ad quod ille jus habet.

Quæst. XVI. An accepta ob opus malum restitui debent?

Resp. 1. Sic accepta ante opus malum patratum restitui debent. Ita omnes. Quia ista non dantur, nisi ea lege, ut accipiens se obligaret ad opus malum, ad quod impossibile est obligari, ex cap. ult. *de pactis*.

Resp. 2. Crimine patrato pretium retineri potest, nisi per legem aliquam acquisitio sit irrita, vel accipiens sit inhabilis ad acquirendum illius dominium. Ita S. Antonin. & alii multi: nam ex l. 4. §. *de condict. ob turp. caus.* & ex S. Thom. q. 62. art. 5. ad 2. & in 4. dist. 15. q. 2. art. 4. q. 2. Mulier potest retinere id, quod acquisivit per meretricium. Et promissio de solutione pretii valet, si consideretur, ut facta ex suppositione conditionis positæ, quamvis non valeat, ut facta sub conditione ponenda. Dixi, *nisi per legem &c.* Quia quando lege aliqua positiva accipiens redditur inhabilis ad acquirendum dominium, vel annullatur actus, ex quo pendet acquisitio, tunc res accepta restitui debet. Nam bona, & actus subditorum subjiciuntur voluntati justæ legislatoris in ordine ad bonum commune. Quod si is, qui dedit, fiat per legem incapax datum retinendi, si restituatur, tunc restitutio fieri debet pauperibus, vel aliis piis operibus: secus fieri debet danti.

Resp. 3. Quoad praxim, in pœnitentiam imponenda est a Confessario obligatio dandi pauperibus, vel piis causis accepta pro quovis opere malo patrato, si accipiens non indigeat: tum quia peccatum est tali pœna dignum: tum

ne lu-

ne lucrum ex peccato reportet, & sic ad peccatum affectum retineat, & ad illud iterandum alliciatur.

Quæst. XVII. An accepta ob opus bonum jam debitum restitui debent?

Resp. 1. Accepta pro actione, vel omissione debita ex justitia restitui debent danti. Est communis sententia: quia tunc nullus est titulus, seu jus accipiendi, & retinendi; non ex contractu oneroso, cum ejus natura sit, ut utrimque obligationem pariat; nulla autem nova obligatio imponitur ei, qui jam ex justitia obligatus est. Non item ex pacto gratuito, quia danti non est animus liberaliter dandi; sed dat coacte ex metu injuriæ, ne jure suo defraudetur. Responsio vera est, etiamsi pretium detur tibi ab alio tertio, cui nihil debebas. Est communis sententia. Nam ille vere dat pro re, quam gratis dare debes, & ad quam jus habet is, cujus causam gerit, & pro quo petit.

Resp. 2. Accepta pro opere debito ex charitate tantum, vel aliis virtutibus, quod sine labore, sumptu, ac periculo fieri potest, restitui debent: quia communi hominum judicio talia opera non sunt pretio æstimabilia; nec omnino voluntarie, & liberaliter aliquid pro illis datur, sed coacte ob necessitatem. Hinc qui accepit pecuniam, ut furem v. g. indicet &c. tenetur eam restituere. Si autem opus illud ex sola charitate debitum fieri nequeat sine labore, sumptu, vel periculo, aliqui docent accepta pro eo retineri posse: quia qui pro illo accipit, vel exigit pretium, peccavit solum contra charitatem, cum opus illud sit pretio æstimabile. Alii nihil distinguunt, & censent accepta pro quovis opere ex charitate, vel alia virtute debito restituenda esse: quia inique exigitur, & accipitur pretium pro opere, quod nullo oblato pretio præstari debet; & dans coacte, & rationabiliter invitus dedit, nempe timuit, ne alioqui fieret id, quod debetur.

Resp. 3. Si constet aliquid sponte, ac liberaliter donatum præcise ad inclinandum accipientem ad bonum opus ex justitia, vel charitate debitum faciendum, hic non tenetur illud restituere: Quia donatio gratuita, ac voluntaria est justus titulus retinendi donum gratuitum; nisi lege positiva inhabilis sit ad acquirendum dominium rei dono datæ, ut diximus supra.

Resp. 4. Qui aliquid accipit pro actione, vel omissione, quæ solum cedit in suum commodum, vel in honorem Dei, non tenetur illud restituere: quia illud ex causa, vel sub conditione donatum est omnino voluntarie, ac liberaliter, ut si des alteri aliquid, ut Sacrum audiat, jeju-

jejunet, ne ebrietur, non obligando eum ad hoc opus &c. Qui tamen accepit aliquid, ne crimen admittat, quod legibus punitur, cogitur in judicio ad restituendum; & post sententiam tenetur restituere, cum sit justa, & legi conformis.

Quæst. XVIII. Quid restitui debet ratione rei acceptæ?

Resp. Qui tenetur restituere solum ratione rei acceptæ, ex communi sententia tenetur solum restituere rem alienam, si adhuc extet, vel id, in quo ex ea factus est ditior, si non extet apud se, & ad fructus extantes; aut quatenus ex iis factus est ditior: Quia tantumdem, & non plus habet ex re aliena, sive in æquivalenti, l. 25. §. *de petit. hæred.* Alienum autem in æquivalenti quis possidet, cum rem alienam consumendo, aut donando, rebus suis pepercit, vel alienando aliquid acquisivit.

Quæst. XIX. Ad quid tenetur possessor bonæ fidei?

Resp. 1. Qui rem alienam bona fide possidens putat prudenter esse suam, ubi primum novit esse alienam ex communi sententia tenetur eam restituere prima opportunitate, l. 22. §. *de petit. hæred.* quia dominus habet jus rem suam possidendi. Quod si tunc non reddat, incipit esse possessor malæ fidei, & tenetur ad restitutionem tum rei acceptæ ratione, tum etiam ratione injustæ detentionis; quæ est æquivalenter injusta acceptio: unde si interim res etiam casu pereat, tenetur ejus pretium restituere, cum fuerit in mora culpabili. Tenetur autem rem eamdem domino restituere, nec licet ei pecuniam, vel aliud pro illa sine ejus consensu dare: quia res illa in individuo est domini, ex lib. 3. Reg. cap. 21. de vinea Naboth.

Resp. 2. Ex communi sententia, si possessor bonæ fidei consumpsit, vel amisit, vel alienavit, tenetur restituere, si non sit inde factus ditior, ex *institut. de offic. judic.* & l. 33. §. *de petition. hæred.* Nam non tenetur plus restituere, quam ex ea possideat, sive in se, sive in æquivalenti. Sed tenetur restituere id, in quo factus est ditior ex re aliena, ex loco cit. Quia id succedit in locum rei acceptæ, quæ tunc extat in æquivalenti apud ipsum. Hinc nihil tenetur restituere, si res aliena durante bona fide periit casu, vel etiam culpa, item si eam donavit, aut consumpsit, aliam non donaturus. Secus, si aliam ex suis erat donaturus, quia tantumdem ex suis bonis servavit, & sic ex re aliena plus habet, quam alioqui haberet. Si autem rem alienam sibi donatam vendidit, te-

netur

netur (5) ejus pretium domino ipsius rei restituere: nam habet pretium rei, quod est æquivalenter res ipsa, & sic factus est ditior ex re aliena.

Resp. 3. Ex communi sententia possessor bonæ fidei tenetur (6) deductis expensis, & laboribus restituere domino fructus rei naturales, & mixtos, qui apud illum extant, l. 22. Cod. *de rei vind.* Nam fructus, qui ex aliqua re nascuntur, pertinent ad eum, ad quem pertinet res ipsa. Si illi fructus non extent, tenetur solum, quatenus ex illis factus est ditior: nam res alterius extat tantum apud ipsum æquivalenter, quoad hoc, ex l. 1. Cod. *de petition. hæred.* Sed non tenetur restituere, 1. Fructus meræ industriæ; quia non sunt fructus rei. 2. Fructus, quos negligentia sua non percepit, quamvis eos percepisset

(5) Quod si rem alienam bona fide vilius emit a fure, & bona fide carius revendidit, excessum pretii restituere aliquando tenetur, aliquando non. Si excessus pretii a mera sua industria provenit, nulla est obligatio restituendi, ut patet ex his quæ Auctor scribit. Si vero excessus non industriæ solum, sed etiam rei venditæ fructus sit, non videtur totus excessus a restitutione immunis, sed id solum quod vir prudens judicaverit vendentis industriæ & labori respondere: nam æquum est, ut, qui sentit onus, sentiat & commodum: porro si res illa periisset, aut deterior facta fuisset in manu possessoris bonæ fidei, onus illud in Dominum cecidisset, etiamsi eadem res in manu Domini, nec peritura fuisset, nec deterior evasura; proinde æquum est, ut deductis deducendis, Dominus augmentum ejus percipiat.

(6) At Dominus qui rem suam repetit tenetur refundere valorem expensarum meliorationis, quamvis non ipsum valorem meliorationis; nam sæpe melioratio rei pluris valet quam expensæ in re melioranda factæ. L. *in fundo* part. *de rei vendit.* Item si expensæ superent valorem meliorationis, Dominus rei non tenetur aliquid pro hoc excessu refundere. Item si Dominus rei minori pretio, puta dimidio, meliorationem hanc per se fecisset, non tenetur nisi ad refundendum dimidium pretii quod in hujusmodi expensis insumpsit alter. Denique si possessor ex fructibus rei tantum percepit & consumpsit quantum expendit, nihil pro expensis exigere potest; quia per hoc compensationem recepit.

Quod si impensæ factæ pro illa re fuerint voluptuosæ, æquum est, si impensæ illæ auferri possint absque rei vel fundi deterioratione, ut Dominus eas auferri concedat. Secus est, si meliorationes ita fundo adhæreant, ut ab eo vel nullatenus, vel non sine gravi læsione auferri possint: non enim tenetur Dominus rei sumptus, nulla urgente rationabili causa, sed ob voluptatem factos a quibus ipse abstinuisset, exsolvere: Leg. 27. part. *de Negot. gest.* Ast possessor bonæ fidei repetere potest, ad discrimen possessoris malæ fidei, expensas necessarias aut utiles quas fecit, quæque postea perierunt. L. 38. part. *de hæred. pet.*

ſet dominus rei : nam non tenetur dominum indemnem reddere, nec reſtituere in priſtinum ſtatum, cum eum ab illo non detruſerit, ſaltem culpabiliter : unde nec tenetur lucrum ceſſans, aut damnum emergens compenſare. 3. Juxta multos non tenetur reſtituere fructus naturales, & mixtos, quos bona fide, & cum titulo colorato poſſedit per triennium, etiamſi inde factus ſit ditior : quia res mobiles præſcribuntur triennali poſſeſſione cum titulo colorato. *Inſtit. de uſucap.*

Quæſt. XX. An, & cui reſtituenda ſunt bona vacantia, & derelicta?

Reſp. 1. Bona vacantia, ideſt, quæ relinquit aliquis ab inteſtato decedens ſine hæredibus, qui ſecundum leges ei ab inteſtato ſuccedunt, reſtitui debent fiſco : quia ad fiſcum pertinent, l. 4. Cod. *de bon. vac.* Bona tamen vacantia peregrinorum in pios uſus per Epiſcopum impendi debent, Authent. *Omnes peregrini*, Cod. *de ſucceſſ.*

Reſp. 2. Bona derelicta, vel quæ nullum unquam habuere dominum, jure naturæ, & gentium ſunt inventoris : nam cum nullius ſint, ſunt primo occupantis, niſi aliter leges ſpeciales ſtatuant, ex *inſtit. de rer. diviſ.* & lib. 1. §. *Pro derelicto* : bona autem derelicta ſunt ea, quæ dominus eo animo adjecit, ut jam eſſe ſua nolit. *Inſtit.*

Quæſt. XXI. An, & cui reſtitui debent bona inventa, & bona, ac debita incerta?

Bona, ac debita incerta dicuntur ea, quorum dominus, vel creditor, vel ejus hæres cognoſci, vel inveniri nequit poſt (7) diligentem inquiſitionem, quæ judicio prudentis ſufficiat pro rei gravitate. Item conſervari debent, quando eſt ſpes dominum inveniendi. Quod ſi dubitetur ſolum, cui ex pluribus res debeatur, tunc, ſi dubium reſolvi nequit, inter illos ex æquo dividi debet juxta quantitatem dubii, ut ſervetur æqualitas. Unde

Reſp. 1. Bona aliena inventa, quorum dominus, vel ejus hæres poſt diligentem inquiſitionem cognoſci non poteſt, impendi debent in pauperes, vel in alia pia opera, ex Catech. Rom. ex c. *Si quid*, 14. q. 5. ex Authent. *Omnes*, Cod. *Communia de ſucceſſ.* & ex l. 44. §. *de furtis*. Ratio (8) eſt, quia res, quæ remanent in dominio alte-

(7) Hæc autem inquiſitio fieri debet expenſis rei reſtituendæ, ſi agatur de poſſeſſore bonæ fidei ; ſi vero de poſſeſſore malæ fidei, impenſis ejuſdem poſſeſſoris, qui damnum quod patitur ſibi imputare debet.

(8) Ex his ſequitur, confeſſarios bonorum inventorum elargitionem pœnitentibus inculcare de-

alterius, si nequeant ei reddi, jure naturali debent impendi secundum rationabilem ejus voluntatem, & prudenter præsumptam: Hæc autem censetur rationabilis voluntas dominorum, cum sic impendantur optimo, quo impendi possunt, modo. Jamvero si in rei inventione nullus labor, vel sumptus impensus fuit; inventor non potest quidquam retinere, aut exigere, quia nullum habet ad id jus, & titulum. Potest tamen accipere, quæ ipsi dantur, vel liberaliter ex gratitudine, modo nihil exigat, vel propter laborem, si quis fuit.

Resp. 2. Bona, vel debita incerta sive ex delicto, sive ex contractu, vel ratione rei acceptæ, restitui debent pauperibus, vel aliis piis causis, idque jure naturali secundum communem sententiam, teste Delugo. De bonis injuste partis constat ex cap. 5. *de Usur.* ex cap. *Nemo*, 14. q. 5. Ratio est, quia nemo debet commodum ex sua iniquitate reportare: & dominus non vult talia bona retineri ab injusto possessore: alioqui daretur occasio injuriis inferendis sub spe juste retinendi injuste parta: De bonis, ac debitis non ex delicto constat etiam ex dictis: quia bona, ac debita incerta sunt instar rerum inventarum, quarum dominus cognosci nequit, & eadem ratio, idemque judicium est de illis, ac pro illis.

Sed quid si post applicationem inveniatur dominus?

Resp. 1. Si ante diligentem inquisitionem bona, vel debita certa impendisti in pauperes, teneris adhuc restituere domino comparenti. Est communis sententia. Quia fecisti injuriam vero domino, qui jus habet, ne bona sua amissa sine diligenti inquisitione alienentur. Si tamen res adhuc existat apud pauperem, vel locum pium, hic restituere tenetur, quia qui dedit non potest transferre dominium, quod proinde manet apud dominum. Secus, si post diligentem inquisitionem erogasti pauperibus. Si tamen ea tibi tamquam pauperi applicuisti, Lessius docet te tene-

debere; &, si renuant, eamdem ipsis per modum pœnitentiæ imponere, immo & absolutionem negare, quia opinio contraria prorsus est improbabilis, & naturali legi adversa. Ubi notandum est, tutiorem & utiliorem inventa bona restituendi modum esse, si expendantur, ut offeratur sacrificium pro dominis; deinde si fiant eleemosynæ ab eo, qui probabiliter credatur esse in gratia, ut per modum suffragii prodesse possint creditoribus defunctis.

Si autem inventor pauper sit, antequam rem inventam sibi applicet, consulat Confessarium, ut omne propriæ deceptionis periculum declinet; quod si nullum sit periculum, opus non erit alieno consilio; atque hoc locum etiam habet in bonis incertis, quæ ex injusta acceptione possidentur.

teneri ea restituere domino postea cognito, modo adhuc extent in se, vel in pretio; quia teneris ratione rei, nec es in tanta necessitate, ut ea tibi possis reservare. Recte autem monent, si res inventa, vel debita sit magni momenti, potius eam Xenodochio, vel Monasterio pauperi, quam aliis pauperibus, dandam esse, sub obligatione eam restituendi domino, si comparuerit.

Resp. 2. Secundum multos pauper, vel pius locus, cui bona incerta erogata sunt, non tenetur ea restituere domino comparenti, nisi data fuerint sub hac conditione: quia pauper, vel locus pius acquisivit absolute dominium. Sed alii docent rem restituendam esse, si adhuc extet in se, vel in æquivalenti: quia donatio facta est sub conditione tacita, *Si non compareat dominus*: alioquin negotium ejus non esset sat bene gestum: quod mihi videtur probabilius de re, quæ adhuc extat in se.

Quæst. XXII. An, qui habet rem alienam, tenetur ad restitutionem, si pereat, vel deterior fiat ex casu fortuito?

Resp. Qui rem alienam injuste accepit, vel detinet, ex communi sententia tenetur de damno omni, etiam fortuito: quia ratione injuriæ tenetur dominum rei indemnem servare. Qui vero rem alienam bona fide, vel ex contractu habet, non tenetur de casu fortuito, si absit culpa, mora, & pactum, ex l. 23. §. *de reg. jur.* & cap. unic. *de commendat.* quia his seclusis res qualibet perit domino, l. 9. Cod. *de pignor. act.*

CAPUT QUARTUM.

De cooperantibus ad damnum.

Quæst. I. AN qui cooperantur ad damnum alterius, tenentur ad restitutionem?

Resp. Affirm. Ita omnes: quia quisque jus habet, ne ei quocumque modo directe, vel indirecte, immediate, vel mediate damnum sine justa causa inferatur, & ut resarciatur injuste illatum, ex cap. ult. *de injur.* Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: „Qui alium „movet, & inducit ad inferendum grave damnum ter„tio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati: “ Novem autem sunt modi, quibus quis potest cooperari damno alterius: unde secundum omnes causæ cooperantes sunt quatuor, scilicet mandans, consulens, consentiens, palpo, seu adulator, receptator, participans, mutus, non

obstans, non manifestans: quarum sex priores sunt positivæ, tres vero posteriores negativæ. Comprehenduntur his versibus apud S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 7.

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Quæst. II. Quid requiritur, ut cooperantes teneantur ad restitutionem?

Resp. 1. Requiritur, ut sua cooperatione fuerint causa damni: nam qui non est causa damni, nullum reipsa intulit; qui nullum damnum intulit, nullum tenetur resarcire. S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 7.

Resp. 2. Ut jubens, consulens, consentiens, laudans, receptator, adjuvans teneatur restituere, sufficit, ut executor, mandato, consilio, consensu, adulatione, recursu vere motus sit, vel alterius auxilio, & opere adjutus sit ad damnum inferendum. Quia tunc sunt vere causa damni. Idque certum, inquit Lessius, etiamsi alius non defuisset, qui jussisset, consuluisset, adjuvisset &c. Quia talis ita est causa damni in hoc casu, ut si ipse, vel alius similis non moveret, vel adjuvaret executorem, damnum non fieret: ergo vere est causa, sine qua non fieret damnum. Quare controversia solum esse potest, quando executor absque illo consilio, mandato, laude, ministerio, auxilio idem damnum illaturus fuisset, quamvis nulla alia similis causa fuisset superventura. Tunc etiam esse obligationem restituendi affirmant Cajetanus, Sotus, Medina, Vasquez, Molina, quos refert, & sequitur Delugo, asserens hanc esse communem sententiam inter Recentiores, modo revera suo consilio, mandato, vel auxilio cooperetur de facto ad damnum. Quia talis est vere causa damni: nam esse causam non est, quod illa deficiente effectus non fieret, sed quod illa etiam reipsa cooperetur ad damnum. Unde quoties tuum consilium, vel auxilium vere movet, & influit, licet eo deficiente idem damnum fieret, adhuc vere es causa damni: nam vere damnum adhuc oritur ex tuo consilio &c. Cæterum (9) in dubio, an alter tuo con-

(9) Dubius, an dederit mandatum, vel consilium, vel auxilium executori damnificationis injustæ, non tenetur restituere; quia mandatum, consilium, &c. de maleficio non præsumitur, l. 2. §. de noxial. action. 2. Certus se dedisse mandatum, consilium, &c. damnificationis injustæ, in dubio an damnum secutum sit, tenetur ad æstimationem incertitudinis, licet damnum non præsumatur secutum: quia tunc, si pro æstimatione incer-

consilio &c. efficaciter motus fuerit ad damnum inferendum, nec ne teneris restituere. Quia in dubio nemo præsumitur malum sua sponte facturus; & quia possessio stat pro obligatione restituendi, cum constet positam esse caussam de se damni illativam. Vide dicta q. XI.

Sed quid, si executor consilio, aut alia simili causa mo-

---

incertitudinis non reparetur, est periculum incurrendi reatum injustitiæ; cui periculo se exponere non permittit jus naturale, & divinum; immo nec jus humanum, juxta legem, *Si jactum* 12. §. *de act. empti*. 3. Certus de dato a se mandato, consilio, seu alia causa ex se damnificativa simul & de damno secuto (v. g. homicidio, vel furto,) in dubio an hoc secutum sit ex vi illius, tenetur pro ratione dubii ad æstimationem illius incertitudinis: sequitur a fortiori ex proxime dictis.

Immo valde probabiliter tenetur ad totum damnum, prout docet S. Thomas 2. 2. q. 67. a. 7. Ratio est, quia dum certum est, aliquem posuisse causam ex se damnificativam, damnumque secutum esse, tunc, in dubio, præsumptio juris est damnum ex illa causa secutum esse, uti constat l. *Qui in aliena* §. 4. *de acquir. hæredit.* Nihilominus plures sunt casus, in quibus præsumptio ista eliditur per vehementes conjecturas, & circumstantias in contrarium, ut e. gr. si homicidii executor, antecedenter ad consilium, habeat capitale odium erga occisum, ex quo efficacem formaverat intentionem occidendi ipsum, idque jam minatus erat, vel omnia ad executionem necessaria disposuerat, eratque audax & potens ad exequendum: item, si post consilium datum, illud oblata occasione neglexerit, solumque ad executionem venerit, novis inter utrumque simultatibus ortis, vel antiquis ex nova occasione auctis; item si homicida testetur, se motum non fuisse alterius consilio, & circumstantiæ suadeant, id ab ipso non dici in gratiam consulentis, ad ipsum a pœna vel restitutione liberandum.

4. Certus de causa damni a se posita, damnoque secuto, v. gr. violenta constupratione, sed dubius, an majus, an minus damnum secutum sit (v. gr. an constuprata fuerit virgo) tenetur ad æstimationem istius incertitudinis; immo valde probabiliter ad majus, quando præsumptio juris est pro majori, prout in casu dicto: nam virginitas, quæ fuit ab initio, non præsumitur antea ablata. Unde virginitas extra conjugium non præsumitur voluntarie amissa; cum sic amitti nequeat absque delicto, quod in dubio non præsumitur.

5. Quoties constat, injustæ damnificationis causam ab uno ex certis pluribus esse positam, & nescitur a quo, omnes dubii tenentur ad partem damni, pro ratione damni illati; sicut enim in dubio, quisnam e certo numero damnum injuste sit passus, omnes dubii recipere debent partem ejus quod restituitur; sic plures dubii, quis ex illis damnum intulerit, tenentur pro ratione dubii ad resarciendam partem damni. A fortiori id verum est, dum constat causam damni a pluribus certis esse positam, & damnum esse secutum ex uno ex illis, sive operantibus, sive cooperantibus, & dubitatur ex cujus opere, vel cooperatione. Hæc sententia est communis apud Juristas, a quibus ex variis legibus probatur.

motus est tantum ad damnum inferendum facilius, confidentius, vel citius?

Resp. Multi negant mandantem, aut consulentem teneri tunc restituere; quia tum rem moraliter æstimando, non est causa efficax damni, & nihil interest ad damni illationem, an facilius, confidentius &c. illatum sit. Et ita sentire dicunt S. Thomam in 4. dist. 15. q. 1. art. 5. ad 3. quæstiunc. S. Antonin. 2. part. tit. 2. cap. 1. §. 6. Medina vero, Cajetanus, Soto, Molina, & alii affirmant. Quia adhuc talis est vera causa damni: nam est causa hujus individuæ actionis damnosæ, quæ hic, & nunc fit, & ad eam concurrit. Porro adhuc probabilius est teneri ad restitutionem eum, qui fuit causa, ut damnum citius inferretur, tum ex lib. 51. §. *ad leg. Aquil.* tum quia alioqui potuisset executor mutare voluntatem, vel impediri a damno inferendo, & sic damnum sine tuo consilio, vel opera potuisset non extitisse, & forte non extitisset.

Quæst. III. An omnes cooperantes ad damnum teneantur singuli in solidum?

Resp. 1. Mandans, consulens, consentiens, laudans, vel receptans &c. tenetur ad restitutionem totius damni, si causa fuit totius damni; partis vero, si solum partis causa fuit. Nam quisque tenetur resarcire totum, & solum damnum, cujus causa fuit injusta. At cum plures cooperantur ad idem damnum inferendum sic, ut singuli sint causa actionis injustæ, seu conferant in actionem injustam; ut dum plures communi consilio, opera, auxilio domum, vineam, hortum spoliant &c. tunc singuli tenentur in solidum, idest, unusquisque tenetur non solum restituere pro sua parte, sed etiam resarcire totum damnum, si alii non restituant, vel quia nolunt, vel quia non possunt: nam singuli in totum damnum influxerunt communi conspiratione, opera, vel auxilio; & reipsa actio damnosa est communis omnibus, ex l. 51. §. *Ad leg. Aquil.* Ad obligationem autem in solidum satis est, quod quilibet eorum sit causa, ex qua damnum illatum est, sive unus seorsim ad illud sufficeret, sive non. Porro non restituentes, vel quia nolunt, vel quia non possunt, tenentur suam partem rependere alteri pro se restituenti, cum possunt; nam actio damnosa vere a singulis manat. Hæc autem obligatio in solidum ad totum magis adhuc constat respectu participantis, qui ita concurrit ad damnum, ut sola ejus actio sufficeret ad illud creandum, licet non sola illud creaverit. Quia ex modo, quo influit, totaliter ponit effectum, & est causa simpliciter illius. Quando vero plures sic damnum inferunt, ut singuli

solum

solum faciant partem damni independenter a se mutuo, ita ut unus non moveat, nec incitet, nec adjuvet alium; tunc singuli non tenentur in solidum, sed solum pro sua parte, & independenter a se invicem. Quia tunc unusquisque non est causa totius damni, sed solum partis damni, quod per se intulit.

Resp. 2. Mutus, non obstans, non manifestans, seu causæ non impedientes damnum alterius, cum ex justitia tenentur impedire, ex communi obligantur in defectum aliorum ad restitutionem in solidum: quia sunt causa injusta totius damni post alios, cum causa permissiva damni contra debitum justitiæ, sit vera illius causa injusta, nam potuit, & debuit illud ex justitia impedire, & tamen non impediit.

Quæst. IV. Quo ordine cooperantes tenentur ad restitutionem?

Constat in primis omnes cooperantes quovis modo ad grave damnum injustum peccare mortaliter, ex Rom. 1. Præterea is dicitur primo loco teneri ad restitutionem, qui sic ad eam tenetur, ut ipso restituente cæteri nihil debeant; & alteri restituenti ipse quod solvit totum rependere teneatur. Secundo loco teneri dicitur, qui si restituerit, cæteri nihil debent excepto primo, qui totum solutum tenetur ei rependere, & sic de aliis.

Resp. Inter obligatos in solidum hic ordo ex communi Doctorum sententia servandus est. Primo loco, & ante omnes tenetur is, apud quem res aliena extat in se: nam qui rem alienam in individuo habet, tenetur eam restituere ratione rei acceptæ, ideoque primario. Quod si res aliena jam non extat in se, & is ad quem pervenit, consumpsit, aut alienavit eam mala fide, sciens, aut saltem dubitans esse alienam; tunc adhuc ante omnes tenetur ejus pretium restituere, ex reg. jur. 36. in 6. Nam cum ex re aliena sciens, ac volens præ cæteris commodum perceperit, æquum est, ut præ cæteris restituere (10) teneatur. Si vero rem alienam habens eam consumpsit, alienavitque bona fide, ignorans esse furtivam, is non tenetur restituere, nisi quantum ex ea re factus est ditior, cum fuerit bonæ fidei possessor. Ad hoc tamen primo loco tenetur, quia quoad hoc habet rem alienam in æqui-

(10) Esse tamen possunt aliqui casus in quibus a restitutione immunis esset, qui rem alienam consumpsisset, neque factus esset ex ea ditior. Sic si herus ovem furto sublatam a famulis suis comedi præcipiat, eo ipso in se suscipere videtur obligationem restituendi in locum famulorum.

in æquivalenti, & ex ea præ cæteris commmodum percepit.

Secundo loco mandans, seu jubens; quia est causa magis principalis; executor vero se habet ut instrumentum. Item, qui fraude induxit, vel metu, aut vi coegit, & cui alter non est ausus contradicere; nam injuste conjecit executorem in obligationem restituendi, eique, & damnificato injuriam intulit. Quare si mandans restituerit, nihil tenetur executor rependere. Eodem etiam quo jubens loco, tenetur is, qui suo nomine damnum fieri rogavit, aut suasit suo nomine fieri, censetur in se totum onus restituendi suscepisse, & se habet instar mandantis. Præterea is, cujus nomine fit damnum est causa principalis, quæ instar finis, & efficientis moralis movet cæteras.

Tertio loco tenetur executor, quia est causa principalis post mandantem, cæteri vero sunt causæ secundariæ: nam magis suo nomine influit in damnum, & illud immediatius attingit, quam illæ aliæ causæ.

Quarto loco, & priorum defectu, cæteræ causæ positivæ, nempe consulens, consentiens, laudans, receptans, adjuvans, tenentur singulæ ad suam partem secundum proportionem suæ cooperationis, & quidem æque primo ratione suæ cooperationis sine ordine inter se. Est communis sententia. Quia una non est cooperata ad damnum mediante altera, & ut instrumentum alterius, vel alterius nomine, sed unaquæque per se in suo ordine. Tenetur autem quælibet totum restituere in defectum aliarum causarum cooperantium. Si tamen executor nomine omnium damnum intulit, omnes simul tenentur primo loco: quia illorum causa factum est, & consentiendo, ut sic fieret, tacite in se receperunt obligationem restituendi. Executor vero, ut talis tenetur tunc secundo loco, nisi sit etiam unus illorum, quorum causa factum est, tunc enim tenetur simul cum aliis.

Ultimo loco post omnes causas istas positivas, & in earum defectum tenentur causæ non impedientes damnum contra debitum justitiæ: tum quia causa negativa minus, ac remotius ad damnum concurrit, quam positiva: tum quia negativa non tenetur ad restitutionem, nisi quia alius damnum intulit, nec resarcit. Si tamen contingeret damnificationem ex consideratione præteritæ negligentiæ superioris, vel custodis incitari ad daminificandum; tunc superior, vel custos non impediens non se haberet, ut causa mere negativa, sed simul ut positiva; ideoque tenetur simul conferre in restitutionem cum causis positivis, & non post illas, ut notat Delugo. Porro,

inter

inter causas negativas non datur ordo, quia neutra est instrumentum alterius, aut magis præcipua; nisi tamen una teneretur magis immediate impedire damnum.

Quæst. V. Quando plures sunt causæ æque principales, vel æque secundariæ, ut videantur æqualiter contulisse ad totum damnum, ad quid singulæ tenentur?

Resp. Tenentur æquas portiones conferre ad damni compensationem. In defectum reliquarum quisque tenetur in solidum, quia quisque concurrit ad totum damnum, cum sit causa totius actionis damnosæ.

Quæst. VI. Si una causa restituerit, obliganturne aliæ?

Resp. 1. Si causa principalis totum restituat, cæteræ omnes liberantur a restitutione. Est communis sententia: quia causæ minus principales tenentur solum restituere in defectum causæ magis principalis, & primario obligata tenetur ei totum rependere. Ita communiter; quia causa minus principalis solvendo acquisivit jus, quod creditor habebat exigendi solutionem a causa principaliori, quæ primario tenebatur; nec par est, ut sit pejoris conditionis, ex eo quod solverit id, quod altera primario tenebatur solvere, & qua solvente nihil deberet; sicque ejus negotium utiliter gessisset, ex l. 43. §. *de negot. gestis*. Si autem creditor remittat causæ magis principali, ut jubenti, vel executori, aliæ sunt liberæ: quia cum remissio extinguat debitum, debitor principalis liber est: unde ii, qui solum in ejus defectum tenebantur, sunt liberi perinde ac si causa principalis restituisset, si vero creditor condonet uni causæ minus principali, tenetur adhuc restituere causa principalis: quia solum remittitur obligatio causæ secundariæ, non causæ principalis, quæ per se tenetur independenter a minus principali. Neque etiam liberantur aliæ, quæ in eodem gradu cum ipsa debent, quia solum portio alterius, non harum, condonatur; aliæ tamen non tenebuntur solvere portionem illius, cui remissio facta est.

Resp. 2. Si una ex causis æqualiter obligatis totum restituerit; aliæ in defectum causæ priori loco obligatæ tenentur singulæ pro sua portione ei rependere. Ita communiter. Quia alias non servaretur æqualitas inter cooperantes illos, cum singuli æqualiter teneantur pro rata; & quia jus, quod habebat Dominus exigendi a singulis partem, translatum est in eum, qui totum prius solvit: neque enim pro sociis solvit, ut essent liberi a restitutione; sed quia illis nolentibus, vel non valentibus restituere, tenebatur domino restitutionem integram procurare. Quod verum est, quamvis alios induxerit; nam non fecit eis injuriam: quia scientes, & volentes induxit sine

vi,

vi, vel fraude, neque mandavit, aut coegit, neque suasit, ut in sui gratiam agerent, sed ob communem utilitatem, vel propriam cujusque. Quod si unus ex æqualiter obligatis nollet, aut non posset suam portionem restituere, cæteri tenentur hanc partem ferre, & æqualiter inter se dividere, ut ex dictis constat.

Quæst. VII. Quandonam in particulari singulæ causæ cooperantes ad damnum tenentur ad restitutionem?

Resp. Ad singula totidem paragraphis.

§. I.

De Mandante.

Resp. 1. IS, cujus mandato, sive expresso, sive tacito alter motus fuit ad damnum inferendum, ex communi sententia tenetur primario ad restitutionem, sive (11) auctoritate polleat, sive non: nam ejus nomine, ac auctoritate fit damnum; & mandans, seu jubens necessitatem quamdam moralem executori imprimit, qui censetur esse solum ejus instrumentum, cap. 6. de sentent. excomm. immo tenetur resarcire non solum damnum, quod præcepit, sed etiam quod ex mandato inde præter ejus intentionem secutum est, si res præcepta fuerit periculosa. Quia tunc mandans fuit causa culpabilis talis damni, aut saltem dedisse censetur sua culpa occasionem tali damno, ex cap. ult. *de homic.* in 6. Dixi *tacite*, ut si quis famulo, vel filio, aut alteri, qui ipsius imperio moveatur, dicat: vindictam ex tali opto: aut quid simile, l. 1. §. *mandat.*

Resp. 2. Ex communi sententia si jubens ante damnum illatum mandatum revocet, idque mandatario innotescat, non tenetur restituere damnum postea illatum. Quia jam non censetur causa damni, cum illud non proveniat ex mandato. Secus, (12) si revocatio mandati ante damnum

---

(11) Idque verum est, sive hoc modo tacite mandans expresse intenderit damnificationem, sive implicite dumtaxat, quia illius periculum potest ac debet prævidere, quod sufficit, ut ipsi executio illa imputetur. Pariter mandans non excusatur ab onere restitutionis ex hoc quod, mandato cessante, damnum equidem illatum fuisset: quia ad onus istud incurrendum sufficit, quod mandatum vere hic & nunc influxerit in actionem damnificam.

(12) Pariter, etiamsi mandati revocatio ante executionem notificata quidem fuerit mandatario, sed tam flacide, ut mandatarius existimaverit serio factam non esse, mandans adhuc tenetur de damno: utpote causa efficax illius.

rum non innotescat. Tenetur etiam mandans ad restitutionem, licet mandatum revocaverit, si non impedierit subditum a damno inferendo: tunc enim tenetur, ut non obstans.

Resp. 3. Si scias alterum paratum esse nomine tuo damnum inferre, nec impedias, cum possis, cohibendo, vel significando te nullatenus id velle, tenetur restituere, quia censeris mandasse saltem tacite, aut certe taciturnitas tua censetur consensus & approbatio.

Sed an qui ratum habet damnum suo nomine factum tenetur restituere?

Resp. Negat. si neque expresse, neque tacite mandaverit. Est communis sententia: nam id, quod est posterius tempore, non potest esse efficiens causa effectus præcedentis.

§. II.

De Consulente.

Resp. 1. Consulens dicitur is, qui consilio, vel precibus, promissis, suggestione motivi, vel ostensione viæ nocendi induxit alium ad damnum inferendum. Ex communi (13) sententia tenetur restituere; quia est causa moralis, & injusta damni. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propositionem: „Qui alium movet, aut inducit ad inferendum damnum grave tertio, non tenetur

---

lius. Idem dicendum in casu quo mandans suo mandato sic depravaverit voluntatem mandatarii, in eaque tantam fecerit impressionem, ut vis ipsius sublata non fuerit per notificatam sibi simplicem mandati executionem.

Quod si mandatarium monere non possit, tenetur eum monere qui injuriam accepturus est, ut sibi invigilet, rebusque suis consulat: quia qui damnum, cum illatum est, reparare tenetur, idem, cum nondum est illatum, impedire tenetur. Si tamen hoc fieri non posset sine longe graviori mandantis detrimento, v. gr. morte, aut gravissima infamia, non teneretur, ut patet, eum monere.

Item mandans, si munus pro illato damno restituendi alteri committat, qui non restituat, immunis a restitutione non est; non enim constituitur æqualitas, nisi per ipsam restitutionem.

Tandem si mandans sit Superior, docent eum teneri de damno mandatarii; quia subditus superioris mandato quasi cogitur moraliter, ita ut fere invitus operari censeatur. Secus est, si non sit Superior, sed mandatarium vi stipendii conducat: nam volenti non fit injuria.

(13) Tenetur autem restituere secundum naturam damni quod vi consilii illatum est, & secundum naturam periculi in quod consilium injecit.

„ tur ad restitutionem istius damni illati." Quod si sint plures consulentes singuli tenentur ex æquo, ut ex dictis constat. Idem dic de pluribus jubentibus.

Resp. 2. Si consulens ante damnum illatum revocet consilium, ex communi sententia tenetur adhuc resarcire damnum postea secutum, si consilium consistebat in ostensione utilitatis, vel delectationis inde percipiendæ, vel modi exequendi: quia tunc merito censetur causa damni, cum sit causa motionis impressæ, ex qua damnum oritur, & quæ non tollitur revocatione. Quod si consilium consistebat in falsa doctrina, & consulens ante executionem illud revocaverit aperiendo illius falsitatem, ex communi sententia non tenetur restituere: quia nunc efficaciter tollit causam damni inferendi, & motionem a se impressam. Idem est de eo, qui precibus, blanditiis, vel promissis ad damnificandum induxit, & ante damnificationem ostendit sibi displicere, propositum mutasse, & promissa revocasse.

Resp. 3. Qui minus malum consulit ad majus avertendum, non tenetur ad restitutionem, si consulit ut minus malum ei inferatur, cui majus inferendum erat: quia per hoc consilium nullum damnum alteri infert, sed potius damnum imminuit. At tenetur, si parato majus damnum inferre Petro, consulat ut minus damnum potius inferat Paulo, cui non statuerat inferre: quia eo consilio est causa injusta damni Paulo illati, & injuriam infert Paulo, cum quivis innocens jus habeat, ne sibi inferatur damnum, etiam ad avertendum majus alterius. Excipe (14) nisi damnum Pauli sit tam leve, ut teneatur ex charitate illud pati ad impediendum majus damnum Petri; quia tunc non est rationabiliter invitus.

§. III.

De Consentiente.

Resp. Consentiens, quo nomine intelligitur etiam approbans favens, suffragium ferens, tenetur ad restitutionem, quando per consensum, approbationem, favo-

(14) In his omnibus sedulo cavendum est, ne fur, adhuc indeterminatus sive respectu summæ, sive respectu personæ, ad hanc vel illam summam, huic vel illi personæ furandam, determinetur; licet tamen unum præ altero, verb. grat. amicum a non amico, ab hoc periculo subtrahere, dicendo ex. grat. furi, ut non furetur tali, amico tuo.

favorem, suffragium, auctoritatem influit in actionem damnosam, ut patet. Hinc qui suffragium injustum tulit ad damnificandum, ad sententiam, aut legem injustam, ad eligendum (15) indignum in aliquod munus, vel beneficium, tenetur de damno. 1. Si suffragium dedit antequam essent sufficientia ad id suffragia, nihil obstante quod tametsi suffragatus non fuisset, idem damnum ab aliis factum fuisset. Ita communiter: nam sine illo, aut alia simili causa superventura non fieret damnum. 2. Si ignoret esse sufficientem numerum suffragiorum; nam voluit esse causam damni per injuriam. 3. Quamvis non dederit post suffragia sufficientia, si poterat adducere priores suffragatores ad revocanda sua suffragia injuste: nam tunc ex officio ad id obligatur; & sic tunc tenetur de damno secuto, saltem tanquam mutus, & non obstans. Immo tenetur etiam, ut causa positiva, si suffragia sint revocabilia, ut cum publice feruntur in consilio: quia tunc damnum non est efficaciter illatum ante ultimum suffragium. Quod si major pars iniquum suffragium ante te irrevocabiliter dedisset; peccas contra justitiam suffragando, cum consentias injustitiæ: sed juxta multos non teneris resarcire damnum, hancque esse communem sententiam asserit Layman, quia jam antea irrevocabiliter illatum fuit. Juxta alios teneris, quia etiam postremorum suffragiorum, ut consentientium nomine damnum executioni mandatur.

§. IV.

De Palpone, seu adulatore, laudatore, receptatore, & participante.

Resp. 1. QUi adulatione, laudatione, vituperatione alterum ad damnum creandum inducit tenetur (16) ad restitutionem, si alter ex tali laude, vel exprobratione motus sit ad damnum inferendum, sicut dictum est de consulente.

Resp. 2.

(15) Uno tamen casu id videtur esse justum ac licitum, dum scilicet id necesse est, ut indignior excludatur. Tunc enim bonum commune promoveo, sequorque regulas prudentiæ, quæ exigit, ut talibus in circumstantiis eligam dignissimum qui cum effectu hic & nunc eligi potest.

(16) Caute monent Theologi, necessarium non esse, ut ii adulatores directe intendant alterius damnificationem; sed sufficere, ut prævideant, aut prævidere debeant, eam ex iniqua hac agendi ratione sequi posse. Quod si adulator hominem laudet de injustitia jam commissa, non tenebi-

Resp. 2. Ad restitutionem tenetur, qui recursum, securitatem, & fiduciam alteri præbet ad damnum inferendum, vel ad non resarciendum illatum. Item caupo, vel alius recipiens aliquem consumentem bona aliena; nam tales revera cooperantur damno, quod sine illis, aut simili causa non fieret, ex l. 3. §. *de incend.* Qui vero furem, dum a lictoribus quæritur, occultat solum, ut ejus vitam conservet, non censetur ei cooperari, quamvis fur forte e periculo elapsus aliquando damnum aliis sit illaturus: nam malum illud est mere casuale respectu occultantis, & præter ejus intentionem.

Resp. 3. Dupliciter quis participans dicitur. Qui (17) solum particeps est prædæ; & hic tenetur restituere tantum partem, quæ ei obvenit. 2. Qui particeps est actionis damnosæ, præbendo auxilium, operam, instrumentum &c. & hic tenetur resarcire damnum pro rata, immo totum, si alii non restituant suas partes, nam est caussa totius damni orti ex actione damnosa. L. 21. §. *de furtis*, & cap. 6. *de homicid.* Sic tenetur e. gr. qui (18) scalas apponit, vel eas sustinet fure ascendente.

§. V.

---

nebitur ad restitutionem, quia damni causa non fuit, nisi forte alter hisce laudibus ad aliud furtum, aut ad non restituendum id quod jam furatus est impellatur.

(17) De participante hoc primo modo, seu, ut ajunt, ratione rei acceptæ, idem dicendum est quod dictum est de possessore bonæ vel malæ fidei. Nempe si rem furtivam bona fide acceperint, eam, si adhuc existat, reddere debent; si non existit, satis est ut restituant quantum ditiores facti sunt. Si vero mala fide, tunc rem, vel aliquid æquivalens, etiamsi ditiores facti non sint, refundere debent. Quod si quis rem consumat quam furtivam esse novit, sed in cujus furto nullam partem & societatem habuit, non tenebitur nisi de parte quam consumpsit, non autem de damno quod ex furto emergere potuit.

(18) Communis apud saniores etiam Theologos sententia est, rusticis a militibus oppressis, gravique metu coactis non licere, præbere instrumenta quibus diruantur muri; scalas apponere, juvare eum qui ascendit: nam actiones istæ hic & nunc a talibus factæ sunt cooperationes ad rapinam committendam, adeoque hic & nunc intrinsece malæ; ast licet eis prædas a militibus factas vehere; tum quia prædas vehere est aliquid de se indifferens, quod dominum non lædit nisi ex iniqua furis intentione; tum quia Dominus rationabiliter invitus esse, nec exigere legitime possit, ut quis ejus bono per propriæ vitæ dispendium consulat; tum denique quia prædas vehere furtum non facit, sed factum supponit. Addit tamen Auctor collat. Paris. rusticum qui bona a militibus, aut furibus abrepta vehit, teneri ad restituendum, nisi quamprimum Magistratus commoneat, ut huic deprædationi occurrat & medeatur.

§. V.

De causis negativis.

Resp. 1. EX communi sententia, negative cooperantes ad damnum sunt ii, qui non impediunt damnum, cum impedire possint rationabiliter, & tenentur ex justitia, ratione nimirum officii, muneris, vel contractus. Non impeditur autem damnum tripliciter. 1. Tacendo, idest non reprehendendo, non dissuadendo, non prohibendo, non clamando &c. 2. Non obstando, idest omittendo subsidium, custodiam, opem, vel operam ad impediendum damnum. 3. Non manifestando damnificatorem domino, sive ante, ne fiat, sive post damnum factum, ut resarciatur, aut etiam non monendo ipsum damnificatorem de obligatione restituendi. Itaque ex communi sententia, qui tenetur ex officio, vel contractu, vel quasi contractu impedire damnum alterius, si negligat impedire, peccat contra justitiam, & tenetur illud resarcire: nam habet jus, ut damnum ejus impediat, ac proinde si negligat impedire, facit ei injuriam damnosam.

Resp. 2. Qui solum ex charitate tenetur impedire damnum alterius, si non impediat, cum sine magno incommodo potest, peccat quidem contra charitatem, sed non tenetur ad restitutionem; quia non peccavit contra justitiam; nec censetur causa injusta damni, cum alter non habeat jus, ut damnum ejus impediat.

Sed ad quid tenentur custodes agrorum, vinearum, sylvarum, si non impediant damnum, vel non manifestent damnificatores, ut resarciatur?

Resp. Peccant contra justitiam, & religionem, quia agunt contra officium, vel pactum, & juramentum, tenenturque resarcire totum damnum. Est communis sententia.

An autem teneantur restituere mulctas, quas domini acciperent ex dilatione, si non deferant?

Multi negant: quia hi custodes constituuntur, non ut domini locupletentur ex lucro pœnarum, sed ut custodiant rem commissam, & impediant damnum; nec tenentur deferre, ut dominus habeat mulctas, sed solum, ut non patiatur damnum. Alii probabilius affirmant: quia videntur constitui, tum ut impediant damna; tum etiam ut deferant damnificatores, præsertim cum id expediat ad avertenda multa damna, quæ alias fierent sublato metu mulctarum.

CAPUT QUINTUM.

De circumstantiis restitutionis, & ordine in ea servando.

Quæst. I. CUinam res debet restitui?

Resp. Ei, a quo accepta, vel ablata fuit, modo sit dominus rei, vel habeat jus eam detinendi, vel custodiendi, administrandi &c. vel ea utendi &c. qualis est conductor, commodatarius, depositarius, & similes: quia illi fieret injuria, cum habeat jus rem possidendi, vel custodiendi, ea utendi &c. Res autem ablata furi restitui debet non furi, sed domino; admonito tamen fure ne perseveret in peccato, putans se teneri restituere, vel ne iterum restituat cum suo damno. Quod si is, (19) cui restitutio facienda est, mortuus sit, fieri debet hæredibus ejus; quia hi succedunt in omnia jura defuncti, l. 62. §. *de reg. jur.* & l. 37. §. *acquir. vel amitt. hæred.* Si autem post diligentem inquisitionem hæredes cognosci nequeant, debet restitutio fieri pauperibus, juxta dicta de bonis, ac debitis incertis. Porro hæredes hic intelliguntur quicumque in defuncti hæreditatem succedunt, sive per testamentum, sive per sententiam, sive aliter.

Quæst. II. Quo tempore fieri debet restitutio?

Resp. Statim, (20) quantum moraliter fieri potest. Est communis sententia: nam præceptum restitutionis est primario negativum. Solutio vero debitorum ex contractu fieri debet tempore, de quo inter contrahentes expresse, vel tacite conventum fuit: eo transacto si debitor sine justa causa non solvat, injuriam creditori infert, & tene-tur

(19) Porro restitutio hoc modo facienda est: si communitas aliqua fuit læsa, ipsi, non membris particularibus ipsius, nec pauperibus facienda est eleemosyna. Si non communitas, sed permulti particulares de communitate, & isti determinate cognosci nequeant, sed indeterminate dumtaxat, ut si usus fuisti mensuris, vel ponderibus dolosis, restituere debes particularibus de communitate frequentantibus officinam tuam, per aliquod commune bonum, v. gr. augmentum ponderis vel mensuræ, quo damnum illatum, judicio prudentum, quantum possibile est, compensetur, & compensatio inter damnificatos dividatur.

(20) Nihilominus qui habens firmum restituendi propositum, absque notabili domini incommodo, differt ad breve tempus, v. g. ad tres vel quatuor dies, non est facile de mortali condemnandus; immo nec de veniali, si differat ex rationabili causa, v. g. quia meliorem expectat opportunitatem.

tur compensare totum damnum hinc obveniens, etiamsi creditor solutionem non exigat, ex l. 12. Cod. *de contrah. stipul.* & cap. ult. *de locat.* Si tamen debitor paratus sit tempore constituto solvere, sed creditor vel absens sit nullo procuratore relicto, vel præsens recipere nolit, tunc debitor non tenetur de damno postea eveniente, nec de pœna statuta. Quod si nullum tempus solutioni debitorum ex contractu expresse, aut tacite præfinitum sit, tunc debitor non ante censetur esse in mora culpabili, nec tenetur de damno, quam creditor debitum congruo tempore exegerit. Ita communiter per sensum contrarium, ex lib. cit. quia tunc creditor sciens, & valens petere, censetur dilationem concedere non petendo, modo non omittat petere ex metu, vel oblivione. Porro licet debitori anticipate solvere debita, si terminus fuerit præfinitus in ejus favorem, ut in mutuo, & commodato: quia quisque potest juri suo cedere. Secus si fuerit appositus in favorem creditoris, ut patet, ex l. 15. §. *de annuis legat.*

Quæst. III. In quo loco, & cujus impensis fieri debet restitutio?

Resp. 1. Si debitum ortum sit ex injuria, nempe ex injusta acceptione, detentione, vel damnificatione culpabili restitutio fieri debet impensis debitoris, & eo loco, ubi Dominus rem suam possessurus erat, si ablata, vel destructa non fuisset. Ita communiter: quia restitutio ob injuriam ita fieri debet, ut dominus in eum statum restituatur, in quo fuisset, si nulla illata fuisset injuria, & omnino indemnis servetur. Nec excusatur debitor, etiamsi omnibus spectatis, damnum, quod ex sumptibus, vel aliunde patietur, sit duplo majus illo, quod dominus pateretur, si ei non restitueret, spectata paupertate, & necessitate utriusque: nam in pari damno melior est conditio innocentis, seu injuriam passi, quam nocentis, qui sibi imputare debet damnum illud, cum sit ejus causa per injuriam. Vasquez, Delugo &c. Si tamen restituere non posset, nisi faciendo impensas duplo longe majores, quam res valeat; potest differre restitutionem, donec illam absque tanto suo detrimento facere queat, vel monere creditorem, ut significet quid de illa re fieri velit. Quod si monere nequeat, & prudenter judicet nunquam aliter posse fieri restitutionem, juxta multos potest, ac debet restituere ejus consanguineis, vel pauperibus; nam alioqui magna esset inæqualitas, si debitor restituere deberet cum quibuscunque sumptibus. Ut autem sciatur cum quanto damno restituere teneatur debitor ex delicto; perpendi debet, an creditor hic, & nunc sit, vel non sit rationabiliter invitus circa omissionem, vel dilationem restitu-

tionis : hoc autem colligi debet tum ex communi sensu hominum ; tum etiam inde si attendatur quid homines prudentes bonum societatis humanæ intendentes statuissent circa hos casus, antequam evenirent.

Resp. 2. Quæ debentur ex re accepta bona fide extra contractum, restitui debent in loco, ubi habentur ; nec (21) debitor tenetur ea impensis suis mittere domino, sed impensis domini. Ita omnes. Quia possessor bonæ fidei non tenetur cum suo damno dominum in pristinum statum restituere ; cum eum per injuriam non deturbaverit. Immo ipse dominus tenetur non solum ad impensas rei amittendæ, sed etiam custodiendæ necessarias ; l. 2. de *negot. gest.*

Resp. 3. Quæ debentur ex contractu, in quo res eadem numero restituenda est, si in (22) alterius tantum partis utilitatem accepta sint, debent ejus impensis restitui, nisi justa pactione aliter conventum sit : nam par est, ut qui sentit commodum, sentiat & onus, reg. jur. 55. in 6.

Resp. 4. Quæ debentur ex contractu, restitui debent ex natura contractus in eo loco, ubi res accepta fuit. Ita multi : quia æquitas postulat, ut sicut res eadem accepta, vel alia æquivalens, quæ loco acceptæ substituitur, restituenda est, ita etiam restituatur in eodem loco, ubi accepta fuit, cum restitutio sit repositio rei in pristino statu. Hinc ex natura contractus teneris reddere mutuum, depositum, rem locatam in loco ubi accepisti, non alibi, nisi impensis alterius. Item ex natura contractus debes solvere pretium rei emptæ, vel locatæ, ubi res traditur, pro qua solvendum est : nam in quocumque alio solutio fiat, deficere potest æqualitas contractus. Possunt tamen contrahentes de alio loco pacisci, modo hoc onus justa mercede compensetur, ut servetur æqualitas : & tunc ibi restitui debet ex reg. jur. 85. in 6.

Resp. 5. Quæ debentur ex donatione, legato, testamento tradi debent in loco ubi erant, cum donarentur (nisi aliud in ipsa dispositione expressum sit) & impensis

(21) Si tamen qui rem præ manibus habens alienam esse cognovit, eam alio transferret imprudenter, tunc deberet eas ipsemet impensas subire quas dominus non fecisset : aliter dicendum est, si res alio transferenda fuerit, quia possessor eam servare non potuit in loco, ubi eam primo habere cœpit.

(22) At si contractus cedat in utilitatem utriusque, dantis nimirum & accipientis tunc ex communi hominum sensu restitutio fieri debet ejus impensis ad cujus exigentiam contractus communiter fieri solet.

sis ejus, cui donata sunt: Ita omnes. Nam qui rem gratis donat, vel legat, non intendit se ad amplius obligare. Secus, si hæres eam alio transferret: Ita Lessius:

Quæst. IV. Cujus periculo debet fieri restitutio?

Resp. 1. Restitutio facienda ratione injuriæ fit periculo debitoris. Est communis sententia: quia *culpa præcedente casus etiam fortuitus imputatur*, cap. ult. *de depos.* Restitutio autem rei alienæ in individuo facienda a possessore bonæ fidei, fit periculo domini, modo possessor eam remiserit per hominem, quem prudenter judicabat esse redditurum, ex lib. 20. §. *commodat.* Quia seclusis culpa, mora, pacto res perit domino:

Resp. 2. Solutio debitorum ex contractu facienda ex bonis debitoris, ejus periculo fit: quia res perit domino, & es dominus pecuniæ tuæ, donec creditori tradatur: nisi tamen creditor miserit, vel designaverit hominem certum, cui pecuniam committas; hic enim accipit loco creditoris, sive creditor censetur accepisse per designatum, lib. 39. & 49. §. *de solut.*

Quæst. V. Quo ordine restituendum est?

Nota. Quando bona debitoris in solutionem omnibus creditoribus sufficiunt, non est opus ullo ordine, cum omnibus satisfaciendum sit. Itaque.

Resp. 1. Ex communi sententia, quando res aliena extat in se, restitui debet domino, nec potest aliis in solutionem dari: quia est domini; & debitor solvere debet ex bonis propriis, non alienis. Res (23) in rigore justitiæ credito vendita extans apud debitorem non videtur reddi debere venditori præ aliis creditoribus, si is aliunde non habeat jus prælationis. Ita multi, præsertim jurisperiti, qui apud Covaruviam asserunt hanc esse communem sententiam: quia res vendita non est amplius venditoris, secuta traditione, & habita fide de pretio ejus; neque

(23) Venditio sine solutione pretii duobus modis fieri potest. Vel enim 1. Emptor pretium obtulit, quod venditor recipere noluit, vel, si non obtulit pretium, fidejussorem aut pignus tradidit, vel demum venditor fidem emptoris secutus est: Et tunc multi existimant, venditorem adhuc habere jus prælationis; quod quidam limitant nisi fidejussorem aut pignus acceperit, quia hæc pretii loco sunt: multi e contra negant; atque hanc opinionem sequitur Auctor noster. Vel nihil prædictorum intervenit: & tunc fatentur Theologi, venditorem aliis creditoribus præferri debere; quia res vendita venditoris adhuc dominio subest, adeoque ex ea, utpote aliena, aliis creditoribus satisfacere non licet:

neque manet illi obnoxia jure hypothecæ: nulla enim inducitur hypotheca, nisi vel ex conventione, vel jure positivo, & nulla ex hoc utroque capite reperitur inducta. Tamen res venditæ, quæ adhuc extant apud emptorem, possunt, & debent ex quadam æquitate reddi venditori. Ità colligitur ex L. Procuratoris §. *de tributis*, quod intellige, nisi obstet consuetudo loci.

Resp. 2. Ex bonis debitoris 1. Prius solvi debent impensæ pro ipsius funere, l. penult. §. *de religios. & sumpt. funeris*. Item pro curatione ejus. 2. Ex communi sententia, prius solvenda sunt debita certa, idest, quorum cognoscitur creditor, quam incerta, (24) idest, quorum creditor ignoratur: nam creditor certus habet jus immediatum, ac determinatum exigendi solutionem, quod pauperes, aut aliæ causæ ipsæ, non habent circa debita incerta, cum ista possint in hos, vel illos usus pios impendi: unde in hoc creditor incertus consentire merito præsumitur, cum sit opus pium, ac Deo gratum subvenire debitori indigenti, & gravato ære alieno; ut possit se liberare a creditoribus certis eum prementibus, remanente onere postea debita incerta solvendi pauperibus, cum facultas aderit.

3. Ex communi sententia debita ex titulo oneroso prius solvi debent, quam debita (25) ex titulo gratuito, v. g. liberali promissione, vel legato, ex l. 19. §. *de re judic.* Quia in pacto gratuito, & legatis subintelligitur conditio „ Si absque tertii damno fieri possit, nisi status re„ rum mutetur “. Hinc debita defuncti solvi debent ante omnia legata, etiam pia. Idem dic de votis. Vota tamen solvenda sunt ante legata: quia obligant defunctum,

(24) Dupliciter debita incerta esse possunt, vel quia dubitatur an debita sint, vel quia constat, debita illa reipsa existere, sed ignoratur eorum dominus, aut certo non cognoscitur. Porro in utroque casu debita certa solvenda prius sunt quam incerta. De incertis primo modo nulla est difficultas, sed omnes omnino Theologi id docent, quorum consensus magni, ut constat, debet esse ponderis. De incertis alio modo legatur Auctor.

(25) Debita ex titulo oneroso sunt in duplici classe; alia debentur ex delicto, ut furto, usura, &c. alia ex contractu: & hæc debita præferenda sunt debitis ex titulo gratioso, ut scribit Auctor. Ast inter debita ex legitimo contractu oneroso, & debita ex delicto, sententia communior, probabilior, & praxi conformior est nullam inter illa & ista esse præferentiam, nec ordinem; sive jure naturali, cum æquale jus utrisque creditoribus competat, sive jure positivo, cum nullum proferatur, aut reperiatur.

ctum, non legata, quæ supponunt solutionem aliorum debitorum contractorum. 4. Solvendum est creditoribus hypothecam habentibus ante alios, qui non habent l. 19. Cod. *Qui potiores in pign.* Nam bona sunt specialiter obligata solutioni hypothecariorum. 5. Inter creditores hypothecarios prius solvendum est iis, qui priores sunt tempore, juxta reg. jur. 54. in 6. Nam obligatio posterior non potest tollere jus alteri jam acquisitum. Sunt tamen aliqui casus, in quibus posterior tempore præfertur priori hypothecario. 1. Si pecuniam mutuavit ad conservationem, vel refectionem rei, quæ alteri obligata erat, l. 5. §. *Qui potiores in pign.* Nam huic damnum non infertur, cum sine hac mutuatione res hypothecata periisset, vel deterior fuisset facta. 2. Si mutuavi tibi v. g. centum, ut satisfaceres pro mercium vectura, vel pro locatione ædium, in quibus asservarentur, debeo ex illis solutionem accipere ante alios in illis hypothecam habentes l. 6. §. eod. tit. 3. Est hypotheca dotalis, per quam bona mariti sunt obligata uxori, ejusque liberis, ita ut ex illis bonis dos deduci possit ante alios creditores habentes tacitam hypothecam priorem, l. 12. Cod. *qui potiores in pign.* Sed ex communi sententia dos non præfertur hypothecæ expressæ priori, licet præferatur expressis posterioribus: nam fiscus, & dos æquantur in jure, & tamen fiscus non præfertur hypothecis anterioribus expressis, lib. 8. §. *Qui potior in pign.* & l. 4. Cod. eod. 4. Cum ex pecunia pupilli, vel minoris res aliqua empta est, res illa manet pupillo obligata ante omnes, l. penult. cod. *de servo pignori dato*. 5. Si credant tibi pecuniam ad emendam rem aliquam cum pacto expresso, ut res illa maneat mihi hypotecata pro debito, præferat aliis hypothecam generalem habentibus in omnibus bonis tuis etiam futuris, l. 7. cod. *Qui pot. in pign.* 6. Cum quis contraxit cum fisco, manent ejus bona fisco obligata cum privilegio prælationis. Item jus habet fiscum ratione tributi nondum soluti, lib. 2. cod. *de privileg. fisci*. 7. Cum quis pecuniam ad militiam alicui mutuat, habet hypothecam cum privilegio prælationis etiam ante dotem, licet sit posterior dote: quia in his duobus ultimis casibus spectatur bonum commune, quod privato præferri debet.

3. Post creditores hytothecarios, seu reales solvendum est aliis creditoribus personalibus non habentibus hypothecam. Inter hos primum solvendum est iis, qui habent personale privilegium prælationis; quale habet sponsa in bonis sponsi ratione dotis traditæ, non secuto matrimonio, & qui deposuit pecuniam apud nummularium non

percipiens inde usuras; item qui pecuniam credidit ad navim extruendam, instruendam, emendam &c. Secundo loco solvendum est aliis creditoribus ex titulo oneroso, cuique pro rata v. g. media, vel tertia pars crediti, sive debitum ex contractu, sive ex delicto contractum sit, ex l. 6. cod. *de bonis auctor.* &c. & l. 17. §. *de privil. credit.* Ratio, quia omnes isti æquale jus habent. Quæ hactenus de ordine restitutionis dicta sunt ex jure communi, seu Cæsareo, ea servanda sunt, ubi & quatenus illud receptum est. Quod si in aliquibus locis sint hac de re aliæ leges, vel consuetudines rationi consentaneæ servandæ sunt etiam in foro conscientiæ, ut docet communis sententia; nam hæ leges non nituntur falsâ præsumptione.

Quæst. V. An prius petenti liceat prius solvere?

Resp. 1. Non licet creditori prius petenti solvere cum damno ejus, qui habet hypothecam priorem, vel privilegium: quia huic fieret injuria, cum habeat jus prælationis. Unde solvens tenetur ei de damno, & ipse potest recuperare ab alio creditore id, quod solutum est, l. 22. cod. *de jur. deliber.* Qui si solutionem petiit, vel accepit, sciens jus aliorum, peccavit contra justitiam, & tenetur ante sententiam judicis restituere aliis creditoribus privilegiatis: quia fecit illis injuriam damnosam.

Resp. 2. Si unus ex creditoribus personalibus, non privilegiatis exigat in judicio solutionem debiti ante alios non habentes jus prælationis, tenetur debitor ei integre solvere, etiamsi tempore esset posterior: quia lex, & sententia judicis dat ei jus prælationis ob diligentiam, quam adhibuit ante cæteros, l. 6. & 24. §. *quæ in fraud. credit.* Dixi, *in judicio*. Non si extra judicium petat, controvertitur. Asserunt Sylvester, Lessius, & alii; quia diligentia posterioris creditoris petentis facit eum potiorem. Alii cum Delugo negant, quia sola petitio privata sine sententia judicis non potest dare jus uni in detrimentum aliorum æquale jus habentium.

Sed si debitor non valens solvere omnibus creditoribus solverit uni creditori non habenti jus prælationis, an hic tenetur restituere alteri creditori habenti tale jus?

Resp. Affirm. Patet ex quæst. 7.

Quæst. VI. An debitor potest solvere totum debitum creditori non petenti, si ipse par non sit solvendo aliis, qui pariter non habent hypothecam, aut privilegium?

Resp. Neg. Quia faceret injuriam aliis, qui jus habent, ne alter carens privilegio, & actione ipsis præferatur. Multi excipiunt, si unus creditor sit in gravi necessitate, non alii; quia debitus ordo charitatis exigit, ut præferatur aliis.

Quæst. VII. An qui aliquid gratis, vel cum onere accipit ab eo, quem scit exinde reddi impotentem ad solvenda debita, peccat contra justitiam, & tenetur accepta restituere, licet eum ad id non induxerit?

Resp. Affirmat. Est communis sententia teste Delugo: quia talis concurrit efficaciter ad injustam alienationem, & injustitiam contra creditores a debitore admissam; cum quævis alienatio ad sui valorem, & efficaciam requirat acceptationem. Hinc Clerus Gallic. ann. 1700. damnavit hanc propositionem: „ Etiamsi donatario perspectum sit „ bona sibi donata a quopiam ea mente, ut creditores „ frustrentur; non tenetur restituere, nisi eam donatio- „ nem suaserit, vel ad eam induxerit. "

CAPUT SEXTUM.

De caussis excusantibus a restitutione, vel ejus dilatione.

Quæst. I. AN remissio creditoris excusat a restitutione?

Resp. Affirm. si sit legitima. Quia per illam condonatur jus exigendi, & accipiendi solutionem; ac proinde tollitur in debitore obligatio solvendi, quæ postea non redit, l. 9. *Cod. de remiss. pign.* Ut autem hæc remissio sit legitima, & vere liberet a restitutione, tres conditiones requiruntur. 1. Ut remissio sit perfecte voluntaria, nec habeat mixtum involuntarium; quia est liberalis donatio. Hinc nulla est remissio facta ex errore, vel ignorantia utpote voluntarium tollente; aut vi metu, vel fraude extorta, ob involuntarium mixtum, & injuriam. 2. Ut creditor possit condonare debitum: non enim potest condonare, nisi qui potest donare. 3. Ut condonatio non sit a jure annullata, prout est in casibus. 1. Si visitantes Ecclesias accipiant aliquid ab iis præter necessaria ad victum pro illis diebus, quibus visitant, tenentur restituere duplum intra mensem, non obstante quacumque remissione iis facta sponte a dantibus, cap. 2. *de cens.* in 6. 2. Si judex delegatus aliquid acceperit a partibus, nisi forte esculentum, vel poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis diebus possit consumi, vel si dum cogitur extra domicilium proficisci, acceperit plusquam moderatas impensas; vel si denique acceperit aliquid pro impensis, dum partes sunt pauperes, tenetur accepta restituere, non obstante remissione, cap. 11. *de rescript.* in 6. 3. Si inquisitores prætextu officii inquisitionis pecunias ex-

torserint, tenentur restituere nullis remissionibus super hoc valituris, Clement. 2. *de hæret.* in 6. 4. Si canonicus, qui non interest officio, acceperit distributiones.

Quæst. II. An (26) cessio bonorum creditoribus facta liberat a restitutione?

Resp. neg. Sed solum excusat a dilatione, ita ut debitor teneatur debita integre solvere ex iis, quæ postea acquirit, retentis necessariis ad suam, & suorum sustentationem parcam. Est communis sententia, ex jur. civ. l. 1. Cod. *Qui bonis cedere possunt*, & ex l. 4. §. *de cess. bon.* Ratio est, quia in foro conscientiæ per necessitatem, & impotentiam non tollitur, sed solum suspenditur obligatio restituendi, donec facultas adsit; unde nec cessio plus præstat. Igitur cessio bonorum hoc solum præstat, ne debitor possit conjici in carcerem, ex cit. l. & ne, si post cessionem aliquid acquirat, possit eo spoliari, si eo indigeat ad suam, suorumque sustentationem, ex l. 6. §. *de cess. bonor.* Quod etiam valet in foro conscientiæ. At de residuo tenetur debita solvere.

Quæst. III. An ingressus in Religionem liberet a restitutione?

Apud omnes constat validam esse professionem hominis debitis gravati; quia persona ejus est libera; nec jure positivo abrogatur, ut declaravit Clemens VIII. quoad punctum hoc abrogans, quod Sixtus V. statuerat. Uterque autem Pontifex prohibuit, ne in Religionem recipiantur ære alieno gravati. Itaque.

Resp.

---

(26) Cessio bonorum fieri dicitur, cum quis solvendis suis omnibus debitis impar, quod residuum habet boni, creditoribus suis dimittit, ne detrudatur in carcerem. Cessionis beneficium non omnibus indistincte prodest: ad cessionem enim non admittuntur qui civili mulcta condemnati sunt in criminis reparationem; qui pro alimentis, medicamentis, sumptu funebri, aut qui mercenariis, domesticis, pauperibus inopia pressis debent. Quapropter sicut mercatores probi, qui absque sua culpa calamitose coguntur cedere bonis, optima conscientia possunt legum beneficio uti, ne carceribus absumantur (ait Soto L. 4. in fine); ac subinde possunt licite ea retinere quæ sibi leges permittunt, puta instrumenta suæ artis, quotidiana alimenta, menstrua, atque annua. Illi vero qui negotiationes subdole & vafre ingrediuntur vel exercent, non sunt permittendi, sed digni sunt ut ad mendicissmum redigantur; quia vix an ne vix quidem aliter alimenta merentur, nec quidquam occulte sibi possunt retinere.

Meminisse tamen debent miserabiles illi qui inculpata calamitate in pauperiem redacti, ac cessionem facere coacti sunt, non ideo se posse in posterum otiari; sed laborando, vel alio sibi possibili modo satagere debent, ut idoneos se reddant solvendi: quia obligatus ad finem obligatur ad media, sine quibus ad finem non potest pervenire.

Resp. 1. Si debitor habeat bona, tenetur ante ingressum restituere; nam nullam habet justam differendi causam.

Resp. 2. Secundum multos, si debitor possit brevi tempore, v. g. paucis annis, consuetis laboribus solvere debita saltem magna ex parte, tenetur differre ingressum, ut ea solvat.

Resp. 3. Si debita sunt incerta, ideoque in opera pia impendenda, debitor potest religionem ingredi, licet manens in sæculo possit solvere. Id supponunt omnes.

Resp. 4. Si debitor non possit debita solvere, nisi longo tempore, vel insolitis laboribus, secundum multos potest licite religionem ingredi relictis omnibus bonis suis creditoribus: quia in hoc casu debitor pateretur damnum in bonis spiritualibus longe majus, quam sit commodum creditorum: unde hi non sunt rationabiliter inviti. Alii tamen non pauci id negant, nam jure naturali talis debitor tenetur ex justitia restituere, ideoque injuriam inferet, si voluntarie se impotentem reddat ad solvendum: obligatio autem justitiæ prævalet consilio. Et hæc sententia, teste Layman, fuit approbata a Sixto V. & Greg. XIV.

Quæst. IV. An si debitor immemor sui debiti tantum donet creditori, quantum ei debet, excusetur a restitutione?

Resp. neg. Nisi ex manifestis conjecturis colligatur eum habere voluisse pro soluto, si quid deberet: quia liberalis donatio nec est, nec potest esse solutio necessaria debita ex justitia: nam hæc inter se pugnant. Si autem debitor memor debiti tantumdem donet animo se liberandi, quamvis putetur liberaliter donare, satisfacit debito, & sic (27) nihil jam debet.

Quæst. V.

(27) At si sciat, creditorem ex putata liberalitate impulsum iri ad tantumdem alia in occasione redonandum, nisi antea donasset debitor non redonaturus; tunc debito non satisfacit: sic enim dolose se gerit, verbo aliud significando quam in mente haberet. Unde ratione fictionis suæ debet restituere, vel redonationem non acceptare, utpote non futuram nisi fingendo decepisset.

Tamen sufficit ut restitutio fiat occulte, v. g. per confessarium, nisi ad tollendum scandalum, vel offensionem publicam, facienda sit publice, prout fieri debet e. g. a publico usurario. Similiter si res restituenda est solo titulo rei acceptæ, eaque est determinata in individuo, tunc ille, qui ob infamiæ periculum restituere non valens per seipsum, rem Domino vel creditori mittit per interpositam personam, communiter fidelem existimatam, liber est ab onere restitutionis, quam-

Quæst. V. An debitor liberatur a restitutione, si creditori sui creditoris solvat, quod debet?

Resp. Multi affirmant, modo debita utriusque sint ejusdem naturæ, nec sint alii priores creditores privilegiati, aut hypothecarii: Quia, inquiunt, solvendo fratri meo centum, quæ illi debes, emo, & acquiro jus, quod habebat exigendi a te centum. At jus, quod habeo in te tanti valet, quanti illud, quod tu habes in me. Certe id non licet invito creditore. Et vero in foro externo cogar iterum solvere tibi, nisi mea causa factus sis debitor alteri, ut si v. g. gerens mea negotia mutuum ab illo acceperis.

Quæst. VI. An excusatur a restitutione, qui non potest restituere, nisi per bona superioris, vel inferioris ordinis?

Bonorum naturalium triplex est ordo. In supremo ordine sunt vita, membra, sanitas, virginitas, libertas; in medio honor, & fama; in infimo divitiæ, & res pretio æstimabiles. Itaque.

Resp. 1. Ex communi sententia, debitor non tenetur restituere cum jactura bonorum superioris ordinis, quæ in æstimatione prudenti sit longe majus detrimentum, quam damnum compensandum; nam restitutio fieri debet, ut servetur æqualitas. Sic v. g. per se loquendo non teneris cum jactura propriæ vitæ restituere famam æqualis tui. At restitutio fieri debet cum jactura bonorum superioris ordinis, si bona inferioris ordinis restituenda ex circumstantiis censeantur prudenti judicio prævalere, aut æquivalere bonis superioris ordinis amittendis; nam tunc æqualitas reponenda id exigit. Sic e. g. si ad restituendam famam, vel magnam pecuniæ summam necessarius sit labor cum periculo morbi facile sanabilis, tunc cum hoc periculo restitui debet, ut notat Delugo. Porro bonum inferio-

---

quamvis hæc aufugerit cum ea, nec restituerit: quia tunc sufficientem diligentiam adhibuit. At si res restituenda erat ratione injustæ acceptionis, quamvis debitor eam remiserit per Confessarium, vel alium quemcumque a creditore non designatum, quamlibet existimatum fidelem, eo defraudante vel aufugiente, non liberatur: quia damnificator injustus tamdiu remanet obligatus, quamdiu Dominus non redditur indemnis; eo quod tamdiu maneat titulus ex quo tenetur; & damnificator injustus teneatur etiam de casu fortuito; non quidem ratione injustæ damnificationis, quo titulo solum restituere debet tantum quantum damnificavit, dum potest absque detrimento suo longe majoris; sed solum per accidens ratione culpæ, de qua tenetur, dum non adhibuit diligentiam exactissimam in secure restituendo.

rioris ordinis, sed maximi momenti, vel in magna quantitate potest moraliter, seu in æstimatione morali & quoad usus humanos, prævalere, aut æquivalere bonis superioris ordinis, sed exigui momenti, vel in parva quantitate. Ita multi.

Resp. 2. Controvertitur an restitutio fieri debeat per bona inferioris ordinis v. g. per pecuniam pro damno in bonis superioris ordinis, v. g. pro damno vitæ, membri, famæ, si aliter damnum resarciri nequeat. Multi affirmant, ex S. Thoma 2. 2. quæst. 62. art. 2. ad 1. Et ratio illorum est, quia damnum omne injuste illatum resarciri debet quantum, & eo modo, quo potest, nec impotentia restituendi ad perfectam æqualitatem liberat debitorem ab obligatione solvendi id, quod potest: justitiæ enim commutativæ est non modo reddere justum, quatenus est æquivalens, sed etiam quantum possibile est, sive in eodem, sive in diverso genere. Quapropter concludunt pro mutilatione, deformatione, vel alio damno corporis infra mortem, vel pro fama, quæ reparari nequeat, fieri debere regulariter aliquam restitutionem in pecunia arbitrio prudentis. Pro damno autem vitæ debere fieri compensationem vel in pecunia hæredibus occisi eroganda si certo constet occisum decessisse in statu peccati; vel si hoc non constet, ei applicando tantam partem satisfactionum propriarum, quantam Deus novit sufficere in compensationem vitæ: nisi tamen reus pœnam talionis subeat, nam tunc fit compensatio vitæ ablatæ juxta illud *dentem pro dente &c.* licet remaneat obligatio compensandi alia damna.

Alii multi hanc obligationem negant, ex lib. ultim. §. *de iis, qui effudere*, lib. 1. & ex S. Thom. q. 62. art. 1. Ratio illorum est, quia justitia non obligat ad restitutionem, nisi res ablata reddi possit in se, vel in æquivalenti, sive ex toto, sive ex parte. At bonum superioris ordinis non potest reddi in æquivalenti, etiam ex parte per bonum inferioris ordinis. Jamvero, inquiunt, qui nec in toto, nec in parte restituere potest bonum injuste ablatum, excusatur ob impotentiam. Fatetur tamen Lessius fieri posse, ut sit obligatio ex charitate ad aliquam compensationem pecuniariam pro damno membri, vel vitæ &c. si nempe læsus sit pauper, vel occisi uxor, ac liberi sint pauperes, & non putentur mœrorem aliter deposituri; læsor vero eam sine gravi incommodo præstare possit. Sed prior sententia videtur probabilior, quia, quamvis vita, & membra hominis liberi non sint pretio æstimabilia, nec bona superioris, & inferioris ordinis sint commutabilia ad æqualitatem, nec illa per ista possint

reddi

reddi in æquivalenti etiam ex parte, si secundum se spectentur: tamen damnum in bonis superioris ordinis illatum potest aliquo modo, nempe in ordine ad usus humanos compensari pecunia, quæ non datur ut pretium vitæ, vel famæ, sed ut compensatio damni vitæ, vel famæ, & ut tollantur effectus hujus damni, nempe mœror, dolor animi, & alii. Justitia autem obligat ad compensandum damnum eo modo quo fieri potest, ut jam diximus.

Quæst. VII. Quænam sunt justæ causæ differendi restitutionem, vel solutionem debiti?

Resp. 1. Generatim id omne, quod facit, ut dominus, vel creditor non sit rationabiliter invitus circa dilationem: nam detentio rei alienæ injusta non est, nisi sit contra voluntatem domini.

Resp. 2. Ex communi sententia, multiplex est causa, ob quam licite differtur restitutio, quamdiu ipsa durat, quas tradit S. Antonin. part. 2. tit. 2. cap. 8.

1. Est (28) extrema necessitas tua, vel tuorum, vel proximi, cui aliter subveniri non potest, quam rem alienam, vel alteri debitam impendendo: quia in tali necessitate, omnia, saltem quoad usum, sunt communia. Transacta autem hac necessitate teneris restituere; nam obligatio restituendi prius contracta non extinguitur ob supervenientem necessitatem, sed tantum suspenditur. Porro qui potest partem solvere ad id tenetur, nam non habet justam causam non solvendi eam.

2. Est gravis necessitas tua, vel tuorum, quos sustentare teneris, nisi tamen creditor sit in pari necessitate. Ex lege 133. §. *de reg. jur.* & ex cap. 3. *de solut.* nam ex communi sententia ei tunc satisfieri debet; quia tunc esset rationabiliter invitus, quod ei non restituas.

3. Magnum periculum salutis animæ propriæ, vel tuorum,

---

(28) Si debitor & creditor in extrema necessitate ambo constituti sint, videndum est ante omnia, an creditor in extremam necessitatem ex eo conjectus fuerit, quod res sua sibi ablata sit; an vero extrema creditoris necessitas alia ex causa non noscatur; ut ex casu fortuito, ex alterius hominis injustitia &c.?

Si primum, tunc debitor tenetur ad restitutionem hujus rei, per cujus subtractionem creditor in extremas conjectus est angustias, quia in pari causa melior est conditio possidentis: creditor autem, seu Dominus supponitur esse possessor. At secus est juxta multos, si creditor ex alia causa in extremam inciderit necessitatem: quia quilibet magis ad propriæ vitæ quam ad alienæ conservationem tenetur; & alias nulla ibi fraus intervenit.

rum, ut si periculum sit, ne filiæ tuæ præ inopia se prostituant, vel ne filii latrocinentur: ita tamen, ut non suppetat alia via commoda id avertendi, nisi differendo solutionem: nam tunc creditor tenetur ex charitate consentire dilationi, cum debitor sit in gravi necessitate spirituali.

4. Magnum detrimentum in rebus propriis non debitis, modo creditor simile damnum non patiatur ex dilatione, & postea debitor sit certe restituturus; nam tunc creditor non est rationabiliter invitus circa dilationem. Idem dic, si non potest statim solvere sine gravi periculo gravis infamiæ; cum fama sit bonum præstantius divitiis. Dixi, *in rebus non debitis*: nam si debitor restituendo patiatur tantum jacturam in rebus debitis, vel in lucro, quod intendit facere ex rebus debitis, non potest idcirco restitutionem differre: hoc enim non est damnum pati in rebus suis, sed relinquere alienas, vel alteri debitas, & non facere lucrum ex alieno, vel alteri debito. Excipe nisi sine illo lucro aliis creditoribus satisfacere nequeat: tunc enim creditor tenetur ex charitate permittere dilationem, si commode possit.

5. Si debitor non potest restituere sine damno in bonis altioris ordinis longe majore, quam sit commodum creditoris: nam alioqui non servaretur æqualitas.

6. Est jactura proprii status, juste acquisiti; modo debitor sua culpa in hoc periculum sese non conjecerit, nec idem periculum subeat creditor. Patet ex dictis. Tenetur tamen debitor tenuiter vivere secundum statum, & sibi detrahere quantum potest de splendore, & decentia, quæ non sunt absolute necessaria ad statum conservandum, ut sensim restituere possit: nam decentia status non consistit in indivisibili. Ita Lessius & alii. Et generatim quilibet debitor ex justitia tenetur opera, labore, parsimonia, vel alia via sibi moraliter possibili curare, ut acquirat, unde debita omnia solvat. Dixi 1. *juste acquisiti*: nam si quis rapinis, usuris, fraudibus, furtis, aliisque injuriis ad aliquem statum altiorem pervenisset, ex communi sententia tenetur cum ejus jactura statim restituere: quia hoc non est suum statum amittere, sed alienum, ac injuste possessum relinquere. Consulendum est tamen famæ creditoris, quantum fieri potest. Dixi 2. *modo debitor sua culpa &c.* secus enim non meretur dilationem, & sibi imputare debet, quod non possit restituere sine sui status amissione. Ita Sot. Tolet. & alii. Dixi 3. *Nec idem periculum &c.* Nam ex sententia communi si creditor ob dilationem solutionis amissurus sit statum juste acquisitum, non debet differri solutio: quia extra necessitatem extremam

iniam in pari causa damni potior est conditio creditoris; ob jus habendi rem sibi debitam, quam possidet.

7. Damnum spirituale, vel temporale grave ipsi creditori, vel alicui tertio probabiliter eventurum ex restitutione: nam si damnum ipsi immineat, tunc differendo ejus negotium utiliter geritur; si aliis, ipse tenetur ex charitate pati dilationem sibi graviter non damnosam ad vitandum gravius damnum proximi. Immo ex charitate tenemur differre solutionem, si creditor pecunia restituenda certo abusurus esset ad peccandum, & spes sit dilata solutione malum illud impeditum iri. Item secundum communem sententiam ex justitia tenemur differre, si creditor re soluta abusurus sit contra justitiam (v. g. si furens repetat gladium apud te depositum ad occidendum inimicum) nisi ex revocatione æquale malum mihi impendeat; nunc enim rem reddere esset proxime cooperari peccato.

Quæst. VIII. An est obligatio compensandi lucrum cessans, & damnum emergens ex dilatione solutionis, vel restitutionis?

Resp. Debitor, qui ex culpa fuit in mora solvendi tempore debito tenetur ista compensare: quia peccavit contra justitiam. Quod si sine sua culpa non restituit tempore debito, adhuc ad id tenetur, si debitum erat ex delicto: quia injuria præcedens est causa illorum, cum sine illa non contigissent. Sed juxta multos non tenetur debitor ex contractu justo, nisi fuerit culpabiliter in mora: ex reg. jur. 41. in 6. quia non est causa injusta, nequidem mediata lucri cessantis, & damni emergentis; sicque videntur contractus intelligi. Recte limitant, nisi differat solutionem præcise ad vitandum damnum aliquod grave, quod statim solvendo pateretur; & non ob necessitatem gravem, & extremam: nam tunc debitor ex contractu tenetur compensare creditori lucrum cessans, & damnum emergens ex dilatione illa licet justa: quia in tali casu potior est conditio creditoris possidentis jus exigendi solutionem.

PARS

PARS TERTIA.

De injuriis in particulari, & necessaria restitutione.

CAPUT PRIMUM.

De injuriis, & damnis in bonis spiritualibus; & necessaria restitutione.

Bona spiritualia alia sunt naturalia, ut potentiæ naturales, scientiæ, & artes, earumque usus, & alia supernaturalia, quæ ad animæ sanctitatem, & salutem immediate ordinantur, ut sunt gratia, virtutes infusæ, earum actus, bona merita, Sacramenta, &c.

Quæst. I. An qui injuste læsit alterum in bonis spiritualibus naturalibus tenetur ad restitutionem?

Resp. Qui veneno, potione, vel alio modo alium memoria, vel usu rationis, aut alterius potentiæ naturalis privavit, aut maleficiis dementavit, vel vi, aut fraude pertraxit ad aliquid sumendum, ex quo tale damnum secutum est; peccavit graviter contra justitiam; & tenetur ex justitia tollere, ac curare ista mala, si potest, & resarcire omnia damna inde secuta. Est communis sententia: quia illorum causa est per injuriam violando jus, quod proximus habet ad bona temporalia. Item qui alteri causa est injusta damni in scientia, vel arte, tenetur omnia damna inde ipsi, aliisve secuta resarcire, & revocare, si falsa docuit: nam qui actione, vel omissione injusta posuit causam damni, tenetur causam illam tollere, & damnum omne inde secutum resarcire.

Quæst. II. An qui alterum læsit in bonis supernaturalibus, tenetur ad aliquam restitutionem?

Resp. 1. Qui alterum vi, metu, vel fraude, vel alio modo injusto induxit in peccatum, vel abduxit a bono opere, aut decepit falsa doctrina contra fidem, vel bonos mores, tenetur ex justitia seductionem tollere, fraudem, & errorem aperire, & removere causam ulterioris lapsus, & curare quantum potest, ut alter restituatur in eum statum, de quo injuste eum dejecit v. g. inducendo ad pœnitentiam, orando Deum pro ejus conversione &c. Est communis sententia; quia est causa injusta talis damni.

Resp. 2. Ex communi sententia, qui sine metu, vi, fraude, & deceptione alium in peccatum induxit, non tenetur ei ex justitia ad restitutionem, nisi sit Prælatus, vel

vel alius, qui ex officio tenetur promovere bonum spirituale suorum: quia ubi hæc non sunt, non est injuria. Talis tamen tenetur ex charitate, plusquam alii, curare, ut alter convertatur. Si quis tamen solo consilio etiam, vel precibus induxisset alterum in peccatum injustitiæ contra tertium, peccavit contra justitiam: unde in defectu inducti tenetur ei tertio de damno. Ut patet ex dictis cap. præced.

Quæst. III. An qui avertit aliquem a Religione, tenetur ad aliquam restitutionem?

Resp. 1. Qui vi, metu, calumnia, fraude, mendacio, aliove modo injusto impedit, vel avertit aliquem a religionis ingressu, vel professione, peccat graviter contra justitiam, & tenetur vim, ac fraudem tollere, & ei suadere ingressum, seu reditum, & monasterio compensare, quanti valebat spes commodi temporalis, quod ex ipsius donatione, labore, ac industria expectabatur, si injuste (29) abductus non fuisset. Est communis sententia, quia utrique fecit injuriam damnosam. Ipse tamen non tenetur ingredi religionem: quia status religionis requirit Dei vocationem, & nullus ad illum nisi sponte volens admitti debet.

Resp. 2. Ex communi sententia, qui alterum sine vi &c. sed sine justa causa a religionis ingressu, aut professione avertit, non tenetur ad restitutionem, cum nemini injuriam fecerit. Sed peccat contra charitatem, ex Trid. sess. 25. cap. 18. Nulla tamen erit culpa, si adsit causa justa dissuadendi religionem. Licet etiam parentibus, si prudenter dubitent de viribus vel constantia suorum liberorum, illos ad tempus non longum retinere, & probare: sed graviter peccant, si eos exponant periculis peccandi &c. ut sic a proposito avocent.

Resp. 3. Qui religiosum, etsi sine vi, & dolo, sed solo consilio, vel precibus a religione abduxit, tenetur ex justitia compensare monasterio damna temporalia inde secuta: quia fecit injuriam religioni. Sic etiam abducens servum a Domino tenetur ad restitutionem.

CA-

(29) Attendendo tamen varias quæ hic occurrunt circumstantias, an v. g. Novitius Professioni proximus esset; an non præ inconstantia sponte sua recessurus videretur &c. Quod si Religiosus ex iis futurus erat qui tantum aut plus consumunt quam lucrantur, nulla est restituendi obligatio.

CAPUT SECUNDUM.

De injuriis in corpus proximi per homicidium, & mutilationem, & necessaria restitutione.

NOta 1. Præcepto, *non occides*, prodibentur homicidium, mutilatio, percussio, & similis afflictio, ac damnificatio corporalis injusta: item horum causæ, & dispositiones, ut odium, vindicta &c. Immo, ut a Christo explicatur, est etiam affirmativum, præcipiens humanitatem, injuriarum condonationem &c. Porro homicidium gravissimum crimen est, cum per illud injuste adimatur proximo bonum temporale maximum, & irreparabile. Fit etiam gravis ex circumstantia personæ, quæ occiditur, ut si sit pater, Clericus &c. 2. Est de fide licite occidi animalia in usus hominum, ex Genes. 1. & 9. Tenetur tamen homo abstinere a crudelitate, qua utendo, & bestias doloribus sine causa conficiendo, peccat saltem venialiter: quia in hoc est quædam inordinatio, & abusus dominii, ex Prov. 12.

Quæst. I. An licet peccatores occidere?

Resp. 1. Licet auctoritate publica occidere peccatores Reip. noxios, Exod. 22. & Rom. 13. Quia talis potestas necessaria est Reip. ad bonum commune, & publicam tranquillitatem, ideoque a Deo Reip. concessa est.

Resp. 2. Non licet auctoritate privata peccatores occidere, præcise propter eorum scelera. Ita omnes ex Matth. 26. & ex capit. *Quicunque* 23. quæst. 8. Quia id illi soli a Deo concessum est, cujus est procurare bonum publicum.

Sed an licet verberare aliquem ob culpam, quam admisit?

Resp. Non licet, nisi habenti potestatem in delinquentem: quia verberatio est quædam punitio, & pœna: punire autem, & pœnam non licet infligere, nisi illi, qui habet jurisdictionem. Ita D. Thom. 2. 2. q. 65. artic. 2.

Quæst. II. An licet occidere uxorem, vel filiam in adulterio deprehensam, vel ipsum adulterum?

Resp. neg. Est communis sententia, ex capit. *inter hæc* ex seq. 33. quæst. 2. & ex S. August. l. 2. *de adult. conjug.* cap. 15. & ex reg. jur. 136. Nam præter rationem adductam quæst. præced. est contra charitatem sine urgenti necessitate recusare reo spatium ad pœnitentiam, sed illum statim cum periculo certo damnationis æternæ occi-

occidere. Hinc Alexand. VII. damnavit hanc propositionem: „ Non peccat maritus occidens propriâ au- „ ctoritate uxorem in adulterio deprehensam. “ Porro leges civiles, quæ hoc factum non improbant, id faciunt per meram tolerantiam, ne videantur favere adulteris, & ob justum, ac gravissimum dolorem in tali casu, & vehementiorem iræ motum, quem quis facile temperare nequit.

Quæst. III. An licet seipsum occidere, vel mutilare?

Resp. 1. Non licet sine auctoritate divina seipsum occidere. Ita omnes, ex S. August. lib. 1. de Civit. Dei cap. 17. & can. 9. & seq. 23. quæst. 5. & ex generali præcepto, *Non occides*. Ratio est, quia homo non est dominus suæ vitæ, sed solus Deus, Deuter. 32. Porro Martyres, qui se in rogum conjecere, id fecerunt ex speciali Dei inspiratione, ac proinde auctoritate divina. Hinc quilibet tenetur vitam & membra conservare mediis ordinariis, quia moraliter censetur mortem sibi inferre, qui non utitur mediis, quæ auctor naturæ providet ad ordinariam vitæ conservationem. Tamen juxta multos non tenemur uti mediis valde extraordinariis, vel pretiosissimis cum jactura omnium bonorum, quia hoc non est se occidere; sed solum suam mortem permittere ob justam causam.

Resp. 2. Ex communi sententia licet ob gravissimam, & justam causam aliquid facere, vel omittere, unde præter intentionem mors sequatur: nam non est præceptum homini, ne vitam suam periculis unquam exponat, nec præceptum est, ut semper conetur eam servare positive, quantum potest, sed tantum ne absque justa causa illam periculo exponat. Sic (30) miles v. g. potest, & tenetur manere in statione ob bonum commune, & aggredi hostes cum certo mortis periculo.

Resp.

(30) Sic etiam potest quis vitam exponere navigando ob publicam utilitatem; si tamen mare aliquod ita naufragiis famosum esset, ut nemo fere ab eo evaderet, haud liceret se ei committere, nisi id postularet privati vel communis boni necessitas. Licet etiam, cum avertendum est imminens Reipublicæ damnum. Hinc excusant aliqui eos qui naves suas jam in potestatem hostium deventuras incendunt, etiamsi flammis una cum navi consumendi sint, vel qui easdem naves succendunt, ut hostes Reipublicæ perniciosos quibus permixti sunt e medio tollant; sed alii melius negant; nisi qui navem flammis consignant, sperare possint, se natando ex aquis ad portum emersuros esse: licet enim indirecte & negative se occidere cum agitur de avertendo proximi damno, sive spirituali sive temporali, ut etiam Auctor dicit in Tract. de charitate.

Resp. 3. Non licet seipsum mutilare, nisi hoc sit necessarium ad salutem corporis. Ita omnes. Patet ex quæst. 3. Hinc nunquam licet se castrare ad vitandas tentationes, servandamque castitatem: idque vetat Concil. Nicæn. I. can. 1. nam mutilatio non est medium necessarium ad salutem animæ, cum membra detrimentum animæ nunquam afferre possint: alioqui Deus prave naturam instituisset. Item non licet parentibus castrare pueros, etsi consentientes, ad conservandam vocis suavitatem, etiam in obsequium Ecclesiæ. Dixi. *Nisi sit necessarium &c.* Quia pars ordinatur ad totum, & est propter totum: immo tenetur homo permittere abscissionem membri, si hæc a medicis ad vitæ conservationem judicetur necessaria, nec perferendi sint acerbissimi dolores: ratio est, quia licet teneatur vitæ suæ periclitanti opitulari mediis non valde difficilibus: tamen non tenetur vitam conservare mediis nimis acerbis, & (31) moraliter impossibilibus, nisi ejus vita censeatur bono communi necessaria.

Quæst. IV. An licet aliquando occidere innocentem?

Resp. 1. Nunquam licet directe occidere innocentem. Ita omnes. Exod. 23. Patet ex resp. ad præced. quæst. Hinc non licet infantes, vel uxores hostium in bello etiam justo captos occidere, ut parentes obsessi se ad filios a nece liberandos dedant. Nec etiam licet rabiosos suffocare, ne aliis noceant, sed debent includi, vel alligari. Quod si injuste aggrediantur, is solum potest vim vi repellere cum debita moderatione, nec plus, quam necessarium est ad vitam tuendam.

Resp. 2. Licet interdum ob gravissimam causam aliquid facere, vel omittere, unde præter intentionem sequatur mors innocentis. Ita passim Doctores, qui docent, 1. in bello justo licere duci ad expugnandos hostes dirigere tormentum bellicum in turrim, vel arcem, in qua innocentes aliqui præter intentionem perituri sunt: tunc enim non censetur moraliter causa illorum mortis, sed solum illam permittere. 2. Licere (32) civitati cogere civem inno-

(31) Hinc graviter peccat qui ex intentione, aut etiam advertenter jejuniis aut vigiliis sanitatem, aut vitam suam immoderate læderet: quia faceret contra charitatem sibi debitam in re gravi. Ast secus est de illo, qui moderate corpus affligit; is enim pietatis opus exercet, cum sequatur Apostoli consilium. 3. Coloss. v. 5. *mortificate membra vestra.* Abesse tamen debet minuendæ quæ nostra non est vitæ intentio; qui enim vel diem vel horam sibi adimeret, esset occisor sui. Unde in his omnibus standum est sapientis Confessarii judicio, ad quem pertinet nimios nascentis pietatis impetus compescere.

(32) Si autem tyrannus, civitatem obsidens, alicujus civis mor-

innocentem ad adeundum tyrannum, qui civitati excidium minaretur, nisi traderetur sibi civis ille, quamvis prævideretur occidendus: nam civitas potest cogere cives ad id; quod jure naturali tenentur. Quod si civis ille nollet obtemperare, jam vere non esset innocens; unde jam posset a Rep. tyranno tradi. Secus si tyrannus peteret virginem ad illam stuprandam.

Quæst. V. Nunquamne licet procurare abortum?

Resp. 1. Per se semper est mortale directe impedire, ne fœtus humanus concipiatur, aut conceptus animetur, vel fœtum ejicere: ex S. Basil. epist. an Amphiloch. & ex Conciliis Eliberit. Ancyr. Moguntin. VVormat. & ex cap. 5. *de homicidio*. Et ratio est, quia hoc repugnat bono speciei humanæ, & naturali fini seminis humani, quod ex se ordinatur ad generationem, & speciei humanæ conservationem, & propagationem: ideoque ingens scelus est. Hoc tamen scelus non est proprie, ac stricte homicidium ex c. 20. *de homic.* ubi dicitur non inducere irregularitatem; nam fœtus inanimis non est simpliciter, & complete homo.

Resp. 2. Qui animato fœtui abortum procurat, vere ac proprie homicidium committit: nam revera hominem injuste occidit, ideoque fit irregularis, ex cap. cit. Item (33) ex Const. Sixti V. & Gregor. XIV. excommunicatus

mortem petat, minitando se alioquin omnes Reipublicæ cives interempturum; non possunt cives eum occidere quem petit tyrannus: tum quia generaliter vetat Deus, ne innocens occidatur; tum quia etsi civitas civium suorum vitam exponere possit, jubendo ut contra hostes pugnent, iis tamen vitam auferre non potest.

(33) His pœnis subjacent non solum illi qui ex intentione directa hoc agunt, ut sequatur abortus, sed etiam qui ex interpretativa. Præterea qui sic procurant abortum fœtus animati, item illi vel illæ, qui vel operam, consilium, aut favorem dederint quomodocumque, incurrunt excommunicationem, quæ nunc ex Indulto Gregorii XIV. tolli potest a quolibet „ Confessario, tam sæculari quam re„ gulari ad Christi-fidelium con„ fessiones audiendas, & ad hos „ casus specialiter per loci Or„ dinarium deputato. " Verba sunt ejusdem Gregorii. Hinc verius videtur, quod non possit absolvere ab hoc casu, qui generalem habet potestatem absolvendi a casibus & censuris Episcopo reservatis, cum Pontifex requirat, ut Confessarius sit specialiter deputatus ad eos casus de quibus loquitur. Consulenda sunt uniuscujusque Ecclesiæ statuta.

Qui vero fœtus inanimati abortum procurant, aut mulieribus venena sterilitatis ministrant, aut qui consilium vel auxilium ad hoc præbent, ii post prædictam Gregorii XIV. moderationem non subjacent excommunicationi. „ Nec etiam irregularis judicandus est, nisi qui formato puer„ pe-

tus est. Quare nunquam licet abortum procurare, etiamsi alioqui sit periculum, ne fœtus simul cum matre intereat. Idem dic, si dubium sit, an fœtus sit animatus; quia esset periculo se exponere occidendi innocentem. Hinc Innocentius XI. damnavit has propositiones; „ Licet procurare abortum ante animationem, ne puella deprehensa „ occidatur, aut infametur: . . . Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum „ paritur: ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi. " Cum autem incertum sit animationis tempus; alii enim assignant diem a conceptu 30. vel 40. pro mare, & 50. vel 80. pro femina, alii aliter, raro abest periculum homicidii in procurando abortu.

Sed num licet ad matris conservationem ei præbere pharmacum, quo fœtus putetur moriturus?

Resp. 1. Non licet, etiamsi certa sit utriusque mors, si non adhibeatur, & probabile sit matrem servandam illo adhibito: quia hoc esset procurare abortum directe, seu ex natura operis, quod est semper intrinsece malum, utpote contra naturam, & finem generationis, sive ante, sive post fœtus animationem, quamvis, ut ex dictis patet, multo minus liceat post animationem.

Resp. 2. Ex communi sententia licet matri sumere, & ei præbere remedium per se curativum matris, nec per se tendens ad abortionem, quamvis sit periculum ne abortio sequatur, modo constet fœtum non esse animatum, & mater alioqui moritura esset: tunc enim præter intentionem, nec ex ipso opere sequitur abortio, matre utente jure suo. Non licet tamen matri non ex morbo periclitanti sumere, nec ei dare pharmacum quodvis, quo expellatur, vel expelli possit fœtus etiam inanimatus, quamvis matri immineret infamia, vel mors inferenda ab extrinseco, ob motiva superius jam dicta.

Resp. 3. Si proles sit animata, vel dubitetur, an sit, est mortale adhibere remedium directe curativum matris, sed cum periculo mortis fœtus, si probabile est eo non sumpto prolem vivam edendam esse, & sic baptizandam. Est com-

„ perio, seu fœtu, abortum procurat: " ait Sanctus Thomas in 4. dist. 31. Quod si dubitetur, an causa data fuerit abortui, vel an fœtus fuerit formatus, tunc abstinendum est a promotione, & ministerio ne periculum incurratur. S. Antonin. 3. p. tit. 28. c. 2. Pontas V. Irregularitas, cas. 53.

communis sententia: quia mater tenetur salutem æternam prolis in extrema necessitate præferre vitæ propriæ corporali. Non tamen licet matrem discindere, ut proles baptizetur; quia directe occidere innocentem est intrinsece malum. Quod si æquale periculum est abortus, sive remedium sumatur, sive non, licet matri illud sumere; quia tunc sine majore periculo, ac damno fœtus consulitur vitæ matris.

Quæst. VI. An licet injustum aggressorem actualem occidere in vitæ suæ defensionem?

Resp. Ex S. Thom. Catechismo Rom. & communi sententia Doctorum, licet omnibus cum moderamine inculpatæ tutelæ, Exod. 22. cap. 18. *de homic.* Nam homo habet jus conservandi vitam injuste oppugnatam, & illam præferendi vitæ injusti aggressoris, qui se ex mera malitia in hoc periculum mortis conjecit. Sed ut hoc licitum sit, quædam requiruntur. 1. Ut sit actualis aggressio. 2. Ut nihil fiat, nisi quod necessarium est ad vitam servandam, ex cap. cit. Hinc si injustum invasorem armis spoliando, vel debilitando, aut vulnerando possis mortem vitare, non licet illum occidere; cum tunc ejus occisio non sit necessaria ad vitæ defensionem. 3. Ut nihil ex odio, neque ex animo vindictæ fiat, & ut non intendatur mors invasoris; sed sola vitæ propriæ conservatio per justam sui defensionem. 4. Ut aggressor non sit persona reip. necessaria, aut valde utilis, ut princeps, dux exercitus &c. cæterum in praxi percussio, & occisio injusti vitæ aggressoris, raro vacat culpa, quia fere nunquam servantur hæ conditiones.

Sed an tenetur ad restitutionem, qui in defensione vitæ alterum occidit, vel mutilavit?

Resp. Non tenetur, si id fecit cum debita moderatione; quia nullam intulit injuriam. Secus, tenetur omnia damna compensare: quia illa occisio fuit injusta, utpote non necessaria ad vitæ defensionem. Est communior sententia.

Quæst. VII. An licet occidere accusatorem, & falsos testes, qui vitam injuste oppugnant?

Resp. neg. Nam qui falsum testimonium dicit in judicio, non censetur aggressor vitæ sed committit *injustitiam*, quæ ex se puniri potest, & alia via repelli: nam non propria auctoritate, sed per judicem, & servato ordine juris procedit. Hinc Alex. VII. damnavit hanc propositionem: „Licet interficere falsum accusatorem, falsos
„ testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet
„ sententia, si alia via non potest innocens damnum evi-
„ tare."

Quæst. VIII. An licet occidere pro defensione pudicitiæ eum, qui eam tentat violare?

Resp. Multi docent id licere, si aliter pudicitia defendi nequeat, hancque esse communem sententiam asserunt Lessius, & Sylvius; quia pudicitia, ac integritas est bonum maximi momenti, superioris ordinis ad bona fortunæ immo in æstimatione multorum bono vitæ æquiparandum, & aliunde, si amittatur, irreparabile. Idem docet S. Antonin. 2. p. tit. 7. c. 8. Sed alii negant ex Scriptura, PP. Conciliis, ac Summis Pontificibus. Et eorum ratio est, quod pudicitia, cum sit virtus, non in corpore, sed in anima residet, nec amitti potest, nisi per consensum liberum. Et aliunde per occisionem invasoris adimitur ei pœnitentiæ, & animæ servandæ locus. Porro certum est teneri mulierem, vel adolescentem resistere invasori pudicitiæ, tum interius per displicentiam, tum exterius totis viribus, manibus, pedibus, aliove modo sibi possibili: ita ut ei non liceat, etiam ad vitandam mortem, quieto, & immoto corpore, manere: nam non resistentia exterior esset cooperatio, qualis potest esse ad congressum turpem. Quod si nequeat se tueri, tenetur alios clamoribus in auxilium vocare; nam tenetur omnes vias necessarias adhibere ad impediendum turpem congressum, ex 22. Deuteron.

Quæst. IX. An licet occidere furem in defensionem bonorum, quæ dicuntur fortunæ?

Resp. 1. Certum est non licere ob bona non magni momenti, ut patet. Item, si bona sint magni momenti, sed possint aliter recuperari, puta in judicio. Constat ex dictis.

Resp. 2. Multi cum S. Antonino docent licere injustum aggressorem actualem occidere in defensionem bonorum magni momenti; quæ non possunt aliter defendi, aut recuperari. Sed alii negant id licere etiam laicis, nisi bona illa sint vitæ conservandæ necessaria. Ita Innoc. IV. in cap. *Si vero* Fagnanus asserens esse communem Canonistarum sententiam, aliique. Ex Scripturis, ac præcipue Exod. 22. Ps. Canonib. Summis Pontificibus, jure civ. l. 4. §. ad l. *Aquil.* & l. 9. §. ad *l. Cornel.* loquendo de fure diurno. Et ratio est, quia iniquum est, & contra debitum charitatis ordinem privata auctoritate adimere proximo bonum superioris ordinis, & per se irreparabile, nempe vitam, ob bonum ordinis inferioris, & per se reparabile, conservandum. Hinc a Clero Gallic. ann. 1700. damnata est, ut legi Dei, & ordini charitatis divinitus instituto contraria, perniciosa, & erronea hæc propositio generaliter, & indefinite sumpta: „ Non solum vitam,

 „ sed

„ sed etiam bona temporalia, quorum jactura esset dam-
„ num gravissimum, licitum est defensione occisiva defen-
„ dere. Fatemur rarius licitum esse Ecclesiasticis. Si ta-
„ men aliquando contingat futurum tale malum, idest
„ gravissimum damnum, etiam ipsis licitum erit bona ista
„ cum occisione furis defendere. " Alii denique docent licere quidem injustum aggressorem occidere ad defendendum bona temporalia, quæ aliter &c. si illa bona sint magni momenti, & necessaria ad status sui conservationem. Certe videtur non licere privata auctoritate occidere injustum aggressorem ad tuendum bona magni momenti, sed quæ non sunt domino necessaria ad vivendum convenienter suo statui: nam nimis magna esset disproportio inter malum, quod inferretur, & illud, pro quo vitando inferretur: Ideoque inæqualitas, & injustitia. Quapropter Innocentius XI. damnavit has tres propositiones: „ 31. Regulariter occidere possum furem
„ pro conservatione unius aurei. 32. Non solum lici-
„ tum est defendere defensione occisiva, quæ actu pos-
„ sidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habe-
„ mus, & quæ nos possessuros speramus. 33. Licitum
„ est tam hæredi, quam legatario contra injuste impe-
„ dientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvan-
„ tur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in ca-
„ thedram, vel præbendam contra eorum possessionem in-
„ juste impedientem. "

Quæst. X. An licet occidere alium in defensionem honoris, & famæ?

Resp. Nemini licet etiam ad injustam infamiam, aut contumeliam impediendam, vel reparandam. Nam vita est bonum per se irreparabile, & majus honore, ac fama, cum inter bona naturalia principem locum habeat: honor vero, & fama sunt bona inferioris ordinis, & per se reparabilia: unde inter illa non est proportio, & æqualitas. Hinc Innocent. XI. damnavit hanc propositionem:
„ Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur
„ calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari ne-
„ quit. Idem quoque dicendum, si quis impingat ala-
„ pam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam,
„ vel ictum fustis fugiat. " Hinc etiam ex communi sententia non licet alapam pro alapa, fustem pro fustibus reddere, si jam percussor ab injuria destitit: quia jam non esset defensio, quæ locum non habet nisi in actuali aggressione, sed vindicta. Immo non licet convicia conviciis, contumelias contumeliis repellere: quia hæc non est via ordinata, & apta honoris defendendi. Sed illatæ contumeliæ repelli possunt verbis non contumeliosis; vel

satisfa-

satisfactione injuriarum, si necesse sit ad reprimendam alterius audaciam, vel ad dignitatem, ac auctoritatem suam tuendam, sine tamen odio &c. ex Matth. 7.

Quæst. XI. An in defensionem alterius licet occidere injustum invasorem, & ad hoc tenemur?

Resp. 1. Ex communi sententia licet vitam proximi ab alio injuste oppugnatam defendere, etiam cum occisione invasoris injusti, si aliter defendi nequeat: sicut enim ita possumus vitam propriam, ita & vitam proximi innocentis defendere.

Resp. 2. Per se loquendo nemo tenetur vitam hominis privati defendere cum periculo vitæ propriæ: quia quisque potest secundum ordinem charitatis magis vitam propriam diligere, quam vitam alterius privati. Privati tamen tenentur vitam suam exponere ob defensionem Principis, vel alterius personæ publicæ, ex cujus morte sequeretur grave detrimentum reip. ut alibi sæpe diximus.

Resp. 3. Sub mortali tenemur ex charitate vitam proximi injuste oppugnatam defendere, quando possumus, sine probabili periculo vitæ propriæ, & gravi damno proprio. Prov. 24. Nam ex lege charitatis tenemur impedire grave damnum injustum proximi, cum sine gravi nostro possumus. Quin etiam juxta varios ad id tunc tenemur etiam cum occisione invasoris injusti, si aliter defendi nequeat: quia melior est conditio innocentis, quam injusti aggressoris. Porro quisque tenetur ex charitate etiam honorem, & famam, & bona alia proximi defendere contra injuriam, cum commode potest, resque exigit: cum quisque teneatur diligere proximum, sicut seipsum. Nemo tamen tenetur nocentem morte justa damnatum liberare, etsi magna vi pecuniæ posset: quia bonum commune ita postulat, ut patet.

Resp. 4. Obligantur ex justitia ad tuendam vitam, & fortunas proximi 1. Superiores publica auctoritate ad aliorum gubernationem præditi, ut princeps, magistratus &c. 2. Qui ad tuendum proximum, a principe, vel magistratu constituti sunt, ut tutores, curatores &c. 3. Qui ad hoc specialiter conducti sunt, ut milites. 4. Qui ad hoc se explicite, vel implicite obligarunt, ut feudatarii, & omnes famuli.

Quæst. XII. Quandonam homicidium casuale est peccatum, & obligat ad restitutionem?

Resp. 1. Homicidium, quod nec in se, nec in sua causa est voluntarium, non est peccatum, immo nec proprie homicidium, sed simplex occisio, cum peccatum sit essentialiter voluntarium.

Resp. 2. Qui facit actum etsi licitum, sed periculosum,

sum, omissa diligentia debita ad vitandam mortem alterius, reus est homicidii, & tenetur ad restitutionem, quamvis alium præter intentionem occidat: quia homicidium est voluntarium in causa. S. Thomas 2. 2. q. 64. artic. 8.

Resp. 3. Qui facit actum illicitum periculosum, si alterum occidat, licet præter intentionem, reus est homicidii, & tenetur ad restitutionem, quantamcumque aliunde diligentiam adhibuerit ad vitandam occisionem alterius. Quia occisio est ei voluntaria in causa, nempe in omissione debitæ cautionis, ad hoc enim debebat omittere actum illicitum, ex quo sciebat &c. sequi posse alterius occisionem; & occisus habebat jus, ne fieret actus illicitus sibi periculosus. S. Thom. 2. 2. quæst. 64. art. 8. Hinc peccant mortaliter parentes, qui infantes valde teneros in lecto secum collocant, etiamsi mors non sequatur: nam hoc est valde periculosum, etiam quavis diligentia aliunde adhibita. Unde id prohibetur can. *Consuluisti* 2. q. 5.

Resp. 4. Omittens aliquid, ad quod ex justitia obligatur, si ex ejus omissione periculosa sequatur mors alterius, quamvis præter ejus intentionem, peccat peccato homicidii, & tenetur ad restitutionem: quia *homicidium* est ei voluntarium in causa, nempe in omissione debitæ diligentiæ ex justitia. Hinc medicus, advocatus &c. reus est homicidii mortalis, si ob ejus imperitiam, vel negligentiam æger moriatur, aut innocens morte damnetur.

Resp. 5. Omittens aliquid, ad quod ex charitate tantum obligatur, si alter ex tali omissione moriatur, peccat mortaliter, & reus est mortis alienæ; nam hæc est ei sufficienter voluntaria in omissione. Non tenetur tamen ad restitutionem; quia non peccavit contra justitiam commutativam, & fecit homicidium late, non stricte sumptum. Quæ hic dicta sunt de homicidio, ea sunt applicanda mutilationi, & aliis peccatis, ac damnis, quæ ex alterius actu sequuntur. Vide dicta quæst. 10. cap. 3.

Quæst. XIII. An duellum est aliquando licitum? Duellum proprie est duorum, vel paucorum certamen in certo loco, & tempore designato cum vitæ, vel mutilationis periculo ex mutuo consensu initum auctoritate privata.

Resp. Duellum, quod fit auctoritate privata, sive *duellum* proprie dictum semper est mortale, & intrinsece malum, nec unquam licet illud offerre, vel acceptare. Ita omnes. Nam prohibetur ab utroque jure, tam canon. quam civili. Ab illo cap. 1. *de Torneam.* Ex Conc. Later. & cap. 1. *de purgat. vulg.* & sess. 25. cap. 19. ex Concil. Trid. Ab isto vero plerumque principum edictis. Et ratio est,

est, quia Deus solus habet dominium vitæ hominis: unde non licet eam destruere, nec illius destruendæ periculo se exponere sine auctoritate Dei, qui hanc non dedit privatis nisi ad necessariam vitæ defensionem; nam destructio rei, propria auctoritate facta actus est dominii in illam. Adde, quod si duellum fiat vel ad indagandam veritatem, aut ad justitiam, & innocentiam probandam; tunc crudelitati additur superstitio; nam hoc medium fallax est, & improportionatum, cum innocens possit perinde occidi ac reus; vel ob inimicitias, & ad injuriam vindicandam; at vindicta nunquam licita est privata auctoritate, immo nec publica cum æquali periculo injuriam passi. Hinc Alexand. VII. damnavit hanc propositionem: „ Vir equestris ad duellum provocatus potest illud „ acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat." Porro non licet provocato hora condicta ad locum certaminis se conferre, etsi animo non duellandi, sed se defendendi contra provocantem, si ab ipso oppugnetur; quia moraliter, & in æstimatione prudenti, & æquivalenter hoc esset duellum acceptare.

Dixi, *duellum quod fit auctoritate privata*: nam pugna paucorum, quæ auctoritate Principis in bello justo cum hoste suscipitur ob bonum commune, non est stricte duellum, & juxta multos potest quandoque esse licita, ut 1. Si suscipiatur ad justum bellum conficiendum, quia paucorum pugna non est minus licita, quam pugna generalis. 2. Si tempore belli videtur necessaria ad debilitandos hostium animos, & suorum erigendos, & ad victoriam facilius consequendam, ob eamdem rationem. Illicita tamen esset pugna inter duos, vel paucos milites, etsi cum consensu Principis ad delectationem quamdam, aut vanam ostentationem, aut privatam illorum vindictam, ut patet.

Quæst. XIV. Quænam sunt pœnæ duelli?

Resp. Concil. Trid. sess. 25. cap. 19. ipso facto excommunicat. 1. Principes, ac dominos temporales, qui in suis terris locum aliquem ad ejusmodi pugnam concesserint. 2. Suasores, & spectatores duelli. 3. Ipsos pugnantes, & qui eorum patrini vocantur, cum proscriptione bonorum, perpetua infamia, & pœnis homicidarum; & si in conflictu decesserint, privatione ecclesiasticæ sepulturæ, Gregor. vero XIII. Constit. 78. & Clemens VIII. Constit. *Illius vices*, pœnas illas extenderunt ad duella privata, seu non solemnia, hoc est, in loco non tuto, nec publice commissa, & absque patrinis, sociisve; immo ad provocantem, & acceptantem, etiamsi pugnam ob aliquid impedimentum non commiserint, sed ad locum accesse-

cesserint pugnaturi, & per eos non steterit, quominus pugnarent. Item Clemens VIII. hanc excommunicationem Papæ reservavit, & hanc cum aliis pœnis supradictis extendit etiam ad suadentes, vel provocantes, ad spectatores, ad scribentes, mittentes, ac divulgantes chartulas provocatorias, eorumque fautores, & complices, ad eos, qui ad duellum arma, equos, commeatus, vel consilium, auxilium præbuerint, vel præberi curaverint quocumque modo, etiamsi pugna non fuerit secuta, atque etiam ad eos, qui paciscuntur de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus utrinque illatus fuerit.

Nota 1. Nomine spectatorum juxta multos non intelliguntur casu, & obiter aspicientes duellum, qui illac fortuito transibant, sed qui illud spectant *ex composito*, ut fert Bulla Gregorii, *& de industria*, ut Clemens loquitur. 2. Ad contrahendam excommunicationem illam juxta multos requiritur pugna ex pacto invicem inito, uno scilicet indicente, & altero acceptante, cum designatione loci, ac temporis. Quia Gregorius expresse dicit, *Ex condicto, statuto tempore, & in loco convento*: & Clemens; *ex composito*. 3. Qui moritur in conflictu privatur sepultura Ecclesiastica. Si tamen duellum non fuerit notorium Barbosa monet tum Parochum debere rem ad Ordinarium deferre; quia publicæ pœnæ solum publicis criminibus, & auctoritate publica sunt infligendæ. 4. Secundum multos, qui alterum in duello utique voluntario occidit, non tenetur ipsi, nec ejus hæredibus ad restitutionem. Idem dic de provocato: nam scienti, & sponte consentienti non fit injuria. Nihilominus videtur teneri restituere damna creditoribus inde obvenientia, & alere uxorem, ac liberos occisi, si indigent, & occisus eos alebat ex suo quæstu: nam hic non potest valide condonare jus alienum. Constat autem provocantem teneri ad restitutionem, si provocatus occidatur, & involuntarie pugnarit, & solum ad vim repellendam, quia provocans est tunc aggressor injustus. Secus est de provocato, qui voluntarie, & ex condicto descendit in pugnam, cum & ipse tunc censeatur, & sit aggressor; nam revera nullam vim patitur, nec pure se defendit, sed provocantem etiam aggreditur.

Quæst. XV. Quid tenetur homicida, vel mutilator restituere?

Resp. 1. Ex communi sententia læsor tenetur solvere integras expensas factas in curationem læsi, & compensare omne lucrum cessans, & damnum emergens, l. ult. §. *de his, qui effud.* & cap. ult. *de injur.* Quia injusta

sua

suâ actione fuit causa efficax talium damnorum, & lucri cessantis. Omnia autem damna realia, & lucrum cessans restitui debent hæredibus occisi, qui ex ejus morte hæc damna passi sunt, l. 37. §. *de acquir. vel amitti hæred.* ob rationem toties jam dictam. Jamvero debet tantum restituere, quantum judicio prudentum valet spes lucri, spectatis omnibus circumstantiis, nempe hominis occisi, vel læsi valetudine, robore, ætate, peritia, artificio, statu, modo vivendi, & lucrandi, deductis quidem impensis, & iis, quæ consumpsisset. At ex communi sententia deduci non potest æstimatio laboris; tum quia labor fuit injuste impeditus; tum quia alioqui nil plerumque restituendum esset, cum sæpe lucrum non superet æstimationem laboris. Item occisor tenetur aliquod arbitrio prudentum restituere animæ occisi; si non constet decessisse in statu peccati, & præsumatur pro peccatis suis esse satisfacturus, si diutius vixisset. Nam ex hac parte damnum spirituale per injuriam illatum est, eum privando facultate præstandi has satisfactiones.

Quod si homicida, vel alius damnificator moriatur antequam restituerit, tenentur hæredes ex ejus bonis restituere, quantum ipse tenebatur; quamvis jus civile neget hæredibus occisi actionem de damno in foro externo in hæredes occisoris, nisi ante mortem ejus lis contestata fuerit, sed hoc non liberat eos in foro conscientiæ; ut patet. Immo ex communi sententia ad restitutionem tenentur hæredes, etiamsi læsor morte, vel alia pœna mulctatus sit: quia damna privata non resarciuntur per hanc publicam punitionem, quæ in vindictam publicam, & terrorem aliorum irrogatur, & quæ est tantum compensatio injuriæ Reipublicæ illatæ: nisi tamen hæredes occisi contenti sint pœna talionis, ut plerumque solent, si sint nobiles, & divites: nam restitutionem remittere possunt.

Resp. 2. Ordinarie læsor nihil tenetur restituere pro impensis funeris. Nam cum aliquando faciendæ fuerint, nihil damni ex hac parte illatum est, nisi forte propter accelerationem, vel nisi funus factum sit in alieno loco, ubi majores sumptus, quam domi fieri debuerunt: nam omne lucrum cessans, & damnum emergens compensari debet.

Quæst. XVI. An (34) occisor, vel mutilator tenetur resti-

(34) Per injustum homicidium, aut mutilationem duplex infertur damnum, personale scilicet & reale. Personale est ipsa ablatio vitæ per homicidium, vel membri per mutilationem, vel convenientis usus membri per vulnerationem. Reale est ablatio com-

restituere non solum uxori, & liberis, sed etiam aliis, & creditoribus?

Resp. 1. Si occisus, vel mutilatus alebat uxorem, & liberos, vel parentes ex quæstu, quem faciebat læsor tenetur eos alere. Est communis sententia. Immo ad id tenetur, etiamsi læsus omnia, quantum potest, occisori remiserit; quia hæc obligatio oritur ex injuria talibus illata, quæ non potest, nisi ab illis remitti: & læsus non potest valide huic juri cedere, cum fundetur in specialissima conjunctione, & speciali debito ab invicem. Delugo, & alii. Dixi, *ex quæstu*. Nam si alebat eos ex bonis, quæ extant, & sufficiunt ad eos alendos, occisor non tenetur eos alere, sed solum omnia alia damna compensare.

Resp. 2. Occisor tenetur eos alere, quos occisus determinate alebat ex liberalitate, si probabiliter in posterum aliturus erat, & quamdiu erat aliturus. Ita S. Bernardinus, Azor dicens esse communem sententiam, & alii. Ratio est, quia ipsis fuit causa injusta talis damni, & fecit injuriam violando jus, quod habebant, ne via injusta impedirentur ab alimentis accipiendis a tali homine.

Respond. 3. Occisor tenetur restituere creditori occisi, quantum occisus probabiliter judicio prudentum soluturus erat, si bona ejus extantia non sufficiant ad debita omnia solvenda. Ita multi, ob eamdem rationem superiori respons. & alibi adductam. Id tamen, quod creditoribus restituetur, detrahendum erit ex iis, quæ hæredibus sunt restituenda; cum tanto minus ex bonis occisi post mortem ejus naturalem accepissent. Quod si hæredibus omne lucrum cessans, & damnum emergens restituerit, nihil debet creditoribus, quia hi debent petere solutionem ab hæredibus. Idem dic de mutilatore ob eamdem rationem.

Jam-

---

commodorum realium quæ acquisita fuissent per continuationem vitæ, vel illæsam corporis integritatem. Auctor prius loquitur de istis; de illis vero quæstione sequenti.

Jamvero apud omnes constat, eum qui ob necessariam sui defensionem alium occidit, non teneri ad restitutionem, quia non peccat contra justitiam: sed videndum, annon excesserit inculpatæ tutelæ moderamen; alioqui enim pro ratione excessus restituendum esset. Docent autem Navarrus & alii, eum cujus excessus peccatum mortale est semper teneri ad totius damni restaurationem.

Item melius censent illi, eum qui fugere potuit & debuit, ut Clericus, Religiosus, immo omnes, aut pene omnes laici, teneri ad restitutionem. Ratio est, quia qui fugit cum potest & debet est injustus occisor. Et hanc sententiam communem vocat Delugo disp. 10. sect. 8. n. 170. & alibi.

Jamvero dum læsus antequam moreretur, dixit se remittere injuriam, ac mortem occisori; id intelligi debet quoad odium, & rancorem, ut lege charitatis tenetur, vel etiam quoad actionem, & pœnam: non autem quoad restitutionem damnorum realium inde secutorum, nisi hanc clare exprimat. Nam remissio restitutionis non est necessario connexa cum depositione odii, & remissione pœnæ; nec ad eam læsus obligatur. Immo etiamsi hæc damna expresse remittat, non videtur valida esse remissio respectu creditorum, uxoris &c. juxta dicta quæst. præced.

Quæst. XVII. An debet aliquid restitui pro vita, membro, cicatrice hominis liberi?

Resp. Certum est 1. teneri læsorem ad satisfactionem pro injuria, quæcumque ea sit, &c. per significationem doloris, petitionem veniæ, aliaque submissionis signa apta ad placandum læsum, si adhuc vivat: nam omnis injuria tolli, ac resarciri debet ex justitia, quantum potest. Quod si conditio lædentis hoc non patiatur, & læsus placari possit per satisfactionem pecuniariam, ad hanc tenetur lædens saltem, ut quoddam est submissionis signum, & animi placandi medium. 2. Lædentem teneri in conscientia solvere mulctam pecuniariam a Judice impositam in pœnam: nam Judex habet jus puniendi injurias, & sententia justa obligat. Sed controversia est, an præcise pro vita, membro &c. pecunia sponte restitui debeat? Alii asserunt probabilius, quia omne damnum restitui debet eo modo, quo id fieri potest. Negant alii, eo quod nemo tenetur restituere damnum boni superioris ordinis per bona inferioris. Vide dicta p. 2. c. 6. q. 6. Dixi, *hominis liberi*. Nam pro vita animalis, aut mancipii solvi debet, quantum vendi poterant: pro mutilatione quanti minoris inde æstimantur; quia vita servi, & animalis pretio æstimatur, & sic ad æqualitatem compensari potest.

Quæst. XVIII. An tenetur ad restitutionem, qui putans occidere Petrum occidit Paulum, quem invincibiliter putabat esse Petrum?

Resp. Affirm. ex l. 18. §. *de injur.* quia voluit injuste occidere hominem, & reipsa occidit hunc, qui est Paulus. Ita Rebellus, & alii.

CAPUT TERTIUM.

De injuriis in corpus proximi per stuprum, adulterium, & de necessaria restitutione.

Quæst. I. AD quid tenetur corruptor Virginis?

Resp. 1. Ex communi sententia, qui virginem sponte consentientem, & absque ulla vi, fraude, dolo importunitate precum, & promissione matrimonii vitiavit, ad (35) nihil ei tenetur: quia scienti, & sponte consentienti non fit injuria, ex reg. jur. 26. in 6. Sed tenetur ad aliquam satisfactionem honorariam erga parentes puellæ adhuc sub patria potestate existentis per signa doloris, submissionis, petitionem veniæ &c. si crimen resciat. Ita Cajetanus, Navarrus, & alii cum S. Antonin. 2. part. tit. 5. cap. 6. Nam violavit jus custodiæ, quod habet circa illam pater. Item talis familiam dedecoravit. Quod si ideo parentes majorem postea dotem conferre debeant filiæ, ut nubat juxta suam conditionem, tenetur corruptor hoc damnum resarcire, cum sequatur ex injuria a se ejus parentibus illata, sicque ipse sit causa illius injusta. Ita Azor, Valentia, & alii multi. Porro tenetur mulier alere prolem a partu usque ad tertium annum. Ab anno tertio, & deinceps ipse corruptor, donec proles possit sibi providere: immo ab ipso partu, si mater non possit, vel ipse ad id se obligavit. Si vero duo eamdem feminam cognoverint, & dubitetur, uter sit pater, uterque tenetur æqualiter hoc onus sustinere, cum æquale sit de utroque dubium, & uterque certo posuerit actionem per se generativam. Ita communiter. Quod si hospitali exposita fuit proles, debent parentes ei restituere impensas; nam hospitale solum fundatum est pro pauperibus gratis alendis, non pro aliis, nisi suo sumptu. Est communis sententia.

Resp. 2.

(35) Stuprator in foro externo ad dotandam virginem condemnari solet; quia virgo præsumitur seducta fuisse, sicut præsumitur virgo fuisse, nisi contrarium probetur. Si tamen persona corrupta sciat interius, se nec virginem fuisse, cum a Titio cognita est, nec reipsa ab eo fuisse seductam, tenetur ei refundere quidquid per Judicem sub his falsis præsumptionibus sibi adjudicatum fuit. Item ille qui sine vi, dolo, &c. puellam corrupit tenetur adhuc ad restitutionem pecuniariam, si garrulitate sua causa sit cur ipsa diffametur: quia hac iniqua diffamatione causa est damni quod patitur puella in ordine ad status susceptionem.

Resp. 2. Qui vi, minis, aut fraude, vel falsis suasionibus vitiavit virginem absque promissione matrimonii, tenetur compensare omnia damna virgini, & ejus parentibus inde obvenientia; quia est illorum causa per injuriam; unde tenetur ea resarcire pecunia, vel eam ducere, si aliter resarcire nequeat. Ita S. Antonin. in loco cit. in foro autem externo in pœnam obligabitur ad eam dotandam, aut ducendam, quamvis nuptias non promiserit, ex cap. 1. *de adulter.* Quod si puellæ, ejusque parentibus nulla obvenerint damna; quia res mansit occulta, & ipsa æque commodis potita est nuptiis: stuprator juxta multos non tenetur, nisi ad satisfactionem honorariam, puta petitionem veniæ &c. Quia nihil debetur pro ipsa defloratione pudicitiæ, cum sit irreparabilis, & pretio non æstimabilis, neque pro alio damno inde secuto, cum nullum reipsa secutum sit. Non pauci tamen probabilius docent pro solo damno virginitatis injuste violatæ fieri debere compensationem pecuniariam, vel aliam arbitrio boni viri. Vide dicta 2. part. cap. 6. q. 6. & cap. præced. q. 17. Quod si jam nupta damnum aliquod patiatur, quia res v. g. innotuit marito &c. certum est stupratorem teneri hæc damna resarcire, cum ejus injuria sequantur.

Nota. Metus reverentialis conjunctus cum metu mali injuste inferendi sufficit, ut stuprator teneatur ad restitutionem, si nempe puella, vel alia mulier, ob auctoritatem sollicitantis, & ex reverentia erga eum, & metu patiendi aliquod malum injustum, non audeat resistere. Nam quamvis talis metus non excuset a culpa, facit tamen ut consensus non sit omnino voluntarius, nec sufficiat ad valorem donationis simili metu extortæ; unde retinet rationem injuriæ, ac proinde damnum sequens est injustum, paritque obligationem restituendi. Secus de muneribus, & blanditiis, quæ non minuunt, sed potius augent voluntarium; item de precibus.

Resp. 3. Qui promissione matrimonii mulierem corrupit, is tenetur eam ducere, sive vere, sive ficte promiserit. Est communis sententia. Nam si vere promisit, tenetur eam ducere: quia hæc promissio fuit verus contractus onerosus sub conditione, quæ fuit impleta ab una parte, ergo altera tenetur illum ex parte sua complere, cum id licite præstare possit. Quod si ficte, ex communi sententia tenetur adhuc inire; quia nemini sua fraus patrocinari debet, ut monent jura. Quamobrem non sufficit mulierem sic corruptam dotare, vel pecunia damnum resarcire, si ipsa non consentiat: nam ipsa non consensit in copulam, nisi ut seductori nuberet. Nec huic licet re-

ligionem ingredi, quia non potest, nisi matrimonio injuriam resarcire, ad quod ex justitia tenetur. Idem dic si animo ficto cum ea per verba de præsenti contraxit cum eo tantum fine, ut ea potiretur, ut docet S. Thomas in 4. dist. 28. art. 2. ad 4. quamvis enim matrimonium tunc sit nullum, tamen manet obligatio eam ducendi, si ipsa velit, ratione scilicet famæ resarciendæ, l. 2. §. *de rebus credit.*

Excipiuntur aliqui casus, in quibus stuprator non tenetur corruptam ducere, etiamsi id vere promiserit; sed tunc tenetur solum aliter, v. g. pecunia damnum inde secutum compensare. Si illa finxit se virginem, nobilem, divitem, cum non esset: immo idem docent multi, si ipse non ab ea deceptus falso putavit esse virginem; quia hæc est sufficiens ratio dissolvendi sponsalia, ideoque recedendi a promissione, modo damnum aliter resarciatur. 2. Si puella nolit ei nubere, vel parentes nolint eam tradere. 3. Si inde prudenter timerentur gravia mala, ut infelices exitus, graves discordiæ &c. 4. Si aliquod impedimentum legitimum intervenerit. 5. Si femina deflorata postea cum alio fornicetur. 6. Si ficta fuerit promissio, & hanc fictionem femina potuerit deprehendere ex verborum ambiguitate, aut aliis conjecturis claris, vel ex magna disparitate conditionis sibi nota. Ita S. Thomas in 4. dist. 28. art. 2. ad 4. Semper tamen damnum inde secutum resarciri debet. Quod si disparitatem illam in nobilitate, divitiis &c. mulier ignoravit, & alter nuptias ficte promiserit, juxta multos non tenetur etiam eam ducere, sed solum pecunia satisfacere arbitrio prudentum, ut possit æque honeste, & commode alteri nubere, ac si corrupta non fuisset: ut indicat loco cit. S. Thom. Quia ipsa non apprehendebat, nec petebat consensum tanti valoris, sed minoris; quia non cognoscebat conditionem, ac dignitatem promittentis: quem proinde consensum non potest deceptor reddere, nisi reddat simul multo plus, quam femina petiit, & quam ipse debebat. Quod verum est, nisi ipse jurasset eam ducturum, nec dispensationem obtinuisset: tunc enim ducere teneretur non vi promissionis fictæ, sed vi juramenti, & reverentiæ Deo debitæ.

Porro vir superioris conditionis, qui vere nuptias promisit, ad eas tenetur, nisi grave scandalum inde merito timeretur. Sanchez, Lessius, & alii. Quia tunc juri suo cessit, & ratione promissionis veræ, & acceptatæ debitus est excessus, ad quem reddendum voluit se obligare. Quare si aliam ducit, tenetur compensare quantum feminæ intererat habere ipsum in virum, cum tantumdem damni ei in-

ei injuste intulerit. Quod si mulier corrupta nolit nubere seductori volenti promissum complere, is juxta multos non tenetur eam dotare, si sit æqualis conditionis, ex reg. jur. 41. in *6.* & *66.* Enimvero nuptias solum promisit, & mulier non habet justam causam aliud exigendi loco illarum. Sed juxta Panormitanum tenetur eam dotare, si femina sit longe melioris conditionis, nec velit ei nubere: quia damnum, & dedecus non resarciretur talibus nuptiis, sed novum inferretur. Quod verum est, si damnum, & dedecus familiæ inde sequeretur: nam mulieri non fuit injuste illatum, si (ut suppono) sine vi, & fraude, sed sola promissione matrimonii adducta consensit in copulam, sciens inæqualitatem conditionis.

Sed quid si is, qui vera, vel ficta promissione matrimonii seduxit, aut stupravit, nec potest satisfacere, nisi nubendo, habeat votum castitatis, aut religionis?

Resp. Si votum secutum sit deflorationem, ex communi sententia tenetur ducere: quia jam antea erat jus strictum feminæ acquisitum, & obligatio eam ducendi. Quare votum non potuit esse de non contrahendo hoc matrimonio, alioquin nullum esset, cum sit de re illicita. Si autem votum præcesserit copulam, adhuc secundum omnes, aut saltem communiorem sententiam tenetur eam ducere; saltem post obtentam dispensationem voti, quam tenetur petere, si hæc votum ignoravit: nam executio voti non ineundi matrimonium jam facta est ei illicita respectu talis mulieris; cum fieri nequeat sine gravi ejus injuria. Quapropter potest, ac debet petere dispensationem voti, seu dilationem executionis ejus; quivis enim tenetur adhibere media licita necessaria ad actum justitiæ exercendum. Si tamen femina scivisset votum, tunc corruptor non tenetur eam ducere: quia illa non bona fide contraxit, cum videret eum non posse licite nuptias promittere, nisi forte ei persuaserit se facile obtenturum dispensationem, quo casu tenetur eam sibi comparare.

Quid dicendum de seductore mulieris non virginis?

Resp. Patet ex dictis.

Quæst. II. Ad quid tenetur, qui sub promissione matrimonii consanguineam violavit?

Sic respondet Delugo. Si impedimentum sit tale, in quo Papa nunquam soleat dispensare, ut inter consanguineos in primo gradu transverso, vel certe in quo non soleat dispensare, nisi ex gravissima causa, qualis tunc non datur; tunc promissio est invalida propter impossibilitatem rei promissæ: ac proinde erit solum obligatio satisfaciendi, & resarciendi damnum alio modo, si quod injuste illatum est; quod non contingit, quando femina non

fuit decepta, nec vi, aut metu coacta. Si vero impedimentum est tale, in quo dispensari soleat ex causa, qualis tunc intervenit, & Matrimonium promissum fuit sub conditione dispensationis; tunc promissio illa obligat ad procurandam dispensationem, quia licitum, & possibile est procurare dispensationem, & ea obtenta Matrimonium contrahere. Immo idem censet, etiamsi promissio Matrimonii facta fuerit sine illa conditione; modo uterque impedimentum noverit: quia conditio dispensationis, utpote necessaria subintelligebatur. Si quis autem consanguineam per vim, metum, aut fraudem absque promissione corrupit, tenetur resarcire damna illata, & secuta: quia fuit causa injusta illorum, copulam obtinendo per injuriam. Quod si aliter damnum resarcire non potest, nisi eam ducendo: tenetur sibi dispensationem procurare, ut eam ducat; nam qui tenetur ad damnum illatum resarciendum, tenetur adhibere media ad id necessaria. Ita Delugo.

Quæst. III. Ad quid tenentur adulteri?

Resp. 1. Si partus non sit secutus, adulter secundum multos tenetur solum ad satisfactionem honorariam marito præstandam pro injuria ei illata: quia pro injuria ab omni damno reparata non debetur ex justitia, nisi satisfactio per signa doloris &c. Quæ tamen, cum injuria ignoratur, locum non habet: talis enim satisfactio non fit, nisi scienti se injuria affectum.

Resp. 2. Si proles ex adulterio nata sit, tenetur adulter prolem alere ab anno tertio, & deinceps, donec sibi de alimentis providere possit: a partu ad annum tertium inclusive ipsa mater, &c. sicut alias dictum est.

Resp. 3. Adulter, & adultera tenentur æque primo, & ex æquo compensare damna, quæ obveniunt marito, & legitimis hæredibus ex sustentatione, hæreditatis partitione, & legatis, donationibus proli spuriæ factis a consanguineis patris putativi, vel (36) matris in damnum legitimarum prolium, quibus alioquin cederet. Est communis

(36) Pari ratione, si proles adulterina a parentibus adulteris exposita fuerit domui hospitalis, tenentur ei ad restitutionem singuli pro rata, si communi consensu ad expositionem concurrerint, nisi domus hospitalis generaliter & indistincte fundata fuerit pro expositis suscipiendis, & non solum pro filiis expositis pauperum. Quod colligi potest, vel ex instrumentis fundationis, vel ex usu domus hospitalis, a tempore fundationis solitæ suscipere quoscumque, expensas non repetendo, etiam post acceptam notitiam parentum divitum.

munis sententia: quia uterque est æque principalis causa injusta horum damnorum. Et ad id tenentur singuli in solidum ex alterius defectu, ex cap. ult. *de injur.* idque ex communi sententia, etiamsi adulter suppositionem non suaserit: quia nihilominus est causa æque primo horum damnorum, ac adultera. Neque refert si alteruter alterum ad adulterium induxit sine vi, & dolo: nam uterque executioni mandavit causam damnorum, nempe adulterium. Si tamen alteruter vim, aut metum gravem, etiam reverentialem incussisset, hic teneretur de omni damno: nam esset solum causa principalis adulterii. Alter vero teneretur solum in ejus defectum, cum sit causa minus principalis, utpote minus voluntaria.

Resp. 4. Si probabilius est prolem ab adultero esse genitam, tenentur adulter, & adultera compensare omnia damna; nam nunc prudenter judicare possunt prolem esse suam.

Sed quid, si sit dubium utrum ab ipso adultero, an a marito proles sit genita?

Resp. Tunc tenentur adulter, & adultera restituere marito, vel ejus hæredibus, pro ratione majoris, vel minoris (37) dubii, judicio prudentum. Ita Molina, Layman, & alii; iniquum est enim, ut in dubio damni totum illius periculum subeat innocens, & causa injusta talis periculi, quæ posuit actionem de se damnificativam, sit omnino libera.

Quæst. IV. Quomodo tenetur adultera damna compensare?

Resp. 1. Adultera tenetur, quantum fieri potest citra famæ jacturam, & vitæ periculum procurare; ne quid damni maritus, & legitimi hæredes ratione prolis spuriæ patiantur. Est communis sententia. Hinc si habet bona propria, tenetur ex illis damna compensare. Si non habeat, tenetur rem familiarem diligentius administrare, de cultu corporis sui, & sumptibus solitis propriis detrahere quantum potest, spectata conditione status, valetudinis &c. Item relinquere in morte solis legitimis tantum ex bonis, de quibus libere disponere potest; & secundum mul-

(37) Similiter si duo cum eadem femina adulterati, certi sint de prole nata ex adulterio, sed dubii an ex suo, an ex alterius, singuli tenentur ad partem damnorum pro ratione dubii; etiamsi nequidem ex parte prolem tamquam suam alere teneantur; nam quisque injuste posuit causam, ob quam proles aliena marito supponitur alenda, tamquam propria.

multos religiosum statum spurio suadere, si ad eum idoneus videatur.

Resp. 2. Si hisce modis plene potest damnum compensare, non tenetur revelare crimen suum. Si vero non potest, nec judicat prudenter damnum impeditum iri si detegat crimen suum, nec tunc tenetur aperire, quia imprudenter, & frustra aperiret. Immo etiamsi judicaret posse averti damna hæredibus per illam revelationem, non tenetur crimen suum occultum revelare, cum periculo mortis, vel gravis scandali, discordiarum, perpetui odii mariti, infamiæ totius familiæ, vel alterius mali multo gravioris, quam sit damnum hæredum. Est communis sententia, ex cap. 9. *de pœnitent.* Ratio est, quia tunc maritus, & hæredes non sunt rationabiliter inviti; & tunc restitutio censetur moraliter impossibilis. Si tamen mulier sciret spurium esse valde bonum, ac prudentem, & sibi fidem habiturum, & hæreditatem cessurum, nec crimen ejus revelaturum (quod vix, & rarissime præsumendum est) teneretur ei detegere: quia infamia nocentis apud unum, aut alterum postponenda est gravissimo innocentium damno, cujus est causa injusta. In praxi (38) tamen ordinarie non est obligata adultera ad crimen suum aperiendum, sive marito, ob gravia mala inde obventura, quæ ordinarie imminent; sive spurio: quia hæc revelatio est ordinarie inutilis ad avertendum damnum; nam filius juxta communem sententiam non tenetur matri juranti credere eum esse spurium, nisi id probet certis argumentis, ut si tempore conceptionis, & ante, & post ostendat maritum absentem fuisse &c. Quæ dixi de adultera, & filio spurio, dicenda sunt de filio supposititio, quem mulier supposuit, ac finxit esse suum, ne hæreditas ad alios transeat.

(38) Recte scribit Auctor, *ordinarie* non esse obligandam adulteram ad crimen suum aperiendum; quia in aliquo casu ad id obliganda esset, e. g. si ageretur de bono communitatis, ut si filius spurius regno succedere deberet in magnum Reipublicæ damnum ob perditos spurii mores, indolem pessimam, hæreseos disseminandæ desiderium; tunc enim mulier, si legitime speraret impedienda esse per adulterii sui manifestationem hæc mala, teneretur illud manifestare, non solum cum periculo famæ, sed ipsius etiam vitæ: quia bonum publicum privato *semper* est anteponendum. Ita de-Lugo disp. 13. sect. 3. n. 41. Qui addit, mulierem non obligatum iri ad semetipsam mortis periculo exponendam, si simpliciter ageretur de continuanda in legitimis hæredibus regni successione.

CAPUT QUINTUM.

De injuriis contra famam, & honorem per judicium temerarium, calumniam, & contumeliam, & de necessaria restitutione. De susurratione dictum est capit. 7. artic. 6.

Quæst. I. QUale peccatum est judicium temerarium, item suspicio, ac dubitatio temeraria?

Nota 1. Dubitatio, suspicio, & judicium temeraria sunt, quando sine sufficientibus indiciis, seu rationibus concipiuntur. Porro majora indicia requiruntur ad judicium, quam ad suspicionem, vel dubitationem, cum plus sit judicare, quam suspicari, vel dubitare. 2. Levia sunt indicia, quæ considerata facti, & personæ qualitate, aliisque circumstantiis, ut loci, temporis &c. non sufficiunt ad movendum virum prudentem, & bonum ad sic dubitandum, suspicandum, vel judicandum de proximo: gravia autem, quæ contrario modo se habent.

Resp. 1. Temerarium de re gravi proximum infamante judicium, etiam opinativum, quod cum plena advertentia concipitur, est mortale contra justitiam. Ita omnes de judicio firmo, & communis est sententia inter Recentiores, teste Delugo, de judicio etiam opinativo, ac formidoloso. Ex Matth. 7. Lucæ 6. Jac. 4. 1. Cor. 4. & ex D. Thom. 2. 2. quæst. 60. art. 3. ad 2. Ratio est, quia per illud graviter violatur jus, quod habet proximus, ne sine sufficienti causa judicetur malus, aut vilis, & perdat bonam æstimationem apud alium: hocque homines molestissime ferre solent. Quare est obligatio illud judicium statim deponendi, ut tollatur injuria. Dixi 1. *Temerarium. Nam judicium de personis, licet quandoque sit falsum, non tamen semper est peccatum, nisi quando est omnino temerarium.* Dixi 2. *Cum plena advertentia*: nam potest esse veniale non solum ob levitatem materiæ, & temeritatis, sed etiam ob defectum plenæ advertentiæ. Immo nullum est, si sit ex sola intellectus promptitudine absque ullo deliberato voluntatis consensu conceptum. Sed ubi primum advertis, te sic male judicare, peccas perseverando in eo judicio. Porro ad temeritatem mortalem non requiritur advertentia actualis ad insufficientiam indiciorum, seu motivorum, si mala præoccupatio, voluntaria passio, invidia, vel odium sit causa præcipitationis judicii, & defectus advertentiæ actualis: nam tunc temeritas illa est sufficienter volita in causa, nempe in

mala affectione, & inadvertentia insufficientiæ judiciorum est vincibilis, ac culpabilis.

Resp. 2. Suspicio, & dubitatio voluntariæ graviter temerariæ in re valde gravi, & cum advertentia plena sunt peccata mortalia, saltem si ex pravo affectu, & malevolentia nascantur. Ita Lessius, Delugo, & alii multi, propter eamdem rationem adductam præced. resp. Immo in dubitatione illa continetur judicium: nam qui sic cum plena deliberatione dubitat, non solum suspendit assensum, sed etiam judicat ambiguam esse probitatem proximi, nec eum posse prudenter judicari probum. Non deest auctoritas Scripturæ ut 1. ad Tim. 6. 1. Cor. 13. & PP. ut Chrysost. hom. 33. in laud. cap. 1. ad Cor. & Augustini, Epist. 137. Dixi, *si ex pravo affectu, & malevolentia &c.* Quia multi docent peccare solum venialiter eum, qui de gravi malo proximi suspicatur, vel dubitat ex solo errore intellectus, quo apprehendit indicia, ob quæ suspicatur, tamquam sufficientia ad suspicandum, paratus suspicionem deponere ubi melius advertit: tum quia temeritas illa non est omnino voluntaria: tum quia indicia, propter quæ suspicatur, non carent omni verosimilitudine ad suspicandum. Et de his intelligendi sunt August. tract. 90. in Joann. & S. Thom. q. 60. art. 3.

Observa 1. Quando timorati, præsertim scrupulosi, inquit Sylvius, ejusmodi sinistras cogitationes de proximis patiuntur, & dubitant, an lethaliter peccaverint; rogandi sunt, an, si tunc advertissent illud esse judicium temerarium, & peccatum, deliberate voluissent consentire? Si negative respondeant, censendi sunt non peccasse mortaliter, quia vel nullus adfuit voluntarius consensus, vel non fuit plene deliberatus. 2. Materia, quæ in detractione ad mortale sufficit, hic quoque sufficit. 3. Quamvis certum sit opus ab aliquo factum esse mortale ex genere suo, non ideo tamen potest judicare proximum certo peccasse mortaliter. Quia potest excusari coram Deo ob imperfectam deliberationem, vel inconsiderationem, aut ignorantiam invincibilem. Item in certis rumoribus de proximi crimine, vel malo infamante fides nulla adhibenda est; nam rumores incerti non possunt fundare judicium prudens. Denique semper extra necessitatem animus a dubitatione, suspicione, & judicio de peccatis alienis cohibendus est, ut vitetur periculum temere judicandi, vel suspicandi cum injuria proximi, S. Bernard. serm. 40. in Cantic.

Sed hic quæri potest, utrum dubia sint in meliorem partem interpretanda?

Resp. 1. Dubia de personis ad bonam, vel malam æsti-

ma-

mationem pertinentia sunt in meliorem partem interpretanda. Est communis sententia, ex S. August. lib. 2. de serm. Dom. in monte cap. 18. & S. Thom. 2. 2. quæst. 6. art. 4. Ratio est manifesta, quia nempe maxime cavendum est, ne fiat injuria proximo, & de possessione bonæ famæ injuste dejiciatur. Sic autem hæc dubia in meliorem partem sunt interpretanda, 1. Negative, ita ut in dubio etiam positivo nunquam judices, opineris, vel suspiceris proximum esse improbum, vel peccasse graviter; alioqui peccares contra justitiam, inferendo malum proximo sine sufficienti, & justa causa: nam dubium, etiam positivum non est sufficiens, & justa causa judicandi proximum peccasse. 2. Positive practice, hoc est, ut in praxi, & vitæ civilis usu, ubi de cautela non agitur, affectu interno, & externo modo agendi proximus tractetur tamquam si revera esset probus, ei præstando consueta honoris, & urbanitatis officia perinde ac si nullum esset de ejus probitate dubium. Nam illis proximum ob dubium exortum privare iniquum esset, & contra regulas jam notas charitatis. Dixi, *de personis*. Nam dubia de rebus, puta an contractus talis sit licitus, nec ne, non sunt in meliorem partem interpretanda, sed suis momentis æstimanda. Quia tunc id unum agitur, ut cognoscatur veritas, & vitetur illicitum, nec timendum ne cuiquam inferatur injuria.

Resp. 2. Cum agitur de damno vitando, vel remedio adhibendo, dum non constat de probitate proximi, ex communi sententia licet sibi, & aliis consulere, & eam causam adhibere, quam prudentia dictaret adhibendam, supposito, quod esset malus, non tamen de eo male judicando, aut suspicando: quia nemini tunc infertur injuria, vel damnum. Hinc non peccas, dum v. g. excipiendo ignotum in ædes tuas, ita caves rebus tuis, ac si dubia esset hominis probitas.

Quæst. II. Quid est detractio, contumelia, & calumnia?

Nota. Fama est existimatio, seu opinio excellentiæ alterius. Honor (39) est testificatio excellentiæ alterius ani-

(39) Duplex in homine honor esse potest; unus radicalis, consistens in excellentia quadam, ratione cujus unus præ alio honorabilis dicitur; & hæc excellentia consistit vel in bono spirituali, v. g. in sapientia, prudentia, scientia, virtute, &c. vel in bono corporali, v. g. viribus, valetudine, pulchritudine, divitiis, &c. Alter formalis, consistens in æstimatione homi-

animo conceptus. Excellentia autem, quam spectat fama, & honor, consistit primario in virtute, ac sapientia, earumque functionibus, quæ homines vere laudabiles reddunt, secundario autem in aliis perfectionibus, ut sunt ingenium, doctrina, nobilitas; item quoad honorem potestas, sive Ecclesiastica, sive sæcularis, dignitas principii, quæ inest parentibus &c. Immo id, quod singularem quemdam ad has perfectiones ordinem habet, vel ut instrumentum virtutis, vel ut effectus, est etiam ratio honorandi, ut nobilitas ex præclare gestis orta.

Resp. 1. Detractio est injusta ademptio, seu læsio, vel imminutio bonæ famæ alterius in ejus absentia. Ex S. Thoma fieri potest detractio octo modis. 1. Falsum crimen, vel defectum imponendo. 2. Verum amplificando. 3. Occultum detegendo. 4. Sinistre interpretando factum alterius. 5. Recte facta, vel dotes alterius negando. 6. Illa extenuando. 7. Silendo, ubi silentium æquivalet confessioni defectus proximi. 8. Simulare, vel remisse, aut frigide laudando; juxta hos versus:

Imponens, augens, manifestans, in mala verteas,
Qui negat, aut reticet, minuit, laudatque remisse,

Resp. 2. Calumnia est falsi criminis, aut defectus impositio. 3. Contumelia est injusta inhonoratio, seu læsio honoris alterius sine justa causa, & auctoritate coram eo facta, sive dictis, sive factis: ut crimen v. g. vel defectum, vel malum pœnæ alteri præsenti objiciendo ex animo illum inhonorandi.

Quæst. III. An, & quando detractio, calumnia, & contumelia sunt peccata mortalia?

Resp.

---

minum, qua unus alteri præfertur ob ejusmodi excellentiam spiritualem vel corporalem, veram vel falsam, istaque præferentia signo exteriore manifestatur per laudem, vel reverentiam ipsi exhibitam. Honor radicalis, consistens in excellentia seu bono spirituali, homini ab homine auferri non potest nisi velit: & ideo manifestum est, quod propter illius defensionem non liceat hominem interficere. Honor vero radicalis, consistens in excellentia quadam seu bono corporali certissime bonum est multo minus quam vita, vel certe non majus.

Honor formalis magis obesse solet quam prodesse: non negamus tamen curam habendam de bono nomine, adeoque de honore nostro, sumpto non pro bona fama qua distinguimur ab infamibus, seu criminosis, vel de crimine suspectis. Quia cura illa non est ambitio, nec superbia, sed providentia, ne aliis simus scandalo, vel etiam ut aliis prodesse possimus.

Resp. 1. Hæc tria sunt ex genere suo mortalia contra justitiam. Ita omnes, ex Rom. 1. Nam per detractionem, & calumniam proximus injuste læditur in fama, per contumeliam in honore. Quare hæc tria sunt peccata graviora furto, quod ex genere suo mortale est. Div. Thom. 2. 2. q. 73. art. 3. Dixi, *ex genere suo*, nam possunt esse venialis culpa 1. Ob defectum sufficientis advertentiæ, 2. Ob levitatem materiæ, ut si narretur levis aliqua alterius imperfectio. Plures tamen ejusdem defectus leves alteri detegere potest esse mortale: quia possunt tandem collecti lædere graviter bonam existimationem illius. 3. Si fiat ob correctionem a Superiori. Ita D. Thom. q. 72. artic. 2. ad 3. Et ita excusantur multa verba contumeliosa parentum in filios, & dominorum in servos. Raro tamen adhibenda sunt verba contumeliosa in correptionibus, quia sæpe potius exacerbant animum, quam emendent.

Resp. 2. Detractio (40) omnis, licet fiat solum ex quadam animi levitate, & loquacitate, & sine intentione lædendi proximum est ex genere suo mortalis culpa contra justitiam, ex 1. ad Cor. 6. Jac. 4. & Proverb. 4. Ratio est,

(40) Licet detractio sit ex genere suo peccatum mortale: varii tamen sunt modi quibus ejus gravitas augetur. Primus est; detractio eo gravior est, quo fama magis denigratur, vel ex parte criminis majoris quod imponitur, vel ex parte majoris divulgationis, juxta numerum eorum qui præsentes sunt detractioni, vel majorem garrulitatem eorum, ob quam fieri natum est, ut apud alios magis & magis divulgetur. Secundus: detractio eo gravior est quo magis libera, & quo majori fit advertentia & reflexione. Tertius: eo est gravior quo magis injusta. Propterea, cæteris paribus, gravius peccat qui falsum crimen imponit quam qui verum revelat. Quarto; detractio eo gravior est quo magis persuasiva. Quintus modus: detractio eo gravior est quo finis ipsius est magis perversus, cujusmodi est invidia, odium, &c. Sextus modus: eo gravior est detractio quo majora mala ex ea resultant.

Nihilominus detractio facta, vel ad instructionem præsentium & audientium, ut caveant similia mala facere; vel ad præsentium cautelam, ne scilicet ex ignorantia decipiantur per malam aliorum societatem, vel famulatum quos præsumunt bonos; vel ad utilitatem absentium, ut videlicet præsentes eis referant, pro eorum correctione & emendatione; vel ex quadam amicabili compassione, ut scilicet seipsum & audientes referens provocet ad orandum instantius, non solum licita esse potest, sed & meritoria; dummodo bene provideatur, ne vel sint falsa quæ dicuntur, aut in malo, ultra quam in se sunt, per referentem ampliata, aut forsan sinistre interpretata, aut nociva plus sint absentibus & eorum famæ quam utilia præsentibus & eorum ædificationi.

est, quia injusta, ac voluntaria læsio famæ proximi est gravius peccatum, quam furtum; nam per eam aufertur fama, quæ est bonum majus divitiis, quæ per furtum auferuntur, Prov. 22. Videatur D. Thom. 2. 2. quæst. 73. art. 2. Unde tunc est obligatio restituendi, ex capit. ult. *de injur.* & ex Chrysost. hom. 3. ad Pop. Idem dic de contumelia, qua notabiliter honor proximi læditur, etiam si sine animo lædendi proferatur. Cæterum detractio, quæ fit per libellum famosum, pejor est, cæteris paribus, quam quæ voce fit; quia infamia ad plurimos pertinet, & vix potest aboleri. Unde morte punitur, & qui talem libellum spargit, & qui inventum vulgavit; l. unic. Cod. *de famos. libell.* jure etiam Canonico gravissime prohibetur, tum causa 5. quæst. 1. tum in Bullis Pii V. & Gregor. XIII. Item pejor est, si fiat in aliquam communitatem, capitulum, ordinem religiosum: quia plures læduntur in fama, & ita damnum majus est.

Resp. 3. Ex communi sententia, detractio, & contumelia sunt culpa mortalis, quoties sine justa causa graviter læditur fama, vel honor proximi, licet absque animo graviter lædendi: nam mortale est notabile damnum sine justa causa inferre proximo. Venialis vero, si non graviter lædatur; nisi fiat ex intentione graviter nocendi, vel prævideatur gravem dolorem concitatura proximo. Graviter autem, vel leviter læditur fama, vel honor pro gravitate, vel levitate materiæ spectatis omnibus circumstantiis, præsertim personæ læsæ: fieri enim potest, ut quod respectu unius est materia levis, sit gravis respectu alterius, si sit persona magnæ auctoritatis, & famæ valde integræ, aut quæ obligatur ad majorem vitæ sanctitatem.

Item contumelia in se levis potest esse gravis respectu personæ, cui infertur, ut si sit Superior, pater &c. Immo semper mortalis est, quoties fit ex animo graviter dedecorandi proximum, vel contristandi: nam sola voluntas gravis mali proximo creandi sine justa causa est mortalis. E contra (41) si convicium absolute, ac in se gra-

(41) Eos tamen, qui hanc conviciandi consuetudinem habent, facile a Confessariis absolvendos non esse arbitror. 1. Quia in has contumeliæ voces erumpere non solent nisi irati. 2. Quia scandalum audientibus ingenerare solent. 3. Quia verba quibus utuntur de se famam imminuunt, & eos ad quos diriguntur nonnumquam gravissime exacerbant.

grave sit, sed propter vilem personarum conditionem, aut morem patrium loquendi grave esse non censeatur, veniale esse, docent multi. Excipe nisi sit intentio graviter lædendi, vel contristandi, nam hæc mortalis est.

Hinc 1. Mortaliter peccat, qui detrahit cum animo notabiliter lædendi famam proximi, vel absque tali animo eam notabiliter lædit, aut dat causam talis læsionis, advertens, vel advertere debens probabiliter ex eo dicto, vel facto tale damnum inferri. Navarr. 2. Quamvis narratio defectus venialis sit plerumque solum venialis. Est tamen mortale dicere de quibusdam personis in munere, vel statu majorem perfectionem exigente constitutis, v. g. Episcopo, Religioso, quod habeat consuetudinem alicujus peccati venialis. 3. Mortale est referre, aut exprobrare defectus naturales, & involuntarios, ut ingenii, corporis, fortunæ, si fama, vel honor inde graviter lædatur, vel si proximus graviter contemnendus sit, viliorque apud alios reddatur. 4. Ex Navarr. detractio, quæ generalibus nominibus vitiorum tam mortalia, quam venialia comprehendentibus fit, aut coram talibus, qui probabiliter existimari possunt tam maculas veniales, quam mortales concepturi; nisi de solis venialibus, vel de sola naturæ propensione verba fieri admoneatur. 5. Peccat mortaliter, qui nullum defectum in particulari de proximo detegit, sed solum in genere dicit se de illo aliquid scire, quod nemo suspicaretur, vel quod magno pudore afficeretur, si diceretur; item si dicas eum non esse, qui communiter habetur. 6. Quando ratione conditionis personæ peccatum aliquod mortale non censetur notabiliter lædere famam, ut si de milite narres eum duellum commisisse. 7. Irrisio, quæ est species contumeliæ, mortalis est, quoties fit ex animo graviter confundendi proximum, vel exprobratur sine causa justa grave peccatum, aut defectus infamis, vel derisus graviter contristatur, aut contemnitur. Ratio omnium horum est, quia in illis grave malum, & damnum infertur proximo sine justa causa. Videatur S. Thom. 2. 2. q. 75. art. 2.

Ob eamdem rationem est mortale detegere alicui peccatum occultum grave non nominando personam, sed solum communitatem, in qua est, quando communitas inde gravem infamiam passura est, ut Monasterium &c. Item si de aliqua communitate in genere detrahas, v. g. si dicas de communitate religiosa nullam ibi esse disciplinam, aut de civitate eam esse plenam adulteris, usurariis &c. graviter peccas, nisi hæc infamia sit publica, ubi

ubi dicis. Item (42) mortale est detrahere in re gravi apud unicam personam, & sub secreto, licet putetur non revelatura: nam diffamatio apud unicum est res per se concitativa gravis molestiæ, ac doloris, ut patet ex difficultate, quam ordinarie homo habet in aperiendo crimine soli Confessario, quamvis sciat hoc sibi salutare esse. Item imponere alteri culpas veniales falsas, aut veras, sed occultas detegere, aut defectus naturales falsos, quando inde patitur damnum notabile, vel impeditur a consecutione boni notabilis, vel officii, aut beneficii, quo dignus est, si hoc prævideri potest, aut eo animo deteguntur; & est obligatio hæc damna cum fama restituendi, ex cap. ult. *de injur.*

Quæst. IV. An contumelia, & detractio different specie?

Resp. Affirm. Quia per illa proximus diverso modo, & in diversis specie bonis injuste læditur. Immo peccata contumeliæ possunt inter se specie differre, sicut & peccata detractionis, pro diversitate specifica objectorum: sic injusta revelatio adulterii specie differt ab injusta manifestatione furti. Nam peccata sumunt speciem ab objecto.

Quæst. V. An & quando auditor detractoris peccat mortaliter?

Resp. 1. Hortari, incitare alterum ad inchoandam, vel continuandam gravem detractionem v. g. approbando exterius dicta, addendo de suo, item scienter præbendo occasionem detrahendi v. g. interrogando de aliorum defectibus, significando id sibi gratum fore &c. ex communi sententia est mortale, tum contra charitatem ratione scandali, & inductionis ad peccatum; tum contra justitiam, quia talis est causa moralis detractionis injustæ, aut saltem ei moraliter cooperatur, & sic tenetur ad restitutionem in defectum detractoris. S. Thom. 2. 2. q. 72. artic. 4.

Resp. 2. Auditor, qui lætatur detractione gravi, licet non

(42) Conjuges tamen sibi invicem revelare possunt occulta crimina filiorum, aliorumque domesticorum: quia hoc spectat ad rectam familiæ administrationem. At Religiosus Prælatis occulta peccata confratrum revelare non debet, si communitati nociva non sint, per fraternamque correctionem emendabilia: quia Religiosus mallet crimen suum sciri a pluribus aliis quam a solo Prælato suo, meritoque ægrius fert infamiam apud Prælatum quam apud 20. fratres.

non inducat ad detrahendum, nec incitet ad continuandum, nec exterius sibi placere significet, ex communi sententia peccat mortaliter, tum contra charitatem, quia lætatur gravi damno proximi; tum contra justitiam, quia gaudet de actu injusto. Non tenetur tamen ad restitutionem, quia non est causa damni. Equidem tenebatur illud impedire, sed solum ex charitate, non ex officio, ut suppono.

Resp. 3. Auditor detractionis gravis licet ad eam non inducat, nec ea lætetur, nec libenter audiat ex curiositate, secundum communem sententiam peccat mortaliter contra charitatem, non impediendo, dum impedire potest, nisi prudenter putet monitionem suam inutilem fore, aut metuat grave aliquod damnum. Quia secundum omnes, teste Delugo, ex lege charitatis quisque graviter tenetur impedire grave damnum, si sine gravi incommodo, seu damno proprio potest. Porro cum auditor detractioni non potest resistere, tenetur tamen, saltem si commode potest, discedere, vel sermonem alio avertere, vel tristiorem faciem ostendere: nam hoc pacto impeditur continuatio detractionis, aut saltem minuitur detractoris fervor.

Resp. 4. Dum proximo infertur calumnia, cujus falsitatem nosti, teneris ejus falsitatem aperire, ac probare quantum potes. Quia ex charitate teneris impedire grave damnum proximi, quando sine tuo gravi incommodo potes. Quod si proximus ille sit tibi notissimus, & tamen ejus innocentiam non pandis, peccas contra justitiam: quia facis contra jus, quod proximus habet, ne ullo modo, etiam tacite approbetur, & confirmetur calumnia sibi illata; unde teneris ad restitutionem.

Resp. 5. Si superior subditum detrahentem famæ alterius etiam non subditi, non impediat, nec coerceat, peccat contra justitiam, & tenetur ad restitutionem famæ in defectum subditi. Ita Lessius, & alii: quia superior tenetur ex officio impedire, ne subditi sui alios injuste lædant, unde, si non impedit, cum potest, merito censetur causa injusta damni. Quod si subditus absente superiore detrahat, tunc superior ex officio tenetur eum cogere, ut restituat famam; nam tenetur ex officio compellere subditum, ne perseveret in injuria alteri inferenda.

Dixi etiam *Prelatus*, seu superior regularium; quia Prælatus est etiam caput politicum suorum subditorum: quare tenetur eos gubernare, etiam in ordine ad bonum commune aliorum civium, & curare ne inferant damna aliis civibus. Et a fortiori tenetur ex justitia impedire

sub-

subditum detrahentem alteri suo subdito: nam est etiam judex, & custos suorum subditorum, qui ex suo munere, ideoque ex justitia tenetur impedire damna suorum subditorum.

Quæst. VI. An audita, lecta, vel alia quælibet referens sine asseveratione peccat?

Resp. 1. Qui audita, vel lecta refert eo modo, vel nominatis iis auctoribus, ut audientes merito possint induci ad opinandum, vel suspicandum grave malum de proximo, peccat mortaliter contra justitiam, & tenetur ad restitutionem: quia dat aliis sufficientem causam male opinandi.

Resp. 2. Qui audita refert sine causa coram iis, quos probabile est credituros ex sola levitate, vel malitia, quamvis non eo modo referat, ut merito credi possent peccat mortaliter, etiam contra justitiam; & sic tenetur ad restitutionem, saltem si non sint publica: quia sine justa causa ponit id, ex quo probabiliter prævidet secuturum grave damnum proximi. Idem dic, si ex ejus narratione gravis mali suspicio auditoribus verisimiliter suboritura sit, ut vulgo saltem accidit ob infirmitatem hominum, qui facilius mala, quam bona de proximo opinantur. At secus est de illo, qui audita refert eo modo, & in iis circumstantiis, ubi constat auditores non esse crediturος, nec ullum esse periculum infamiæ; neque malæ suspicionis, aut dubitationis de probitate proximi (quod raro contingit). Immo talis, nec venialiter peccat, si adsit causa referendi, quia tunc nullum damnum, nec periculum damni creat.

Quæst. VII. An crimen proximi, quod publicum est in aliquo loco, licet detegere in alio, ubi ignoratur, vel in eodem?

Nota 1. Crimen dicitur publicum, seu notorium tripliciter. 1. Publicitate juris, dum de eo constat per publicam juris sententiam, vel per confessionem rei, aut convictionem in judicio, seu legitimum testium testimonium. 2. Publicitate facti, cum in loco publico coram multis patratum est. 3. Publicitate famæ, quando fama criminis ex sufficientibus indiciis orta pervenit ad majorem partem communitatis, seu civitatis, pagi &c. vel impediri non potest, quin perveniat. 2. Crimen notum majori parti unius communitatis particularis v. g. collegii, monasterii, non censetur publicum absolute, & respectu omnium, sed solum respective ad illam communitatem: quare sine injustitia non potest narrari iis, qui non sunt de illa. Sic peccata solum publica inter domesticos non possunt narrari iis, qui non sunt de familia: nam infamis apud suos

ſuos retinet jus ad famam apud externos, Idem dic ſi in vicinia dumtaxat, non autem in aliis partibus amplæ civitatis, vel in locis extra civitatem, notum ſit crimen. Ita Layman dicens hanc eſſe communem doctrinam. Itaque.

Reſp. 1. Ex communi ſententia, non eſt contra juſtitiam revelare in quovis loco crimen alicubi notum per ſententiam judicis publice denuntiatum, in qua nominetur reus. Quia per hanc ſententiam reus privatur jure ad famam pro omni loco, Delictum tamen in una religione publicum etiam per ſententiam judicis regularis injuſte extra eam revelaretur: quia ex mente ferentis ſententiam ipſa non eſt lata pro publica notitia aliorum, ſed ſolum pro privata ſuorum ſubditorum, alioqui bono communi Religionis perniciosa eſſet.

Reſp. 2. Eſt mortale contra charitatem crimen alterius alicubi publicum, etiam per ſententiam publicam judicis detegere ſine juſta cauſa in eo loco, quo fama non erat illud perlatura, ſi auctor criminis erat bonæ famæ. Ita Leſſius aſſerens hanc eſſe communem ſententiam: quia proximo infertur ſine juſta cauſa grave damnum graviter contriſtativum, nempe infamia, quod ipſe detegens nollet rationabiliter ſibi fieri in pari caſu. Si tamen fama communis crimen ſic publicum brevi erat perlatura in locum, ubi revelaſti, non peccas mortaliter contra charitatem, illud antea aperiendo; quia fama brevi juſte deſtruenda non magni æſtimatur. Dico, *juſte*, nam qui crimen injuſte divulgatum prior revelat, peccat mortaliter, & tenetur compenſare damna: nam qui prævenit in injuria, prævenit in obligatione, quæ contraheretur ab aliis, & quæ neceſſario annexa eſt injuriæ damnoſæ.

Reſp. 3. Si crimen quamvis publicum, non ſit verum, eſt mortale contra juſtitiam illud neſcienti aperire. Ita Layman, & alii. Quia innocens per infamationem injuſtam, licet publicam non amittit jus ad famam.

Reſp. 4. Eſt mortale (43) contra juſtitiam crimen verum, ſed ſolum notum per confeſſionem rei in judicio, teſtium teſtimonium divulgare in loco, ubi nondum de eo publice diffamatus eſt. Eſt communis ſententia teſte Layman; quia crimen nondum eſt publicum in ordine ad popu-

(43) Si tamen crimen per ſententiam Judicis brevi publicandum certo ſciatur, plerique cenſent, grave ipſi nocumentum non inferri ab eo qui illud divulgat: quia fama brevi juſte deſtruenda non videtur magno æſtimationis.

populum; sed illis duobus modis dicitur notorium solum in ordine ad judicem, ut ab eo condemnari possit. Unde adhuc reus retinet jus ad famam, cum non dum eo in pœnam sit privatus per auctoritatem publicam.

Resp. 5. Juxta multos mortale est contra justitiam crimen verum in uno loco publicum sola publicitate facti, vel famæ divulgare in alio loco, quo fama non erat illud perlatura: quia auctor criminis per talem notitiam non amisit jus ad famam in aliis locis. Fatentur tamen licere ob bonum publicum referre in historiis delicta publica defunctorum, quamvis infamia ad alia loca deferatur, tum ut notitia rerum publice gestarum habeatur, tum ut homines timore infamiæ perpetuo duraturæ a criminibus deterreantur. Dixi, *in alio loco*: nam (44) ex communi sententia non est contra justitiam nescientibus revelare crimen alterius in loco, ubi de eo publice infamatus est. Addit Delugo ab bonum publicum expedire, quod unusquisque ab aliis cognoscatur, qualis revera publice est. Quod si crimen verum factum sit *injuste publicum*, ut si cum esset secretum, aliqui pluribus *illud* revelarint, Delugo negat peccare contra justitiam eum, qui illud aliis ejusdem loci nescientibus revelavit: quia tunc proximus non habet jus ne infametur, nam totum jus proximi fundatur vel in carentia talis criminis, vel in eo, quod sit occultum; quorum utrumque deest in casu nostro.

Resp. 6. Si is, qui olim ob sua crimina infamis fuit, famam honeste vivendo recuperavit, mortale est contra charitatem illa crimina nescientibus narrare, vel revocare in memoriam: immo est contra justitiam, si crimen non fuit publicum per sententiam judicis: quia bonis moribus infamia facti tollitur, & fama bona recuperatur cum jure ad illam: sic a fortiori est contra justitiam, si inde detur occasio opinandi eum adhuc esse improbum, etiamsi per sententiam juste olim infamatus sit. Item est mortale contra justitiam crimen alterius, quod facto, vel fama dumtaxat publicum est, sed jam sola oblivione deletum,

(44) Si tamen nulla sit ratio quæ invitet ad loquendum de similibus, de iis loqui coram scientibus esse videtur veniale contra charitatem; utpote qua unumquemque proximum diligere tenemur, sicut nos ipsos. Immo videtur mortale contra charitatem, ipsimet peccatori in faciem objicere ejusmodi crimen, vel, ratione illius, ipsum digito notare cum gravi ipsius mœrore seu contristatione.

tum, narrare nescientibus, vel reducere in memoriam: quia talis jus habet ad famam pro tempore, quo crimen suum desiit esse publicum. Ita Delugo, qui excipit crimen publicum per sententiam publicam; quia facultas illud divulgandi orta ex sententia publica adhuc irrevocata perseverat, donec publica auctoritate infamia tollatur: Sed saltem id erit contra charitatem.

Quæst. VIII. An eum, qui uno, aut altero crimine infamis est, licet de aliis infamare?

Resp. 1. Si illa alia crimina sint ordinarie conjuncta cum graviore crimine, quod jam publicum est, non est peccatum saltem mortale illa detegere iis, qui jam principale norunt: quia non censetur nova infamia, saltem gravis, inferri, aut prior graviter augeri. Dixi, *graviore*: nam mortale est contra justitiam aperire crimen atrox ei, qui novit minus grave licet ejusdem speciei. Immo potest esse gravis injuria detegere peccata ejusdem speciei multiplicata: nam relapsus multum auget infamiam. Delugo.

Resp. 2. Si crimina illa non sint connexa, ex communi sententia est mortale contra justitiam illa detegere præsertim si sint alterius generis: quia qui amisit jus ad famam in una virtute, non idcirco jus amisit ad famam in altera virtute. Notat autem Delugo totum hoc desumendum esse ex damno novo, quod circa famam fit; an judicio prudentum sit grave, aut leve.

Quæst. IX. An licet aliquando revelare crimen occultum alterius? Certum est nunquam licere, si crimen innotuit solum per confessionem sacramentalem, vel si talis revelatio cedit in bonum publicum. Sed extra hos casus.

Resp. 1. Ex communi sententia revelatio criminis occulti fieri potest, ac debet, quando necessaria est ad avertendum grave damnum communitati, aut privato impendens, sive spirituale, sive temporale, ob rationes alibi jam dictas. Idem tibi licet, si hoc necessarium sit ad avertendum tuum grave damnum injustum, etiam temporale. Nam manifestatio criminis occulti alterius non est detractio, nisi cum est inordinata. Immo ex S. Thom. quæst. 70. artic. 1. ad 2. homo tenetur manifestare ea, quæ sibi sub secreto commissa sunt: *si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ.* Hinc quando agitur de officio, beneficio ecclesiastico conferendo, de matrimonio contrahendo, de religione suscipienda potes, & debes occulta impedimenta, incapacitatem, aut vitia alterius, unde aliquod grave malum timetur, detegere iis, ad quos

ſpectat, ſed non pluribus; & illi tenentur ſic audita non referre aliis. Item talis revelatio fieri debet, cum neceſſaria eſt ad bonum delinquentis, ut ſi fiat ſuperiori, parentibus, ſervato quantum opus eſt ordine fraternæ correctionis; quia bonum ſpirituale animæ anteponi debet famæ. S. Baſil. in reg. brev. reſp. ad interrog. 25.

Reſp. 2. Licet injuriam ſibi ab alio factam referre ad petendum conſilium neceſſarium non nominata perſona, niſi ad conſilium opus ſit, modo non pluribus referatur, quam neceſſe ſit: quia læſus habet jus conſilium neceſſarium in injuriis acceptis quærendi: Non tamen licet ad ſolatium præciſe, ſeu ad dolorem leniendum narrare amico injuriam ſibi factam, nominata perſona: quia iniquum eſt gravem infamiam proximo inferre ſine juſta, & gravi cauſa, quale non eſt ſolatium illud.

Reſp. 3. Si quis fictis virtutibus, vel ſimulata peritia famam ſibi comparavit, licet aperire hanc ſimulationem, ſi ea vergat in alicujus damnum grave: quia is non habet jus famam in errore fundatam retinendi cum aliorum damno, vel periculo. Secus, ſi ſimulatio doctrinæ, vel virtutis nemini nocere poſſit.

Quæſt. X. An eſt mortale detrahere defuncto in re gravi?

Reſp. Affirm. Etiamſi ejus infamia ad alios non redundet. Ita omnes: quia cenſetur defunctus etiam poſt mortem poſſidere famam ſuam, per quam vivit in memoria hominum: unde eam auferendo infertur ei grave damnum injuſtum. Quare eſt obligatio reſtituendi famam defuncto, ſive ante, ſive poſt ejus mortem injuſte læſam.

Quæſt. XI. An licet ſeipſum infamare?

Reſp. 1. Ex communi ſententia laudabile eſt ſeipſum infamare, veritatem aperiendo ſine ſcandalo, vitæ periculo, & aliorum injuria, & damno ad coercendam ſuperbiam, ac vanam gloriam, ad acquirendam humilitatem, ad imitandum Chriſti opprobria, ut fecerunt quidam Sancti; quia homo eſt dominus ſuæ famæ; & honeſte eam bono majori poſtponit. Si id faciat ſine juſta cauſa, erit per ſe loquendo venialis culpa, quia eſt etiam quædam inordinatio, & prodigalitas. Non eſt tamen per ſe mortalis: quia nec eſt contra juſtitiam, nec contra charitatem.

Reſp. Ex communi ſententia eſt mortale contra charitatem ſeipſum infamare, aut cum ſcandalo proximi, vel etiam proprio, ut ſi inde fias ad peccandum effrænatior; aut cum periculo vitæ propriæ, ut ſi dicas te violaſſe torum alterius. Item ſi infamia tua impediat, ne poſſis pro-

deſſe

desse proximo, cui ex sola charitate prodesse teneris. Immo est etiam injustitia, si propria infamia redundet ad alios, ut ad ordinem religiosum, si sis religiosus. Item si fama tua sit necessaria ab bene, & utiliter gubernandos alios, ut si sis Episcopus, Parochus &c. nam ex justitia teneris nihil facere, quod impediat, ne recte, & utiliter aliis munus tuum exequaris.

Quæst. XII. An licet contumeliam illatam repellere?

Resp. Negative D. Thomas 2. 2. quæst. 72. artic. 3. si expediat ferre contumelias, hoc est si ex hoc nullum proximo damnum sequatur: secus, si proximo immineat damnum.

Quæst. XIII. An, & quomodo restituenda est fama?

Resp. 1. Est obligatio justitiæ ex genere suo gravis restituendi famam injuste læsam, sive imponendo falsum crimen, sive detegendo sine justa causa verum, sed occultum defectum, vel crimen. Ita omnes: quia tunc illata est vera injuria damnosa, quæ proinde tolli, ac resarciri debet. 2. Fama injuste ablata restitui debet integre apud omnes, apud quos ablata fuit, ita exigente justitia, ut alibi probavimus. Hinc qui publice infamavit, tenetur famam publice restituere. D. Thom. 2. 2. q. 62. artic. 2.

Resp. 3. Qui alium infamavit falsum crimen imponendo, ex communi sententia tenetur illud efficaciter revocare, & adhibere omnem moralem diligentiam, ut falsa illa opinio ex animis hominum evellatur. Unde tenetur auditoribus aperte significare voce, vel scripto, si necesse sit, se falsum dixisse, aut etiam mentitum esse, si opus sit, adhibito juramento, & testibus, si aliter non putentur credituri, quamvis idcirco ipse sit infamandus. Qui vero verum alterius crimen, vel defectum injuste revelavit, non debet dicere se falsum dixisse; quia mentiretur, quod nunquam licet; sed debet apud rudes dicere se perperam fuisse locutum, talem injuste infamasse: apud peritos vero, qui ex ejusmodi locutionibus magis confirmarentur in opinione admissi criminis debet (quantum fieri potest sine mendacio) infamem laudare in aliis virtutibus apud eos, coram quibus detraxit ut quantum in una virtute amisit opinionis bonæ, tantum in aliis acquirat, & sic (45) fiat quædam compensatio. Ita S. Thom. 2. 2. q. 62.

---

(45) Quod si nullus ex illis existimetur hic & nunc effectum habiturus, alio confugiendum: & (si alia via non occurrat) petenda est diffamato venia, & restitutionis condonatio; a quo tamen

q. 82. à num. ed 2. Sed qui libro famoso alterum injuste infamavit, tenetur restituere famam contrariis scriptis, vel publica revocatione, alioqui restitutio non esset efficax, & proportionata damno.

Resp. 4. Qui falsum, aut verum crimen alterius injuste revelavit, tenetur ex justitia reparare famam non solum apud eos omnes, apud quos eam abstulit; sed etiam apud alios omnes, quibus hi postea idem retulerunt, saltem in eorum defectum, si prævidit, aut prævidere potuit eos, apud quos detraxit, rem propagaturos. Est communis sententia, immo etiamsi probabilius putasset auditores immediatos audita non relaturos esse aliis, videtur adhuc teneri in horum defectum, quia, qui .... *occasionem damni dat, damnum videtur dedisse*, cap. ult. *de injur.*

Quæst. XIV. An qui crimen falsum alteri imponit, aut verum, sed occultum injuste detegit, tenetur omnia alia damna sive in corpore, sive in aliis bonis inde secuta resarcire?

Resp. Affirm. (46) Est communis, & certa sententia. Ex cap. ult. *de injur.* Et ratio est, quia qui injuriam intulit, est causa injusta damnorum inde secutorum, idque verum est, etiamsi crimen sit verum, sed occultum. Tenetur autem restituere quanti spes vitandi damni, aut beneficii obtinendi valet arbitrio prudentis. Immo qui proximum in vitæ periculum conjicit falsum crimen ei affingendo, tenetur ex justitia retractare etiam (47) cum propriæ

men per accidens excusatur Superior respectu inferiorum, pater respectu filii, Magister respectu discipuli, vir illustris respectu plebei. Nihilominus a restitutione non excusatur Superior, &c. qui injuste diffamavit inferiorem, maxime falsum imponendo: nam dicere debet se deceptum v. g. hoc modo, „ deceptus hoc dixi de tali, modo mihi falsum esse constat. “

(46) Si quæ tamen damna secuta sint, non vi diffamationis injustæ, sed omnino per accidens ad illam, ex errore, malitiave aliorum, de iis non tenetur diffamator; uti nec de secutis ex sua diffamatione solum materialiter injusta: utpote de quibus nec tenetur ex re accepta, nec ex injusta damnificatione, nisi fuerit formaliter injusta.

(47) Aliæ tamen viæ (si tempus permittat) tentandæ sunt, ad innocentem (si fieri potest) absque vitæ propriæ periculo salvandum, adeundo judicem per Confessarium, vel, (si Confessarius tantæ non sit auctoritatis apud Judicem) per Episcopum, qui judici testetur certo se scire, hominem illum talis criminis falso esse accusatum, & a falsis testibus oppressum, quamvis innocentiam ipsius juridicis mediis probare non possit. Quod si quis, propriam revelans malitiam, non esset innocentem liberaturus, tacere deberet; quia nemo tenetur ad onus inutile cum proprio gravi incommodo.

priæ vitæ periculo: nam in pari causa, & discrimine potior est conditio innocentis, quam nocentis, qui est culpabilis causa periculi.

Quæst. XV. An tenetur ad restitutionem, qui falso, sed bona fide putans crimen esse verum, & publicum, illud narravit?

Resp. Qui innocentem, licet inculpate, infamavit etiam correctionis causa, ubi primum errorem suum deprehendit, tenetur ex justitia famam ejus restituere, & avertere damnum ex infamia imminens. Est communis sententia teste Delugo; quia justitia quemlibet obligat ad curandum, ne ex sua actione sequatur damnum aliis sine justa causa. Hinc si fueris in mora restituendæ famæ, & interea damnum in aliis bonis infamato eveniat, teneris adhuc illud resarcire: quia ex illo tempore, quo tuum errorem deprehendisti, & potuisti sine tuo gravi incommodo restituere, censeris causa injusta infamiæ, ut perseverantiæ, seu detentionis famæ & damnorum ex tua omissione injusta secutorum. Secus si infamatus sine infamatoris culpa patiatur aliquod damnum, antequam infamator errorem suum agnoverit: tunc enim est inculpabilis causa infamiæ, ideoque & damni inde secuti.

Sed quid si me narrante de aliquo publico infamato auditores alium intelligant?

Resp. Si periculum fuit, ne auditores alium intelligerent, teneris ex justitia etiam cum pari damno ad restitutionem: tunc enim merito censeris causa moralis infamiæ ex tua narratione secutæ. Si non fuit tale periculum, innocentem purgare, si potes, saltem sine gravi incommodo, teneris, tum ex charitate, tum ex justitia, ut superius, & alibi diximus.

Quæst. XVI. An hæres detractoris tenetur ad restitutionem famæ a defuncto violatæ?

Resp. Neg. Quia hæc obligatio non respicit bona ei relicta, sed est mere personalis. At tenetur ex justitia resarcire mala realia inde secuta: nam talis obligatio afficit bona infamatoris, quæ cum suis oneribus transeunt ad hæredem.

Quæst. XVII. Quænam excusant a restitutione famæ?

Resp. Excusat 1. Condonatio valida talis restitutionis facta ab eo, cujus infamia non redundat in alios; quia est dominus suæ famæ, illicite tamen condonaret, si ejus fama necessaria esset ad ædificationem proximi, vel ad tollendum scandalum, tunc enim peccaret contra charitatem. In tribus autem casibus non potest valide condonari restitutio famæ. 1. Si infamia tua redundet in alios, qui inde maneant infamati, vel suspecti. 2. Si fama tua ne-

necessaria sit ad rectam muneris tui administrationem, nisi officium deponas, vel aliter famam tuam apud alios recuperes. 3. Si (48) ex tua infamia secuturum est damnum tertio.

2. Excusat, si fama sit aliunde recuperata, puta per sententiam Judicis, vel per rei evidentiam, vel per testes, vel aliter; quia jam sublatum est totum damnum illatum. Potest tamen infamator condemnari per Judicem ad aliquam satisfactionem etiam pecuniariam in pœnam criminis. Sed si non accusetur apud Judicem, tenetur tantum ad satisfaciendum per signa doloris, petitionem veniæ, vel honorem aliquem secundum conditionem personarum, ob mœrorem illatum, & infamiam, quam passus est læsus, donec sublata fuerit, si putetur talem satisfactionem velle. Damna autem in aliis bonis ex infamia secuta compensari semper debent. 3. Si restitutio sit impossibilis, nam nemo tenetur ad impossibile, ex reg. jur. in *6*. 4. Si revera nulla sit infamia ex detractione secuta: quia tunc nullum damnum secutum est. Si tamen narratione tua infamia proximi notabiliter aucta est, aut si auditores inducti sunt ad judicandum malum de proximo, quod antea tantum suspicabantur, teneris ad restitutionem. 5. Si restitutio fieri nequeat sine periculo vitæ infamatoris, quæ judicio prudentum præstet famæ infamati: quia non est obligatio restituendi cum longe majori damno spectatis omnibus. Si tamen ex tua calumnia impendeat infamato, aut aliis damnum grave in spiritualibus, vel periculum vitæ, aut grave scandalum, aut grande malum poblicum, teneris cum periculo vitæ famam restituere. Nam ista damna æquivalent, aut etiam præstant damno vitæ infamatoris. Idem dic, si jactura famæ, vel aliorum bonorum tanti, vel fere tanti ex circumstantiis æstimetur, quanti jactura vitæ tuæ. A fortiori fieri potest, ut quis famam restituere teneatur cum jactura bonorum omnium. 6. Juxta multos non teneris restituere, si crimen verum occultum, quod aliis narratis fiat alia via justa publicum publicitate, qua infamatus amiserit jus ad famam. 7. Si infamia penitus abierit in oblivionem, nec periculum sit, ne reviviscat. Sed si reviviscat postea, erit tunc obligatio restituendi. Si autem periculum sit, ne reviviscat aliquando (ut facile fieri potest)

(48) Addo cum S. Thom. 2. 2. q. 72. art. 3. fieri etiam aliquando non debere detractionis condonationem propter bonum illius qui contumeliam infert, ne de cætero talia attentet.

test) debet detractor satisfacere pro illo periculo, honorando, laudando infamatum, immo & dicta revocando, si crimen sit falsum.

Quæst. XVIII. An in restitutione famæ fieri possit compensatio?

Resp. 1. Est mortale contra justitiam falsum crimen, sive in judicio, sive extra illud imponere etiam calumniatori ad suam justitiam, vel famam tuendam. Est communis sententia teste Delugo: quia quisque habet jus, ne ei ob ullam causam falsum crimen affingatur. Hinc Concilium Arelat. I. & II. jubent excommunicari eos, qui falsum crimen aliis objiciunt, & Innoc. XI. damnavit has propositiones: 43. „ Quidni nonnisi veniale sit detrahen-
„ tis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine eli-
„ dere? 44. Probabile est non peccare mortaliter, qui
„ imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, &
„ honorem defendat: & hoc si non sit probabile, vix ul-
„ la erit opinio probabilis in Theologia.

Resp. 2. Non licet infamantem infamare, narrato etiam vero crimine præcise ad compensandam infamiam illatam. Est communis sententia, quia non licet privata auctoritate malum pro malo reddere, & vindictam exercere, idque vetatur 1. Pet. 3. Hinc, qui se mutuo infamarunt, tenentur ad restituendum sibi mutuo famam, nisi sibi mutuo condonent, ut præsumitur, si æqualis sit infamia.

Resp. 3. Si quis te falso infamet ex communi sententia potes aliquem ejus defectum, vel peccatum vero occultum detegere ad labefactandum ejus testimonium, modo hæc manifestatio sit utilis, & necessaria ad famæ tuæ defensionem, nec majorem ei infamiam pariat, quam sit ea, quam tibi injuste parat; quia quisque habet jus tuendi propriam famam, quam alter vult injuste adimere; nec tunc ille est rationabiliter invitus, cum cogat læsum ad hoc medium necessarium. Illicita est tamen defensio immoderata propriæ famæ. Quod si manifestatio alieni criminis non sit necessaria ad famæ tuæ defensionem; tunc illud detegendo peccas contra justitiam; & teneris ad restitutionem: quia ille habet jus ad famam, quamdiu ejus infamia non est necessaria ad infamiam, quam tibi injuste infert, amovendam.

Resp. 4. Dum duo se mutuo infamarunt, & infamia utriusque æqualis est, si unus nolit famam alteri restituere, juxta multos alter non tenetur ad restitutionem, modo fama prioris non redundet in alios: ex cap. ult. *de adulter.* quia in rebus temporalibus, quando jura sunt paria, si alter nolit tibi servare jus, & solvere debitum, nec tu teneris ei præstare, quod debes. Qui tamen prius

læss-

læsisset, tenetur ad restitutionem talis excessus infamiæ, alioqui non reduceretur æqualitas. Item si altero volente sibi restituere, tu nolis idem ei præstare, peccas graviter contra justitiam; quia es causa damni, quod is invitus patitur.

Quæst. XIX. An, qui infamiam a se injuste illatam tollere nequit, tenetur pecunia compensare?

Resp. Multi negant, eo quod bona superioris ordinis nequeant restitui per bona inferioris ordinis; ac proinde tunc sit impotentia restituendi. Alii tamen cum S. Thoma 2. 2. q. 62. art. 2. ad 1. probabilius docent talem teneri compensare pecunia, vel piis suffragiis pro infamato oblatis, vel aliter arbitrio prudentis propter easdem rationes, ob quas dicunt pecuniam pro damno vitæ, vel membri restitui debere. Vide dicta cap. 6. q. 6. &c. Fatetur Lessius infamatorem teneri ex quadam æquitate, & etiam ex charitate infamiam pecunia compensare, si infamatus sit pauper, qui non videatur aliter mœrorem depositurus, & infamator sit dives. Sed videtur hæc esse obligatio justitiæ: nam ex justitia depelli debet mœror injuste illatus, & in hoc casu pecunia est unicum medium aptum ad eum tollendum. Porro consentiunt omnes infamatorem, si per Judicem condemnetur ad satisfactionem pecuniariam, teneri ex justitia illam præstare, idque etiamsi fama fuisset recuperata: nam Judex potest justa pœna punire delicta etiam post damna sarta; quisque autem tenetur justæ sententiæ parere. Item si infamator transigat certa pecuniæ summa cum infamato, tenetur ex justitia eam tradere; nam hoc pactum est justum, cum infamatus possit certa pecunia pacisci, ut cedat jus, quod habet ad accusandum infamatorem, & exigendam satisfactionem, ac restitutionem, cum erit possibilis. Justæ autem conventiones obligant ex justitia.

Quæst. XX. An honor per contumeliam læsus restitui debeat, & quomodo?

Resp. 1. Qui injuste alterius honorem læsit, sive coram aliis, sive coram ipso solo ex communi sententia tenetur ad restitutionem: nam contumelia parit imminutionem dignitatis, & dolorem, ac mœrorem, quæ per satisfactionem tolli debet. Item qui causam offensionis dedit proximo, tenetur quantum potest ipsum placare, & se ei reconciliare, ex Matth. 5. Quod si honor coram aliis læsus sit, debet apud illos omnes restitui, alioqui honor injuste ablatus non restitueretur ad æqualitatem. Si tamen læsus vindictam sumpserit de inhonorante, & hic eam toleraverit, secundum Delugo non requiritur ordinarie ulterius satisfactio pro honore, nisi læsus sit multo superior;

rior; quia hoc ipso, quod alter vicissim non vindicat, censetur agnoscere suam culpam, & testari existimationem de læso. Debetur tamen alia reparatio honoris apud alios testes injuriæ, qui de hac vindicta sumpta nihil rescirent.

Resp. 2. Si simul cum contumelia illata sit infamia, vel ex illa sequatur aliquod damnum, tunc etiam cum infamia resarciri debet damnum illud, quia lædens est illorum causa injusta.

Resp. 3. Ea adhiberi debet satisfactio, quæ prudentum judicio, spectatis omnibus circumstantiis, personæ lædentis, & læsæ dignitate, injuriæ gravitate &c. sufficiat ad reparandum honorem sublatum. Varii autem assignantur satisfaciendi modi, scilicet exhibitio externa honoris, amica, & honorifica salutatio, ac compellatio, invitatio ad mensam, locum honorificum ibi dando &c. Raro autem superiores tenentur veniam a subditis petere, ex Augustino epist. 109. Sed contumeliam ostensione majoris benevolentiæ, & peculiari honore, ac favore tollere possunt. Porro omissio honoris debiti superioribus, vel etiam æqualibus est peccatum non solum contra observantiam, sed etiam contra justitiam, ideoque obligat ad aliquam satisfactionem.

CAPUT QUINTUM.

De injuriis in bonis, quæ dicuntur fortunæ, & necessaria restitutione.

INjuriæ circa bona fortunæ complectuntur omnes damnificationes, seu actiones, & omissiones, quibus damnum in hujusmodi bona injuste alteri infertur; sive rem ejus usurpando, accipiendo, detinendo, sive destruendo, sive deteriorando, sive exigendo id, quod non debetur, sive non solvendo ei, quod debetur ex justitia, sive quovis alio modo. Quæ omnia sub nomine furti late sumpti comprehenduntur, & prohibentur præcepto. *Non furtum facies*, ex Concil. Colon. & Catech. Roman. nec non ex August. in capit. *Pœnale* 14. q. 5.

Quæst. I. Quid est, furtum, & rapina, & quomodo differunt inter se?

Resp. 1. Furtum sumitur tripliciter. 1. Latissime pro omni injusta damnificatione in bonis, sive commissione, sive omissione fiat. 2. Late pro omni injusta acceptione rei alienæ. 3. Stricte, & furtum sic sumptum est occulta

rei

rei alienæ ablatio invito domino rationabiliter, vel ejus justo detentore. Dicitur 1. *Ablatio* (49) per quam intelligitur occupatio, acceptio, & retentio. 2. *Occulta*, hoc est, quæ fit domino nesciente, vel saltem quam quis intendit facere domino nesciente, & sine vi. 3. *Rei*, (50) quo nomine a Theologis intelliguntur non solum res corporales, & mobiles, sed etiam res immobiles, & jura, ut census, servitutes, usus, ac possessio. 4. *Invito domino*, seu sine consensu Domini saltem prudenter præsumpto. 5. *Rationabiliter*: nam dominus debet esse cum ratione invitus. 6. *Vel ejus detentore*, seu possessore. Nam furtum committitur, quoties aufertur res invito eo, qui eam legitime possidet, vel detinet, ut conductore, commodatario &c. ex l. 10. & 11. §. *de furto*.

Resp. 2. Rapina est rei alienæ usurpatio injusta, & violenta, seu facta præsente, & invito domino vel ejus detentore justo. Porro rapinæ reus est, qui per metum injuste incussum aliquid ab altero extorquet.

Quæst. II. Quomodo dividitur furtum?

Resp. Dividitur in simplex, & qualificatum, quod scilicet secundum leges est dignum majore pœna, quodque quadruplex est. Primum est sacrilegium, quod est furtum rei sacræ, vel profanæ in loco sacro. 2. Est peculatus, quod est furtum rei ad fiscum, vel ærarium publicum pertinentis. 3. Plagium, quod est surreptio servi alieni, vel etiam hominis liberi. 4. Abigeatus, seu abductio alienorum pecorum.

Quæst. III. Quale peccatum sunt furtum, & quævis injusta damnificatio, & rapina?

Resp. Sunt mortalia ex genere suo: ita omnes. Constat ex 1. Corinth. 6. Nam sine justa causa, & auctoritate inferre damnum proximo est tum contra charitatem, tum contra justitiam: quæ virtutes obligant sub mortali in re gravi, ex Catech. Concil. Trident. Dixi, *ex genere suo*: quia furtum potest esse veniale ex parvitate materiæ: nam per furtum rei levis leve damnum infertur proximo, nisi inde sequatur aliud malum.

Quæst. IV. Quænam quantitas requiritur, ut furtum, vel

(49) Dicitur *ablatio*, ut etiam distinguatur ab injusta damnificatione, qualis est v. g. domus alienæ per incendium destructio.

(50) Sive aliena sit quoad proprietatem, sive quoad usum; uti est res cujus alter dominium habet directum, alter dominium utile; sive quoad detentionem oppignoratitiam, &c. Unde quispiam fur esse potest rem suam accipiendo, ut si eam Monti Pietatis oppignoratam occulte surripiat, taxa non soluta.

vel quævis alia damnificatio in rebus externis sit mortalis?

Nota 1. Furtum levis rei potest esse mortale per accidens ratione damni inde secuti, aut lucri cessantis, ut si acum fureris sartori, qui non possit aliam habere, & ideo uno, vel pluribus diebus operas suas perdat. 2. Ratione scandali, ut si scias ideo alterum blasphematurum. 3. Ratione gravis mœroris, quem concipit dominus ex furto rei levis propter affectum ad illam: tunc enim graviter peccas saltem contra charitatem. Sed hic quærimus quænam materiæ gravitas per se requiratur ad mortale secluso quocumque alio.

Nota 2. Quantitas per se requisita ad mortale peccatum in furto, & quavis alia damnificatione injusta debet esse gravis, vel absolute, vel respective. Quantitas autem gravis absolute est ea, quæ secundum se, & respectu omnium est notabilis, & parit utilitatem notabilem; quantitas gravis respective est ea, quæ est notabilis relate ad facultatem, conditionem, & indigentiam cæterarum personarum, spectatis omnibus circumstantiis: sic quantitas aliqua levis respectu divitis censetur gravis, ac notabilis respectu pauperis ratione illius inopiæ.

Resp. Quantitas gravis absolute, ideoque sufficiens ad mortale respectu omnium, etiam Regum, est ea, quæ exæquat valorem sexaginta assium, seu trium librarum. Nam talis summa secundum se spectata est notabilis, & parit utilitatem notabilem. Nec levis est, etiam respectu regis spectatis omnibus oneribus, ad quæ sustinenda non parum juvat. Immo multi Doctores minorem quantitatem ad mortale assignant etiam respectu ditissimorum. Quantitas vero gravis respective ad conditiones personarum & sufficiens ad mortale, quadruplex est, nimirum respectu divitis est circiter 30. asses: respectu mediocriter divitis 20. asses; respectu artificis non pauperis 12. asses, vel quantum ei valet merces operæ diurnæ; respectu pauperis sex asses, vel id, (51) quod singulis sufficit ad victum

(51) Hæc tamen intelligenda non sunt ut exceptionem non habeant: quotidie enim evenit; ut qui ex reditibus suis vivunt, multo minus commode vivant quam mercatores: fieri etiam potest, ut qui in sudore vultus vescitur pane, septem tantum vel octo asses diebus singulis lucretur, quibus se, puerosque suos alat, & quibus sublatis gravissime diem unam, & aliquando duas transacturus sit. Cæterum cum merces operariorum pro dierum varietate varietur, ita ut major sit æstivo tempore quam hyemali, credibile est, eam mercedem quæ medio hyemem inter & æstatem tempore datur operariis ad furtum mortale sufficere & requiri.

ctum diurnum: nam talis summa est respectu singulorum pretium laboris haud levis, & illis sufficit ad victum diurnum, & non exiguam ipsis parit utilitatem, atque ejus privatio incommodum non leve.

Nota. Cum quantitas materiæ furti mortalis non possit mathematice statui, sed tantum moraliter, qui regi surriperet summam designatam excepto uno, vel altero asse, censebitur peccare mortaliter, quia in Moralibus parum pro nihilo reputatur: ac proinde, quæ parum distant, nihil distare censentur.

Quæst. V. An, & quomodo peccatur mortaliter per minuta furta?

Resp. 1. Ex communi sententia, qui per plura parva furta uni, vel pluribus facta intendit acquirere quantitatem notabilem peccat mortaliter cum illa intentione: quovis furto levi ex illa intentione procedente. Nam quod fit ex intentione mortali, quamvis in se leve sit, est peccatum mortale; actus enim imperatus a voluntate participat malitiam interioris actus imperantis, cum quo constituit unum moraliter actum totalem, estque illius executio. Supposita tamen tali intentione multa illa furta continente facta unum sunt furtum mortale: quia manant ab uno, eodemque proposito efficaci, non interrupto, & virtualiter permanente. Sed si (52) interrupte fiant, tunc multiplicantur actus voluntatis moraliter mali. Item peccat mortaliter, qui rem levem semel furatur cum intentione furandi magnam, si ea occurreret, quia habet voluntatem furti mortalis.

Resp. 2. Qui sæpe furatur minima sine animo auferendi rem notabilem, sed tantum ex occasione data accipit successive quantitatem notabilem, vel damnum notabile paulatim, & successive infert, peccat mortaliter per ultimum furtum, vel damnum rei de se levis, ubi advertit (53) se per illud quantitatem notabilem complere: non solum, quia tunc incipit detinere alienum in notabili quantitate, ut docet communis sententia, sed etiam ratione ipsius acceptionis, ut docet saltem communior. Nam

---

(52) Quia tamen malitia actus interni non est executive completa, nisi dum pervenitur ad notabilem quantitatem, ante eam restitutionis obligatio non urget sub mortali.

(53) At si ultimum assem, v.g. decimum, surripiendo, nullo modo adverteret ad furta præcedentia, ne virtualiter quidem vel interpretative, vel ultimum superadderet, postquam furta præcedentia per restitutionem reparasset, mortaliter non peccaret; tunc enim furta præcedentia moraliter ita se haberent, ac si non præcessissent.

Nam hæc ultima acceptio, licet de se levis, prout conjuncta moraliter cum aliis prioribus, complet ablationem rei gravis, revera gravis est, ac proinde mortalis: sicut retentio ultimæ partis licet de se levis, tamen quatenus cum retentione aliarum jam acceptarum complet rationem gravem, est gravis, ac mortalis retentio. Itaque licet levia furta præterita non uniantur moraliter cum hoc ultimo in ratione peccati, uniuntur tamen ratione materiæ, & damni illati: multæ enim leves materiæ, & multa levia damna inter se moraliter uniuntur, & aliquid grave conflant. Hanc autem totam materiam gravem censeris velle per ultimum furtum illam complens. Hinc famuli, & ancillæ peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem, si per plura furta levia, etiam circa esculenta, & poculenta quantitatem sufficientem ad mortale compleant, quamvis juxta multos requiratur major quantitas in esculentis, & poculentis, quæ ipsimet consumunt, quam in iis, quæ aliis donant. Idem dic (54) de liberis, licet circa illos multi requirant majorem quantitatem, quam circa famulos; quia, inquiunt, parentes sunt minus inviti.

Resp. 3. Qui per furta minima quantitatem notabilem implevit, ex communi sententia tenetur sub mortali quamprimum restituere: quia alioqui esset iniquus detentor rei alienæ, seu alteri debitæ notabilis, & læderet jus alterius in re

(54) Solus Deus novit in qua præcise quantitate mortaliter peccent filii, furantes a parentibus: quapropter periculosum est, ipsos temere a mortali peccato excusare, dum materia notabilis est in se. Per hæc tamen non intendimus dicere quod filii semper mortaliter peccent dum aliquid in se notabile parentibus surripiunt, absque expresso ipsorum consensu; sed quod per hoc periculo se exponunt peccati mortalis, nisi ex indiciis particularibus satis ipsis constet de tacito consensu ipsorum; quodque Confessarii faciles esse non debent in excusandis occultis ejusmodi surreptionibus.

Sed quid de Religiosis? pro ipsis tanta quantitas non requiritur ad mortale furtum, quanta requiritur ad furtum mortale filiorum; licet enim sint filii monasterii, cap. *Licet* De Sepult. Est tamen inter filios & religiosos differentia; tum quia Religiosi non sunt hæredes in spe bonorum Monasterii, tum ob longe majorem perfectionem, seu majorem ipsorum abdicationem rerum temporalium, ratione voti paupertatis. Suarez tamen cum plerisque aliis censet, mortalis furti non facile condemnandos, esculenta & poculenta ad usum suum surripientes (licet in eo notabilem sæpe indecentiam committant contra religiosam perfectionem,) nisi damnificatio Monasterii foret nimia, vel res illæ, non ad unum actum comedendi vel bibendi surriperentur, sed magna in quantitate ut occulte retentæ paullatim consumentur.

in re gravi. Hinc Innocent. XI. damnavit hanc propositionem: „Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis „restituere, quod ablatum est per pauca furta, quan„tumcumque sit magna summa totalis.“

Resp. 4. Tota hæc doctrina de levibus furtis vera est, etiamsi fiant diversis personis, quarum singulæ seorsim sumptæ damnum dumtaxat leve patiantur, ita ut 1. Quodlibet ejusmodi furtum cum animo quid notabile acquirendi, sit mortale. Ita communiter, ex Deuteron. 25. & Prov. 11. Nam quodlibet fit cum voluntate mortali, seu peccandi mortaliter: nam mortale est velle furari alienum in magna quantitate, cum hoc graviter prohibitum sit, & materia sit gravis. 2. Licet plura levia furta, ac damna fiant diversis sine intentione acquirendi aliquid notabile, sed tantum ex occasione data, tamen ultimum furtum, seu damnum de se leve, sed complens quantitatem notabilem est mortale. Ita Turrian. & alii multi: quia licet quantitas sit levis respectu singulorum, quibus fit furtum, nec proinde singulis inferatur grave damnum; est tamen notabilis respectu communitatis, seu multitudinis eorum. 3. Est obligatio sub mortali sic accepta restituendi quamprimum, nam alioqui injuste retineretur res aliena, & notabile damnum injuste illatum continuaretur. Quod si restitutio fieri moraliter nequeat singulis, quibus subtracta est res levis, aut illatum leve damnum; tunc restitutio fieri debet pauperibus communitatis damnificatorum, vel in alia pia opera eidem loco utilia. Secus, si quis sit modus restituendi ipsis læsis, vel majori illorum parti: quia læsus habet jus, ut damnum sibi restituatur, dum restitui ei potest.

Nota. Secundum multos ad mortale requiritur major quantitas in furtis parvis, quæ fiunt pluribus, quam quæ uni: quia damnum divisum in plures censetur minus. Iidem Doctores communiter aliquando plus requirunt in furtis levibus ad mortale constituendum, quam in uno furto gravi, quando inter illa furta parva intervallum magnum intercedit; quia dominus minus graviter cum ratione invitus est, & minus damnum censetur, quam si simul eadem quantitas surriperetur. Certe si non adeo magnum sit intervallum, non requiritur ad materiam gravem major quantitas, dum paulatim accipitur, quam dum simul: nam tunc illa ejusdem est æstimationis, & damnum æque magnum infertur.

Quæst. VI. An quando plures uni per levia furta grave damnum inferunt, singuli peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem, licet singuli parum accipiant?

Resp. Si id communi consilio, vel auxilio, vel concursu fiat,

fiat, singuli peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem in solidum: nam singuli consentiunt in totum damnum, & ad illud totum moraliter cooperantur. Ob oppositam rationem. Si id casu fiat, ita ut alter alterius consilio non sit conscius, sed quilibet seorsim, & independenter ab alio leve damnum inferat, ignoretque damnum ab aliis illatum, vel inferendum: tunc nullus peccat mortaliter; & singuli tenentur solum sub veniali restituere partem damni a se illati. Idem dic, si plures advertant notabile damnum inferendum per minuta furta; & tamen aliquid leve singuli accipiant, sed sine communi consilio, ita ut nullus sit alteri suo exemplo vel hortatione causa furandi, quilibet peccat solum venialiter, & tenetur tantum ad restitutionem levis damni, quod infert; nec enim unum furtum ratione solius cognitionis aliorum conjungitur moraliter cum illis in ordine ad constituendum unum damnum grave imputabile singulis.

Quæst. VII. An fur acquirat dominium rei furtivæ?

Resp. Neg. Si ea discerni possit a rebus propriis: quia ad transferendum dominium requiritur justus titulus, ex l. 31. §. *de acquir. rer. domin.* qui hic deest. Hinc qui bona fide res alienas a fure, vel usurario accepit (nam de usurario eadem est ratio,) tenetur eas restituere vero domino, ubi primum id rescierit, L. 54. §. *de reg. jur.* Si autem fur, vel usurarius res furtivas, vel usuras suis rebus permiscuerit, ita ut ab his discerni nequeant; & ipse habeat animum acquirendi sibi totum cumulum, earum dominium juxta multos acquirit, ex instit. *de rer. divis.* & l. 78. §. *de solut.* At lex illa non loquitur de mixtione facta mala fide. Et instit. loc. cit. id relinquitur arbitrio Judicis. Illud certum est remanere tunc obligationem restituendi earum valorem, & compensandi omnia damna ob injuriam illata. Ex communi sententia autem fur, & usurarius fiunt domini pretii accepti ab emente bona fide rem aliquam alienam, sed cum prædicta obligatione, ex l. 49. §. *de furt.* immo fur aliquid emens pecunia furtiva, rei emptæ dominium acquirit, ex l. penult. Cod. *Si quis alteri, vel sibi, &c.* Venditor autem non fit dominus pecuniæ furtivæ, nisi quando illam cum propria miscuit, ita ut ab illa discerni nequeat l. 78. §. *de solut.* Ratio est quia fur non habet dominium rei furtivæ, sicut alter contrahens rei suæ: ergo non potest illud æque transferre. Præterea hoc ita statutum est legibus.

Quæst. VIII. An licet occulte recipere rem suam apud alium extantem?

Resp. 1. Qui occulte accipit rem suam apud alium justo titulo v. g. pignoris, locationis, commodati extan-

tem, peccat contra justitiam, & tenetur rem illam reddere, & resarcire damnum, si quod inde eveniet quia injuste alium privat usu juris, quod in illam rem habebat, scilicet juris securitatem ex ea percipiendi, vel ea utendi. Qui autem rem suam apud alium depositam furtim accipit, peccat; quia (ut ait S. Thom. q. 66. art. 5. ad 3.) gravat depositarium, & sic tenetur ad revelandum hoc gravamen, ipsum monendo, vel depositum reddendo.

Resp. 2. Qui occulte accipit rem suam apud alium sine justo titulo extantem, & quam potest alia ratione, puta per Judicem recuperare, peccat contra Justitiam legalem: quia violat juris ordinem. Sed non tenetur ad restitutionem; quia res illa sua est, & alter nullum jus in illam habet. Ita S. Thom. 2. 2. quæst. 66. art. 5. ad 3. Secus, si alia ratione rem suam recuperare non posset, modo absit scandalum, & moneatur injustus detentor (si fieri potest) nihil jam debere.

Quæst. IX. An uti licet occulta compensatione?

Occulta compensatio est, cum inscio eo, qui tibi debet, accipis, vel retines privata auctoritate ex ejus bonis ea, quæ tibi certo debet ex justitia. Itaque

Resp. 1. Non licet officialibus reip. opificibus, operariis, famulis, ancillis &c. aliquid surripere, eo quod putent stipendium, de quo convenerunt, esse justo minus: nam (55) agerent contra pactum: cum consenserint in pretium minus: unde nil aliud eis debetur ex justitia ratione sui laboris, & operarum, nisi pretium, de quo conventum est, licet sit infimum ex Matth. 20. Quod si constaret pretium illud, de quo conventum est, esse minus infimo, tamen fieri potest, ut illorum opera non sit magis utilis domino, qui illos noluisset acceptare sub majore pretio. An autem hoc ita se habeat, non ipsorum, sed domini est judicare. Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propositionem: „ Famuli, & famulæ domesticæ possunt „ occulte heris suis surripere ad compensandam operam „ suam, quam majorem judicant salario, quod accepe- „ runt. “

Resp. 2. Concurrentibus certis conditionibus licita est occulta compensatio. Est communis sententia. Quia jure natu-

(55) Aliud esset, ait Decoq. si servus ad quædam opera conductus, aliis insuper laboribus gravatus esset à domino qui nihil pro eis adderet stipendii: quamquam melius esset, ut servus ab eo domino discederet, aut ei repræsentaret laboris excessum, cui amplior merces debetur.

naturali cuique licet indemnem se servare citra alterius injuriam: & in occulta compensatione licita nemini fit injuria, cum non sit nec contra justitiam commutativam, cum nulla injuria inferatur debitori nolenti solvere; nec contra justitiam legalem, & publicam potestatem: nam supponitur Judex nolle, vel non posse rem debitam creditori adjudicare. Conditiones (56) autem necessariæ ad licitam compensationem hæ sunt: 1. Ut certum sit rem illam nunc actu debitam esse ex justitia. Secus, non licet, quia in dubio, & casu incerto melior est conditio possidentis. Neque id liceret, si res esset debita non ex justitia, sed solum ex gratitudine, quia tale debitum non est rigorosum, nec parit jus ullum ad rem, nec est circa aliquid determinatum, sed pendens ex libera voluntate alterius. 2. Ut creditor non possit rem suam, vel sibi debitam alia ratione v. gr. per Judicem obtinere, saltem sine gravi detrimento, & incommodo, ex l. unic. Codic. *Ne quis in sua causa*. Solus tamen defectus hujus conditionis non obligat ad restitutionem: quia debitori non est illatum damnum. Ita S. Antonin. 3. Ut creditor non accipiat rem debitori depositam apud se, vel sibi commodatam, ex l. 11. *Cod. depos.* & l. ult. Cod. *Commodat.* & ex cap. *ult. de depos.* Ratio est, quia fieret contra fidelitatem, & obligationem depositi, vel commodati, quod maximam fidem postulat, & contra conventionem saltem tacitam restituendi rem domino. 4. Ut accipiatur res in eadem specie, si fieri potest: 5. Ut fiat sine periculo scandali,

(56) Raro tamen concurrunt conditiones omnes sine quibus compensatio licita esse non potest: adeoque hæc, ut cum Haberto loquar, in praxi a Confessario observanda sunt. 1. Ut numquam suadeat compensationem. 2. Ut consulenti an licita sit, respondeat Theologos affirmare communiter in requisitis circumstantiis; sed hanc boni proprii recuperandi rationem esse periculi plenam. 3. Si ea pœnitens usus fuerit proprio motu, an adfuerint conditiones requisitæ; & si adfuerint, monebit eum periculi cui se imprudens exposuit. 4. Raro fidem habebit famulis, inquieto hominum generi, qui vix unquam contenti sunt.

Si quis vero promiserit alteri, se usurum non esse compensatione, tenetur stare contractui: quia talis promissio est de re licita, & possibili; ideoque jure naturæ obligat. At si juraverit, se soluturum esse debitum quin expresse intenderit cedere compensationi cujus immemor erat; tunc censent Petrus Navarrus, Salmanticenses, & alii, etiam in hoc casu licitum esse uti compensatione, sive juramentum factum sit ante debitum compensandum, sive post illum. Ratio est, quia compensatio regulariter locum habet in omni debito; ergo etiam in jurato; præsertim cum non juratur, nisi supposita conditione quæ non adest, videlicet, *si debitum habuero solvendi*.

dali, & infamiæ propriæ, vel proximi, vel damni tertii, qui putaretur furatus, & cogeretur restituere. 6. Ut fiat sine injuria tertii, qualis esset, si acciperetur res alteri commodata, locata, oppignorata, vel apud eum deposita. Nam iste tertius habet jus rem illam ad suum usum, vel securitatem detinendi, aut custodiendi. Item si bona omnia essent hypothecata aliis. Vel etiamsi non essent hypothecata, sed non sufficerent aliis debitis solvendis, non potes integram solutionem recipere, nisi hypothecam, vel privilegium habeas. His adde, ut facta compensatione debitor, si fieri moraliter potest, moneatur nihil jam debere, tum ne permaneat in peccato; tum ne ipse, vel ejus hæredes cogantur iterum solvere tuis hæredibus. Quod si voluerit postea solvere, si nequeat sine infamia recusari, occulte statim restitui debet solutio.

Quæst. X. An licet in gravi, vel extrema necessitate aliena surripere?

Resp. 1. Non licet in necessitate tantum gravi, ex c. 3. *de furt.* Neque jure naturali, neque gentium id permittitur. Immo id debuit jure naturali prohiberi ad evitanda detrimenta, ac perturbationes humanæ Reip. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem. „ Permissum „ est furari non solum in extrema, sed etiam in gravi „ necessitate. "

Resp. 2. In extrema necessitate licet accipere rem alienam necessariam ad vitæ suæ, vel suorum conservationem. Est communis sententia: quia in extrema necessitate omnia sunt communia, saltem quoad usum; cum quisque habeat jus naturale, & obligationem conservandi vitam suam, ac suorum per media ordinaria ad hoc per se ordinata, & a Deo auctore naturæ omnibus concessa, qualia sunt bona externa. In tali necessitate *etiam potest aliquis occulte rem alienam accipere, ut subveniat proximo sic indigenti*, ait S. Thom. 2. 2. quæst. 66. art. 7. ad 3. si nempe ex propriis bonis nequeat illi subvenire: tunc enim surripiens est veluti instrumentum indigentis. Neutrum tamen licet, si dominus rei sit, vel foret in pari necessitate. Ita omnes. Nam *in pari causa melior est conditio possidentis* reg. jur. 2. nisi probabilis spes sit posse te convenienti modo petendo (57) obtinere id, quo indiges. Putat tamen Lessius in hoc casu (58) peccare solum venia-

(57) Nisi forte, ait Decoq. talis esses quem dedeceret mendicare.

(58) Quod si dominus durior te, dum extrema necessitate victus bonum ejus invadere cogeris, repellere vellet, posses eumdem, tamquam juris tui invasorem

venialiter non petendo; eo quod non peccatur quoad rem ipsam, sed solum quoad modum. Qui autem in extrema necessitate rem alienam etiam magni momenti clam surripuerit secundum multos non tenetur restituere, quando commoda facultas aderit, quia omnia tunc sunt communia simpliciter, & absolute ex S. Thom. ad 2. Teneris tamen restituere id, quod mutuo accepisti, vel emisti, & in extrema necessitate consumpsisti: quia consumpsisti rem propriam acquisitam per contractum obligantem ad reddendum æquivalens; & ideo quando res illa perit, tibi, qui es dominus, actu perit, non alteri qui fuit, sed jam non est dominus. Idem dic, si res in necessitate accepta perduret hac transacta ex cap. *Quod*. 1. q. 7. Item qui magnam pecuniæ summam in extrema necessitate surripuit, tenetur ea transacta residuum restituere. Item si non sis simpliciter, & absolute pauper, sed habeas alibi bona, teneris restituere quod extra patriam in extrema necessitate surripuisti; quia non licet alienum surripere, nisi eo modo quo extrema necessitas urget.

Quæst. XI. Quandonam uxor marito, & maritus uxori injuriam infert in bonis, & tenetur ad restitutionem?

Resp. 1. Ex communi sententia uxor peccat contra justitiam, & tenetur restituere viro, vel ejus hæredibus, si aliquid de bonis dotalibus, vel communibus, vel propriis viri surripiat, aut impendat invito rationabiliter marito: quia is solus in suum commodum habet administrationem dotis, & bonorum communium, quæ scilicet conferuntur initio, vel acquiruntur tempore matrimonii, & proprietatem mediæ partis horum, ut constat ex jure; dominium vero omnium bonorum propriorum, idest, quæ ipse ante matrimonium habebat, & quæ per contractum matrimonii noluit esse communia. Uxor tamen secundum communem sententiam potest uti bonis communibus, & fructibus dotalibus sicuti dictum est Tract. de Obligat. cap. 3. num. 3. Item si maritus sit prodigus, potest uxor subtrahere bona necessaria ad alendam familiam, & educandos, ac collocandos liberos secundum suum statum; nam in his maritus non est rationabiliter invitus. Potest (59) etiam uxor ex bonis dotalibus, & communibus,

rem injustum, aggredi, & vicissim repellere. Verba sunt Florent. Decoq.

(59) Atque hoc alii extendunt ad casum in quo uxoris frater aut soror indigeret; tum quia hæc agendi ratio pacem in familiis fovet; tum quia maritus fratribus suis subvenire debet, ut docent Doctores. Nihilominus Confessarii non debent de facili habenas laxare mulieribus, utpote quæ ad inordinatas donationes de se satis propendeant.

bus, si non habeat alia, nec vir dare velit, accipere quantum opus est ad suppeditandam sustentationem necessariam patri indigenti, vel matri, vel proli propriæ indigenti, si quam habet ex alio matrimonio, modo remaneant necessaria marito, & ejus familiæ: quia ipsa tenetur illis subvenire, & isti jus speciale habent ab ea petendi alimenta. Omnia tamen sic tradita tenetur probabiliter uxor referre in suam partem, dum partitio fiet cum hæredibus viri; quia injuste subveniret de alieno, cum habeat propria. Alii tamen oppositum sentiunt, quia ea lege censentur matrimonia contrahi, ut onera, & debita realia, quæ superveniunt conjugi uni, fiant quoque debita alterius.

Resp. 2. Maritus peccat contra justitiam, & tenetur restituere uxori, vel ejus hæredibus. 1. Si dissipet ejus dotem, cum dotis proprietas sit penes uxorem, vel accipiat, aut impendat ea bona, quæ uxor non attulit in dotem, nec per contractum matrimonialem voluit esse communia, sed sibi reservavit: nam illorum habet uxor plenum dominium, & administrationem. Idem dic de bonis sibi a marito, vel quovis alio donatis, ut de illis libere disponat. 2. Si bona communia notabili quantitate invita uxore prodige donet: nam proprietas mediæ partis illorum ad uxorem jure communi pertinet.

Quæst. XII. An liberi peccent, & teneantur ad restitutionem surripiendo bona parentum?

Resp. Liberi, qui surripiunt, vel impendunt aliquid notabile ex bonis parentum, vel ex bonis, quorum dominium, vel usumfructum pater habet, peccant mortaliter, & tenentur restituere parentibus, vel cohæredibus. Est communis sententia, ex Prov. 28. Nam accipiunt rem alienam invito domino. S. Thom. in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 5. quæstiunc. 2. ad 1. cum parentes, dum vivunt, ipsi habeant dominium, & ex Catech. Rom. Idem dic; si filius contra voluntatem parentis in usus vanos, vel illicitos expendat summam notabilem ex iis, quæ parens ei ad honestos tantum usus præfinitos dedit: quia parens non intendit illi pecunias donare simpliciter, & absolute, sed tantum cum restrictione ad usus a se determinatos. Hinc si filius habeat bona castrensia, vel quasi castrensia tenetur ex illis restituere: si non habet, tenebitur in partitione hæreditatis cum cohæredibus computare in suam partem, quod surripuit, nisi constet hoc tantumdem surripuisse, vel nisi pater expresse, aut tacite condonarit.

Quæst. XIII. An si filiusfamilias plus cæteris fratribus pro patre laboret, & aliquid ultra suam sustentationem ex labore suo, ac industria lucretur, potest ex tali lucro pretium operarum suarum subtrahere patre inscio?

Resp.

Resp. Nihil potest sibi assumere, si parentes egeant ejus obsequio: quia filius ex pietate debet ejusmodi obsequia utrique parenti indigenti. Quod si parentes non egeant ejus obsequio, & plus lucretur, quam impendat juxta multos potest operæ stipendium petere, sicuti potest alteri locare operas, ex l. 10. §. *de obseq.* Quod si nihil petat, nihil potest clam surripere: quia si petivisset, pater potuisset eum repellere, & ejus loco accipere alium, qui gratis, aut viliori pretio, aut melius serviisset. Multi tamen contra multos docent, in tali casu filiumfamilias, qui laboravit cum voluntate mercedem aliquando percipiendi, sed quam ex metu patrem offendendi petere non est ausus, posse retinere aliquid suo labori congruens, quod patre mortuo ex bonis surripuit deductis sustentatione, & usufructu: quia, inquiunt, filius non debet esse deterioris conditionis, quam extraneus, cui ejusmodi merces deberetur; neque tenetur pro patre non indigente gratis laborare. Sed hoc est incertum. Quare non ei licet occulte se compensare.

Quæst. XIV. An qui rem furtivam emit, tenetur illam restituere domino?

Resp. 1. Qui eam emit mala fide, sciens, vel dubitans esse furtivam, tenetur eam restituere, si habeat, vel ejus pretium in defectum furis, si non possit recuperare, aut non habeat. Est communis sententia. Quia injustitiam commisit, rem alienam mala fide sibi accipiendo contra voluntatem domini. Nec potest a domino exigere pretium furi datum, sed jacturam illam malitiæ suæ, ac imprudentiæ suæ imputare debet, ex *Tob.* 2.

Resp. 2. Qui rem alienam a fure exiguo pretio emit cum intentione eam reddendi domino, tenetur quidem illam restituere cum fructibus perceptis; sed potest a domino exigere pretium furi datum, & impensas ad eam emendam, & conservandam factas, & dominus tenetur id totum ei rependere. Est communis sententia: quia ille rem domini utiliter gessit. Quod si magno pretio, vel fere æquali eam emit cum tali intentione, dominus tenetur solum reddere, quantum judicio prudentum gerendo utiliter negotium ejus impendere potuit.

Resp. 3. Qui rem furtivam emit bona fide nesciens, nec dubitans talem esse, tenetur eam restituere domino, etiam non repetenti: nec potest reddere furi, ut pretium datum recipiat, nisi certo sciat rem ab eo restitutum iri domino. Ita multi contra alios multos 2. ex l. 3. Cod. *de rei vindic.* & l. 11. §. *de regul. jur.* Nam si fur obiisset, aut non inveniretur, juxta omnes res furtiva deberet reddi domino, nec posset exigi pretium datum; quia

nempe res aliena. At ex eo, quod reperiri latro possit, idem dominus nullum jus amittit. Nec potest emptor pretium furi datum a domino repetere, ex l. 2. Cod. *de furt.* nam nullum jus potuit a fure transferri in emptorem, cum ille nullum jus haberet, ex reg. 79. in 6. & l. 54. §. *de divers.* reg. Si tamen sciret furem restituturum rem domino, posset ei reddere, ut pretium datum recuperaret: nam tunc dominus non est rationabiliter invitus. Immo fur habet jus repetendi reddito pretio, ut eam restituat.

Resp. 4. Si emptor bonæ fidei rem furtivam bona fide consumpsit, aut si illa apud eum casu, vel culpa periit, non tenetur ejus pretium restituere domino, nisi quatenus ejus pretio, vel ea factus est ditior, ex l. 23. *de petit. hæred.* quia fuit possessor bonæ fidei, seclusa lege positiva aliud statuente.

Resp. 5. Si quis rem furtivam bona fide emptam revendiderit, & postea compareat dominus, primus emptor tenetur rescindere contractum, pretium secundo emptori reddere, & rem ipsam furtivam restituere domino. Ita Sotus, & alii: quia venditor ex vi contractus tenetur servare emptorem indemnem ab omni lite, molestia, & sumptu circa rem venditam, nec potest eum ad alium ablegare, ex l. 1. §. *de evict.* Quod si, comparente domino secundus emptor, qui rem habet, inveniri nequeat, venditor non tenetur pretium acceptum domino rei restituere, nisi illud, quod ex revenditione, sive industria propria lucratus est, vel nisi rem dono accepisset: nam leges statuunt, ut venditio rei furtivæ valeat ad transferendum dominium pretii pro ea accepti, non tamen ipsius rei, lib. 49. §. *de furt.*

Quæst. XV. An qui pascit, vel ligna cædit contra justam prohibitionem tenetur ad restitutionem?

Resp. 1. Qui pascit, vel ligna cædit in loco alicujus privati, vel in loco communitatis suæ sed locato alteri, vel in loco alterius communitatis peccat contra justitiam pro ratione rei ablatæ, & damni illati, quod sæpe multo pluris est, quam res succisa valeat, & tenetur ad restitutionem. Ita Sot. & alii: quia violat jus alienum cum damno. Licet tamen herbis, & frugibus collectis mittere oves ad pascendum herbam nascentem, quam dominus agri non est venditurus, nec ex ea utilitatem percepturus, nec suo gregi destinaturus quia ita fert recepta consuetudo. Idem dic de illo, qui in loco communitatis suæ pascit, vel ligna cædit contra justam prohibitionem, si magnum damnum inferat: quia aufert rem alienam invito domino, injuste minuit portionem aliorum. Idem a for-

fortiori de eo, qui ligna cædit in sylva principis, cum vere auferat rem alienam invito domino.

Quæst. XVI. An is, qui contra justam prohibitionem venatur, piscatur, vel aucupatur peccat, & tenetur ad restitutionem?

Certum est 1. Eum, qui alterum impedit a venatione, ad quam jus habet, peccare, & teneri ad restitutionem probabilis lucri, quod deductis impensis, ac laboribus facturus erat. 2. Eum, qui venando etiam juste damnum aliis infert teneri resarcire damna illata. 3. Eum, qui occidit, aut lædit animal alterius, dum in suo prædio damnum infert, peccare graviter, & teneri ad restitutionem. Igitur.

Resp. 1. Qui venatur in fundo alicujus privati, invito domino, semper peccat saltem venialiter. Ita Lessius & alii: nam dominus habet jus, ut nemo in suo fundo se nolente venetur, *ex instit. de rer. divis.* & l. *Item*. §. *de usufructu*. Quod si notabile damnum inferat peccat mortaliter contra justitiam, & tenetur ad restitutionem judicio prudentis statuendam.

Resp. 2. Qui venatur in fundo alieno sepe vel muro clauso, peccat graviter, & tenetur restituere animalia in tali loco detenta, quæ ibi cepit: quia ejusmodi animalia sunt domini loci, cum censeantur naturalem libertatem amisisse, *instit. de rer. divis.* Idem dic de eo, qui in alieno stagno, seu vivario piscatur.

Resp. 3. Qui venatur, aut piscatur in loco publico non prohibito, nec ulli speciatim addicto, sed modo, seu medio, vel tempore prohibito peccat mortaliter, si notabile damnum inferat. Lessius & alii: quia tunc graviter lædit jus venandi, & piscandi, quod habet communitas. Eadem ratione qui venatur in loco publico venationi Principis, vel aliorum jure assignato, semper peccat contra justitiam, venialiter aut mortaliter pro majori, vel minori damno, aut injuria principis, vel alterius: teneturque ad damni compensationem, si princeps velit.

Resp. 4. Qui in loco publico prohibito, vel ad privatum pertinente venatur invito domino, licet peccet, & teneatur resarcire damnum illatum, non tamen tenetur restituere feras captas, quæ naturali libertate fruebantur: nisi tamen feræ libertate fruentes lege aliqua ita addicantur principi, vel bono publico, ut non cedant in dominium capientium.

Quæst. XVII. An tributa solvi debeant ex justitia?

Tributum hic late sumitur, nempe pro eo omni, quod principi, vel reip. penditur, ut & statum, ac dignitatem suam tueri, & communibus necessitatibus, aut com-

commodis prospicere possit; proindeque etiam pro vectigali.

Resp. Est obligatio justitiæ solvendi justa tributa, & vectigalia. Est communis sententia, ex Matth. 22. Rom. 3. Quia ex justitia debentur principi ratione sui officii, ac laboris pro Rep. & pacti saltem impliciti, suntque justa stipendia administrationis suæ ad ejus sustentationem, & subsidia necessaria ad onera publica sustinenda. Hinc tributa justa solvi debent antequam petantur, nisi ex consuetudine non solvantur ante petitionem; & ex communi sententia, teste Valentia, restituere debet, qui ea non solvit. Item non licet uti fraude ad vitandam gabellam, sed solvi debet saltem cum exigitur. Immo etiam exteri tenentur vectigalia solvere; quia sub hac tacita conditione admittuntur ad negotiandum; atque onus hoc compensatur per securitatem, & alia commoda, quæ ibi habent.

Ut (60) autem tributa justa sint, non debent esse majora, quam postulet principis sustentatio, consideratis statu, dignitate, ac ditione, & necessitas, vel magna reip. utilitas: nam hic est finis, ad quem ordinantur, & propter quem solum exigi possunt; ideoque non debent illum excedere. Debent quoque tributa exigi secundum proportionem facultatum singulorum, sic ut non alii plus, alii minus graventur, quam justum sit. Quod si bonum commune postulet, ut nova, & extraordinaria tributa imponan-

(60) Ut tributum sit reipsa justum, tria requiri solent. 1. Potestas imponendi tributum, quæ per se soli Principi competit, aliis vero nonnisi ex illius concessione. 2. Legitima causa, ut nempe ob bonum publicum imponatur. 3. Proportio tributum inter & causam tributi, adeo ut parvum pro causa mediocri, temporaneum pro temporanea necessitate imponatur.

In dubio de justitia tributorum, ea solvi debent. Quia in dubio justitiæ debet præsumi pro justo præcepto Superioris possidentis jus præcipiendi & exigendi tributa. Quod si dubium cadat in motiva quibus innititur Princeps ut tributum exigat, seu in potestatem ipsius; idest, si dubitetur, an huic Principi competat jus tributum exigendi, censent plures nullam incumbere solvendi hujus tributi necessitatem: eó quod libertas certa civium incerto hominis juri prævaleat. Quia tamen hæc difficultas locum habere non potest nisi in Principibus non supremis, putat Petrus Collet, Tr. de Legib. cap. v. sect. 2. in hoc casu interrogandum esse Principem supremum, an potestatem hanc Principi subalterno concesserit, immo, si huic faveat consuetudo, sileatque Princeps Supremus qui, cum sua læduntur jura non tacet, eo ipso jus illud Principi inferiori concessum esse arbitratur.

ponantur ob causam publicam, in eam ex justitia impendi debent, & causa cessante cessare.

Quæst. XVIII. Quid dicendum de decimis?

Decimæ solvi debent ex justitia, & religione secundum receptam consuetudinem, & ad restitutionem tenentur, qui eas non solvunt integre, vel solum de deterioribus rebus. Constat ex tit. *de Decimis* ex Concil. gen. Later. II. & IV. cap. 52. & ex Concil. Trid. sess. 25. cap. 12. Ratio est, quia sunt bona consecrata Deo, & debita ex justitia intuitu religionis in sustentationem ministrorum, qui habent jus percipiendi sustentationem a populo, cum in ejus commodum occupati sint.

Quæst. XIX. An male distribuens bona, vel onera communia tenetur ad restitutionem?

Resp. 1. Quamvis violatio solius justitiæ distributivæ non obliget ad restitutionem; quia tamen sæpe justitia commutativa concurrit cum justitia distributiva ideo quoties illa violatur, toties mala distributio bonorum, vel onerum obligat ad restitutionem.

Resp. 2. Qui onera, tributa, militum hospitia &c. male distribuit, tenetur ad restitutionem privatis, quos illa improportionata distributione gravat; quia in hoc violat etiam justitiam commutativam. Idem est de distributione bonorum communium debitorum privatis ex aliquo titulo particulari v. g. laboris, operæ, pacti &c. & de bonis communibus ex lege, vel consuetudine, vel voluntate Superioris, aut donatoris destinatis principaliter in bonum eorum, quibus distribui debent, qualia sunt, v. g. proventus aliquarum civitatum ad hoc donati, vel destinati, ut singulis incolis distribuantur proportionate ad indigentiam, vel merita, ac dignitatem singulorum. Item qui accipit bona distribuenda pauperibus alicujus communitatis juxta cujusque indigentiam, tenetur ex justitia commutativa talem pecuniam istis pauperibus, & non aliis sic distribuere secundum voluntatem donantis. Ita S. Thom. 2. 2. quæst. 62. artic. 11. ad 3. Nam singuli isti habent jus rigorosum in donatione fundatum accipiendi juxta suam indigentiam, vel merita, vel servitia &c.

Resp. 3. Qui male distribuit bona communia primario ordinata ad bonum commune, scilicet ad bonum Ecclesiæ, aut communitatis tenetur resarcire damna inde secuta Ecclesiæ, vel communitati; quia ex officio, & pacto implicito, vel ex commissione accepta, ideoque ex justitia commutativa erga Ecclesiam, vel communitatem tenebatur in hac distributione bono communi prospicere, & eligere digniores. Sed juxta multos non tenetur ad resti-

stitu-

stitutionem dignioribus, quos præteriit, nisi concursu, & examine secuto, in quo digniores habent ex pacto implicito jus sibi proprium, ut aliis præferantur.

Quæst. XX. An in dubio utrum res sit aliena restitui debet?

Resp. 1. Qui bona fide rem possidere cœpit, si postea incipiat dubitare, an sit aliena, tenetur ex justitia veritatem diligenter inquirere, nam alias se exponit periculo retinendi rem alienam. Quod si post diligentem inquisitionem non appareat probabilius rem esse alienam, manet in possessione bonæ fidei, nec tenetur restituere: quia in tali dubio melior est conditio possidentis, juxta reg. 65. jur. in 6. & l. 170. §. *de reg. jur.* Quod si æque appareat rem esse alienam, Azor cum aliis docet, licere possessori eam consumare, aut vendere modo in animo habeat ejus pretium domino postea cognito restituere, & admoneat emptorem de illo dubio: nam est quoddam vitium occultum rei, ex quo damnum emptori sequi potest, si dominus compareat. Si vero multo probabilius possessori appareat rem esse alienam, tenetur eam restituere domino, vel si cognosci nequeat, pauperibus.

Resp. 2. Possessor bonæ fidei, qui occurrente dubio non exquirit diligenter veritatem, peccat mortaliter; & si postea certo agnoscat dominum verum rei, tenetur ei restituere rem, & ex eo tempore, quo dubitare cœpit, rei fructus tum naturales, tum mixtos, non solum quos percepit, sed etiam quos percepisset dominus, si rem suam habuisset. Lessius & alii. Constat ex cap. III. hujus Tract. quæst. VII. & XIX.

Resp. 3. Qui antequam possideat, dubitat utrum res sit aliena potest eam accipere titulo venditionis, donationis &c. modo accipiat ex intentione eam restituendi domino, si post diligentem inquisitionem invenerit, quia alioquin nunquam fortasse fuisset ei restituenda. Quod si accipiat, ut sibi absolute retineat, peccat contra justitiam: nam lege justitiæ tenetur non se exponere periculo accipiendi rem alienam invito domino. Acceptam tamen potest retinere mutato animo, donec inveniat dominum, cui restituat, & tunc debet diligenter inquirere, an sit aliena. Et si hoc probabilius appareat, tenetur eam domino cognito, vel pauperibus, si cognosci nequeat restituere cum omnibus fructibus. Si autem sit æque probabile rem esse alienam, debet eam cum altero, de quo dubitat, dividere, quia possessio capta cum dubia fide meliorem non facit conditionem sic possidentis. Idem dic, si quis dubitans an res sit aliena, præoccupavit illius possessionem a nemine occupatam. Si vero dubius, an res sit sua, eam

abstulit a possessore bonæ fidei, tenetur eam totam restituere, sicut possessor malæ fidei; quia in dubio, & pari causa potior est conditio possessoris bonæ fidei.

Resp. 4. Quando nullus eorum, de quibus dubitatur, an sint domini rei, rem possidet, si dubium sit æquale, res æqualiter inter illos dividi debet, vel si dividi nequeat, ejus pretium, nisi forte ex eorum consensu agatur. Si longe probabilius sit ad unum illorum totam pertinere, tota ei est adjudicanda.

Quæst. XXI. An qui dubitat, utrum solverit debitum, tenetur adhuc illud integre solvere, si certo scire nequeat se solvisse?

Resp. Affirm. Est communis sententia: nam in foro externo debitor cogitur solvere debitum certum, nisi probet solutum esse, etiamsi fateatur creditor se de solutione dubitare, nec de ea recordari: at in foro conscientiæ stare debemus in his foro externo, nisi constet externum niti præsumptione falsa.

Quæst. XXII. An est contra justitiam prodere alterius secretum suæ fidei commissum, & est obligatio resarciendi damnum inde secutum?

Resp. Affirm. Est communis sententia: quia quilibet habet jus, ne ejus secreta detegantur; estque mortale si arcanum sit gravis momenti, vel inde grave damnum proximi, aut discordia sequi possit, ex 27. Eccli. quare non licet arcanum etiam a privato creditum sine ejus consensu aperire, etiam ex præcepto Superioris, nisi alia via cognitum sit ex S. Thom. quæst. 70. art. 1. ad 2. Excipe, nisi secreti revelatio necessaria sit ad impediendum grave malum spirituale, vel temporale tertii, vel communitatis a tali homine inferendum, aut continuandum. Ita communiter ob rationes toties alibi adductas, & manifestas ex S. Thom. 2. 2. quæst. 70. art. 1. ad 2. Hinc, ut alios omittam, graviter peccant qui vi muneris, ac officii sui ad servandum secretum obligantur, ut Superiores, Consiliarii, Medici &c. Item juxta multos non teneris secretum juste cognitum cum certo periculo vitæ tuæ, vel gravissimi damni occultare, nisi sit ex confessione notum, vel secretum principis, aut Reip. vel nisi ejus revelatio vergeret in grave reip. seu communitatis malum, vel promiseris cum tanto damno servaturum: quia seclusis his casibus, & cæteris habes jus tibi potius consulendi, quam alteri privato. Jamvero is, cui alter injuste aperuit secretum tertii, tenetur illud non detegere: quia illa manifestatio cederet in injuriam alterius, qui secretum commisit, essetque extensio, ac ampliatio injuriæ factæ a primo iniquo proditore.

Quæst. XXIII.

Quæst. XXIII. An obligatio restituendi bona externa, & resarciendi damna in illis injuste illata a defuncto transit ad hæredes etiam extraneos?

Resp. Affirm. ex cap. ult. *de sepult.* cap. 9. *de usur.* & cap. 5. *de raptor.* Quod si plures sint hæredes, singuli tenentur pro hæreditaria portione, non tamen in solidum: quia sicut bona, & jura defuncti dividuntur inter hæredes, ita & onera, ac debita dividi debent, ex l. 2. cod. *de hæred. act.* & l. 26. Cod. *de pactis.* Si autem res aliena extet in se apud unum hæredem, hic tenetur eam integram restituere. Idem dic de re defuncti hypothecata alteri, cap. 5. *de pignor.* Sed tunc is habet actionem de evictione contra cæteros hæredes, qui debent ei rependere pro rata. Cæterum legatarii non universales minime obligantur ad restitutionem, si ea, quæ hæredibus relicta sunt, sufficiant ad solvenda omnia debita, relicta portione hæredibus jure debita: quia non succedunt in onera testatoris, sicut hæredes. Si bona non sufficiunt, debent legatarii conferre ad restitutionem pro rata: quia ante omnia legata solvi debent debita. Denique hæredes tenentur etiam contractibus a testatore initis l. 3. cod. *de contrah. & committend. stipul.* idque ob rationem paulo ante dictam.

Finis Tomi Primi.

					ERRATA.	CORRIGE.
Pag.	3 Not.	4 Col.	2 Lin.	14	verus consensus, si	verus consensus æstimatur, si &c.
	7	6	1	1	& cum metu concurrit	& cum metu non concurrit.
	13	12	2	14	& malitiam convenientia	& malitiam a convenientia.
	16	14	1	11	Primum est certum quia	Postremum est certum.
	32	10	1	39	nec Scholasticorum	nec non Scholasticorum.
	46	21	1	2.3	condere possunt	condere possunt leges.
	47	21	2	10.11	invariabiles & esse	invariabiles, & variabiles.
	58	27	2	5.6	a Principe ignorata	a Principe ignoratum.
	71	34	2	26	nequit eum subdelegare	nequit eam subdelegare.
	80	44	1	1	Pœnæ activæ	Pœnæ passivæ.
	112	13	2	8	titulo justæ	titulo injustæ.
	213	15	2	10.11	in distributione	in distributore.
	229	21	2	2	naturalis positivi	naturalis negativi.
	250	10	1	16.17	auxilio gratiæ actualis. Ast	auxilio gratiæ actualis misericordiam Dei consequi potest. Ast.
	251	11	1	32	Hinc si nec miles stationem	Hinc nec miles stationem.
	322	3		29	in uno sensu	uno consensu.
			Ibid.	31.32	jure naturali	pure naturali.
			Ibid.	ult.	3. Proscriptione.	3. Præscriptione.
	348	13	1	8	tam dispensatores	tam dispensatos.
	398	32	2	4	clausura 1.	clausura frangitur, 1. cum.
	442	72	1	7	licitum est mutuanti	licitum est mutuatori.
	498	22	1	5	quas dominus fecisset	quas Dominus non fecisset.
	505	27	1	12	si fingendo	nisi fingendo.

